



*Jerez*

28529 RIVAS-VACIA MADRID  
(MADRID) ESPAÑA



*100000  
Jerez  
Jerez*

*16.500*

IO. GOTTL. HEINECCII

*FUNDAMENTA STILI CULTIORIS.*

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS:

IO. MATTHIAE GESNERI,


ET

IO. NICOLAI NICLASII

*LOCUPLETATA.*

NOVA EXEMPLORUM SYLLOGE

*HAC EDITIONE AUCTA.*



MATRITI. MDCCLXXVI.

---

Apud IOACHIM IBARRA S. C. R. M. Typographum.

---

*SUPERIORUM PERMISSU.*

81367
62601

(III)

*AUDITORIBUS SUIS PEREXIMIIS*

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS.

QUAE adhuc calamo vestrum haud pauci exceperunt, *cultioris stili fundamenta*, ea iam typis exscripta vobis offero, auditores, sed secundis perpolitata curis, variisque hinc inde animadversionibus locupletata. Multae sunt, quae mihi id consilium extorserunt, rationes, quas a vobis non ignorari, mea haud parum interesse arbitror. Quum beatissimus, atque immortalis gloriae princeps, FRIDERICUS, rex Borussiae, publicum docendi munus in illustri hac academia mihi decrevisset, eo potissimum consilio id se facere professus est rex sapientissimus, ut iis, qui se politioribus litteris consecrassent, viam, qua ad pulcherrimam istam laudatissimamque doctrinam possent pervenire, monstrarem. Quam bene de studiosa iuventute merendi occasionem tametsi mihi tunc, nescio, quae, praeriperet invidia: tamen, ex quo potentissimus rex, FRIDERICUS GUILIELMUS, publice docendi provinciam mihi imposuit, dandam mihi operam, existimavi, ne nullum ex illa beatissimi principis voluntate fructum caperetis. Quare non temere ullum praeterire passus sum annum, quin tersae ac cultioris Latinitatis praecepta selectioribus ingeniis traderem, eaque non solum explicarem accurate, verum etiam exemplis luculentissimis illustrarem. Quo in opere institutoque pulcherrimo, sextum iam



annum, magna animi contentione versantem, tanto alacriorem me reddidit fructus, quem vestrum haud pauci se hinc cepisse, professi sunt, uberrimus. Plures enim, qui me duce ac comite, in adsequenda elegantiorum litterarum scientia operam & industriam suam collocarunt, iam in aliis erudiendis instituendisque ad humanitatem, cum plausu, versantur. Alii ad eandem laudem, pleno, ut ita dicam, gradu, contendunt. Enimvero, toties id saxum volventi, duae potissimum superandae mihi fuerunt difficultates. Primum enim, quum deessent, quibus cum fructu uti possem, praecepta, ipse ego hunc mihi laborem imposui, ut de concinnandis elegantioris Latinitatis elementis cum cura cogitarem. Deinde, quum ea nobis calamo essent excipienda; id & operosius, & cum magno temporis dispendio coniunctum, esse, deprehendi. Quare, ut, & hac in re, studiis vestris consulere, praelo haec committere decrevi, sed multis locupletata animadversionibus, ac ita ubique adornata, ut & intelligi facilius, &, diuturna exercitatione, in succum & sanguinem converti possent. Facile intelligitis, auditores, hoc quidquid est, laboris me, non gloriae cuiusdam captandae, sed vestrae utilitatis causa, suscepisse. Neque enim ullum mihi erit tam molestum onus, quod non, vestri causa, prompto atque alacri animo sim subiturus. Vestrum erit, favere hisce conatibus meis, atque ita rationes vestras componere, ut & meae mihi, & vobis operae vestrae, ratio constet. Valete. In academia Fridericiana, mense Sept. MDCCXXIX.

STU-

## STUDIOSAE IUVENTUTI


EDITOR.

**P**rodeunt nunc primum Hispaniae Heineccii fundamenta stili cultioris, notis & animadversionibus suis iam pridem illustrata; quibus Gesneri & Niclasii castigationes accedunt, mirum in modum, qui huic operi exornando industriam & diligentiam suam contulerunt: ad haec ex latinis auctoribus nova exemplorum sylloges, qua superiora illustrantur praecepta; nequid, quod ad operis exornationem, iuventutisque commodum pertineat, desideretur.

Primum, quod ad opus attinet ab Heineccio elaboratum, id integrum redimus: tum ipsius auctoris famae, tum etiam summo honori, quo inter eruditos hic liber exceptus est, nonnulla menda concedentes, leviora sane, quam in quibus quisquam, aut possit, aut debeat exercere severitatem censoriam: quae tamen nihilominus Gesneri & Niclassii oculatissimum effugere iudicium non potuere. Atque, ut eruditorum opinioni, quae totam Hispaniam nostram de hoc libello pervaserat, par nostra responderet editio: maximae fuit nobis curae ac diligentiae, ut accuratissimae ad optimum quodque exemplar corrigeretur. Cumque prae ceteris ante hac editionibus Lipsiensem an. 1766. & Genevensis, quae ab Heineccii filio, accessionibus suis locupletata prodiit an. 1771. ab omnibus aestimari videremus: has potissimum, ac praecipue, primam cunctis auctiorem emendatioremque sequuti sumus.

In Gesneri autem & Niclassii castigationibus & notis, id navavimus operae; ut, quae Heineccii loca, illustratione atque exemplis clariora reddunt, aut castigatione perpoliunt, integras eas atque intactas reliquerimus: quoties vero cumque locus sive auctoritatum multitudine laborare, sive ad Germanicae linguae

idio-



(VI)

idiotismos dumtaxat pertineret; denique, cum ob difficultatem minus nobis puerorum captui accommodatus visus est; vel supervacanea detraximus, vel penitus omisimus. Id enim animadversionum & illustrationum est genus omne; ut, cum opportuna, clarioresque studiosorum animos alliciant, iuventque plurimum: ita si nimis multae, aut ocularum rerum aggerantur, eorum perstringant oculos; atque fastidium potius, quam suavem illis delectationem ingenerent. De hoc toto denique genere, hoc nobis animo destinatum fuit ab initio, ut illustrationibus opus locupletatum, non oneratum prodiret.

De illa autem exemplorum sylloge, ab ipso auctore iam pridem operi adiecta, hoc lectoribus monitum non abs re erit; etiam vivo adhuc Heineccio, non semel in lucem editam, in multorum sermonem vituperationemque venisse, quod tantum suis exemplis Heineccius auctoritatis tribuere vellet: quamvis magnum eo tempore nomen eius plaususque, quibus, & hoc, & omnia sua, ab omnibus excipiebantur opera, rumores retardarunt. Postea vero quam excessit e vita, auctoritate & reverentia, ut fit, sensim imminuta, quae iam diu de illa sylloge opinio percrebuerat palam fieri coepit, iudiciumque de ea penitus delenda peractum. Quo tempore, viri apprime humanioribus litteris eruditi, qui in hoc opere illustrando, castigandoque maxime laboravit, ad Lipsiensem, de qua supra, editionem, praefatione praemissa, sylloges prorsus amandata conticuit. Cum vero ad Genevensis postea Heineccii filius animum intenderet, Patris Syllogen intermortuam ut ita dicam, naturali quodam amore inductus, non modo publicae lucis honore non est passus carere; sed eam etiam, tribus ex editione sexta desumptis, novoque alio Declamationis exemplo locupletavit.

Nos autem, quare item nostra hac editione suppressi curaverimus; haec potissimum in causa fuere. Nam cum puritatis & elegantiae latinitatis faciem, praese

hic

(VII)

hic libellus ferat, idque iam diu inter omnes receptum sit, nusquam huiusce linguae proprium hauriri characterem posse, praeterquam ex aetatis aureae scriptoribus, qui germanam nobis latinitatis formam reliquerunt: consentaneum admodum visum fuit, ab studiosorum manibus atque oculis procul amovere, quodque exemplorum genus, quod non veteri auctoritate fultum nobis testimonium afferret. Praesertim, cum hoc in opere testetur saepius auctor, latinam linguam, multis abhinc saeculis inter mortales conticuisse; neque alio, si ab latini sermonis fontibus recesserimus, recte scribendi facultatem posse comparari. Quare omnes, nostra quidem sententia, controversias, contentionesque sustulimus, exempla ex latinis auctoribus in novam Syllogen colligentes; ut, nec qui Heineccii nimis amantes sunt, ne ipse quidem, si a mortuis excitetur auctor subirascatur nobis, cum suorum loco, Ciceronis, Sallustii, Livii, Caesaris exempla reposuerimus.

Ac nequis hoc loco nobis fortasse occurrat, quaerens, satisne constanter facere videamur, qui, cum puram latinitatem ab aetatis aureae scriptoribus unice petendam teneamus, alia tamen recentiorum exempla; orationem Mureti scilicet, & Erasmi Dialogum proponamus in Sylloge: hoc lectoribus animo advertendum erit: cum neque orationum, quas declamationes vocat Heineccius, nec quos Comicos dialogorum, exemplum suppeditaret antiquitas; hocque nobis initio propositum fuerit, nullum ex iis, quae in ceteris editionibus reperiuntur exemplum praetermittere: ad recentiores demum, invitos tamen, coactosque venisse. Itaque Declamationem ex Mureto, cui primas inter recentiores Heineccius sine controversia tribuit, Dialogum autem ex Erasmo, qui sermonis puritate & lepore ceteros Dialogorum longe post se reliquit scriptores delegimus: nec tamen, tamquam vera, germanaque, quae imitari debeant exempla iu-

ven-


(VIII)

ventuti proponere in animo fuit ; sed nequid nostra editione , quod in alia reperiri posset temere desideraretur.

Hoc unum editione nostra Asiatici stili , quem quidam Tullio tribuere solent frustra quaeras exemplum. Atque id , si attentius consideres non immerito omissum esse censebis. Nec enim orationis vitium , eloquentiae parenti tribuere , fas esse arbitrabamur ; & praeterea illa ipsa loca , in quibus superfluitatem , ac redundantiam nonnulli damnant , tot divinae illius eloquentiae ac praestantissimi dicendi generis testimonia plerisque visa sunt , quae solum ab iis reprehendi posse videntur , qui aliorum copiam & ornatum , ieiuno atque exanguis suo orationis genere metientes , id omne in aliis inopiae suae videtur vitium , quod ipsi se assequi posse diffidunt. Ad iudicium tamen hoc capite de stilo Asiatico Gesneri notis expressum haec tota disputatio referatur. Vos , studiosi iuvenes , quidquid operi emendando attulimus , si modo aliquid attulimus , in bonam partem accipite , totoque pectore in hunc libellum incumbite , qui , recte scribendi facultas , quibus modis comparari queat , firmissima locat fundamenta ; quae super , totum vos postea opus observatione & exercitatione extruere possitis. V.

FUN-

I



# FUNDAMENTA

CULTIORIS

LATINITATIS.

---

PROOEMIUM.

I.

**D**uo potissimum in Latinae orationis cultu cavenda sunt elegantiorum †) litterarum studiosis. *Alterum* ne auribus sint tam agrestibus atque impolitis , ut omnem orationis nitorem , atque elegantiam , tamquam rem inanem , ac supervacua omnino negligendam esse existiment \*). *Alterum* , ne per omnem vitam id unice agant , ut quasi calamistris intorqueant orationem , ei- que colores adscitios tamquam fucum , inducant \*\*).

*Duo extrema in latinitate cavenda.*

†) ( Ergo nec esse sordidi , nec sordide tractari debebant earum cultores. *Humaniores* dicuntur , quia eas res augent & poliunt , quibus *homines* differunt ab animalibus , rationem &

A

ora-

orationem. Philosophiam etiam esse humanioris doctrinae partem pulchre ostendit Ernestus. G.)

[ De cetero ut non alienum videatur, eos, quibus destinatus est hic libellus, monere, quid contineatur elegantiorum litterarum nomine, facit vis saeculi nostri Gallicam levitatem imitantis, ex cuius consuetudine operam dare litteris elegantioribus, fere nihil est aliud, quam nugas agere, hoc est, scripta legere amatoria, fabulas Milesias, summum Comoediam aut carmen aliquod, eiusque generis alia quae non magni sunt momenti; generatim libros eos, qui delectent magis aut corumpant adeo, quam erudiant emendentve suos lectores. Qui vero proprie & recte loquuntur, N.] elegantiores litteras, *belles lettres* (melius bonas litteras) vocant interdum  $\alpha$ ) quaecunque discere solet iuventus praexercitationis causa ad eas, quae facultates dicuntur superiores, ubi etiam mathesin, philosophiam historiamque adeo continent.  $\beta$ ) Arctius circumscribentes earum limites mathesin, historiam & philosophiam aut excludunt omnino, aut illarum modo admittunt tantum, quantum ad superiora feliciter tractanda opus est; & maxime studia Linguarum, tum patriae tum eruditae h. e. Graecae & Latinae, cum studio eloquentiae utriusque tum in prosa tum ligata oratione, & antiquitatis cognitione intelligunt. Ita ROLLINUS in libro elegantissimo *de la Maniere d'enseigner & d'étudier les Belles-Lettres*, praecipit I. de Linguis, Gallica, Latina, Graeca, II. de Poesi, III. de Rhetorica, IV. de Historia, V. de Philosophia. Et de Historia quidem copiose agit, de Philosophia vero affert sat multa. Miror Mathesin esse praetermissam, sine qua vix est philosophari. (G.)

\*) Talis fuit veterum scholasticorum & glossatorum barbaries, qui se eruditos non putabant, nisi omnem orationis cultum eierassent. (Intelligo *verum*: Nam substituerant illi ineptias quasdam ex soni quacunque convenientia captatas, in quibus decus omne orationis collocabant. Hinc homocoteleuta (*rimos, rythmos* vocant) quales versus Leonini, hinc aërostichides, etc. Vid. Polyc. LYSERI *disp.* qua a barbarie medii aevi scriptores absolvit. Male ille quidem. G.) Contra eos (qui putant, ornatu omni supersederi posse. G.) elegans exstat oratio M. ANTONII MAIORAGII, quae inter eius orationes est XII. (Neque vero putaverim fuisse unquam ita barbarum quemquam, ut eo ipso nomine sibi doctus videretur, si rustice & impèrite scriberet. Sed de eo, quod pulchrum esset, disputabatur nimirum. Neque enim quisquam ita barbarus, qui non pulchrum amet, sed iudicia de pulchritudine, ut aliis in rebus, ita & hic sunt diversa. Illi quos refutat MAIORAGIUS, *eum satis esse*

di-

*disertum dicebant, qui sensa mentis aperte atque intelligenter explicare dicendo valeat.* G.) [ Et tamen fuisse, quibus hoc ipsum visum sit pulchrum, dignum certe sua, quam jactabant, doctrina, infuscare scripta agresti verborum imperitia, ut exempla mittam alia, dubitare nos vetat ERASMUS *Ep.* XI. 3. studium suum castigatè scribendi, sic defendens: *Non arbitror tantum esse tribuendum istis, qui hoc ipso se iactant, quod ad prodigium usque barbari sint & Soloeci, ut in illorum gratiam affectanda sit orationis spurcicies.* Accusans autem tempora cum sua, tum vero superiora L. XV. 17. hoc modo: *Hactenus e doctorum centuriis excluderentur, qui paulo politius loquerentur: nec dignabantur quonquam suo albo professores, nisi qui cum ipsis turpiter balbutisset, neque quicquam omnino castioris litteraturae attigisset. Atque illud protinus erat in promptu, Grammaticus est, non Philosophus: Rhetor est, non Iureconsultus: Orator est, non Theologus. N.]*

\*\*) Talis fuit sophistarum veterum eloquentia, de qua erudita exstat dissertatio GE. NICOL. KRIEGKII, edita *Ienae* CIOLCCVII. Stilus purus & concinnus praeclarum est eruditionis omnis ornamentum, non ipsa tamen eruditio \*) quae non in verbis, sed rebus earumque caussis pernoscentis posita est. Cavendum itaque ab illo fastu & supercilio quorundam +) grammaticorum, qui se solos sapere, ceteros volitare veluti umbras existimant, lepida oratione, quae *pro studiis humanitatis* inscribitur, exagitati a V. C. ALBERTO SCHULTENS, *Franqu.* CIOLCCXX.

\*) (In hac quaestione. An facultas Latinae linguae sit eruditio? (caute versandum est. I. Si eruditio est quaecunque perfectio hominis, in quantum rationalis est; tanto illum eruditorem esse, quo plures linguas novit, non est dubium. II. Si eruditio est rerum utilium cognitio solida; lingua nulla per se eruditionis nomen sibi vindicare potest, sed potest esse utile ad illam cognitionem perveniendi instrumentum. De ipsa Grammatica QUINCTIL. I, 4, 6. *Interiora velut hujus sacri aduentibus apparebit multa rerum sublimitas, quae non modo acere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem & scientiam possit.* III. Graeca & Latina linguae non possunt recte addisci, ut non multa simul discas, quae sint pars eruditionis. Qui intelligere Demosthenem & Ciceronem voluerit (ne de scriptione & sermone dicamus, quae ex intellectu illo demum oriri possunt) illum egregie multarum rerum disciplina eruditum esse oportet, quod ipse cursus harum praelectionum docebit. IV. Eloquentia vero s. facultas de rebus

omnibus bene dicendi plane est gradus magnus eruditionis ; quin ipsa loquens sapientia. Rerum enim simulacra quaedam sunt cogitationes , cogitationum verba imagines. Tanto veriores cogitationes , quanto sunt rebus aptiores, tanto pulchriora verba , quo accuratius cogitationes illas pingunt. In hoc differunt magister linguae vulgaris , & rhetor philosophus , quod ille rerum vulgarium appellationes & formulas quotidianas docet , hic de rebus omnibus apte , & ut decet , & cum dignitate dicere. Sed quia verba rebus attemperare non potest , nisi rerum peritus , hinc apparet ne cogitari quidem posse orationem pulchram aut bonam rebus cassam aut male congruentem. Picturae enim omnis vis & pulchritudo est in similitudine. Vid. ISR. THEOPH. CANZII *Oratoria scientiarum familiae toti cognata, s. rationis & orationis arctissimum vinculum. Tübingae 1735. 8vo. G.*

†) ( Recte *quorundam*. Nam fuere viri quoque sapientes multi v.g. VOSSIUS pater , GRONOVIVS pater , GRAEVIUS , quibus non debet obesse dissimilium plane hominum superbia & fastus. Est in litteris ut in nobilitate , divitiis , pulchritudine. Bonos viros , moderatos , sapientes in summa eruditione non exuisse modestiam , exemplis constat his & magnis aliis , cum intolerabili fastu multo iis minores vel Grammatici vel ICTI , vel cuiuscunque alterius professionis homines ( nullum enim vitae genus liberat a stultitia ) elati aliis odio & contemptui fuerint. Interim hic commemorandus est Ioach. Fortius Ringelbergius , qui in libello *de ratione studiorum* p. 82. extr. *Postremo* inquit ( post Arithmetica , Astronomiam , Graecam Linguam ) , *animus adiunxi ad curam Latine ac polite scribendi , cuius gloria inter humanos conatus omnes summum tenere locum videtur*

## II.

*Hujus cautionis ratio.*

Quemadmodum enim sententiae , quamvis eruditissimae , quodammodo vilescunt †) , si genus orationis sit spinosum ††) , exile , ieiunum , languidum , enervatum , incultum : ita nimiae illae orationis veneres omnem sententiarum vim ac gravitatem infringunt , ac prorsus effeminant \*).

†) ( Immo saepe ne intelliguntur quidem : quod etiam de altero membro valet. Lepide CANZIUS in praefatione ad libellum

lum supra laudatum prius horum , quae reprehenduntur hic , vitiorum , vocat *sapientiam odiosam* , posterius *stultitiam amabilem*. G.)

††) ( Epitheta haec orationis sunt metaphorica. *Spinsum* , difficile , asperum , propter vocabula & coniunctiones vocabulorum. *Exile* , ubi nihil sonorum etc. *Ieiunum* idem fere. G.)

\*) Quantum ergo interest inter feminae sordes , meretricium fucum , & cultum matronalem : tantum oratio barbara , sophistica , & casta inter se distant. Vid. M. ANT. MAIORAGII *laudata oratio* p. 272. Praeclara sunt , quae hanc in rem scripsit QUINCTILIANUS *instit. orat.* 5 , 12 , 20. ubi de nimis illis orationis venerebus , & uti eleganter SYNESIUS vocat , *περι των λόγων , διατιθέντων εν ηδονη τα μειρακια* , ita iudicat : *quapropter eloquentiam licet hanc ( ut sentio enim , dicam ) , libidinosam resupina voluptate auditoria probent , nullam esse existimabo , quae ne minimum quidem in se indicium masculini & incorrupti , ne dicam gravis & sancti viri ostendet.* ( Comparaverat vitiosam eloquentiam cum pulchritudine Spadonis. Forma viros neglecta decet. Ceterum hoc ipsum scire , quae sint *nimiae Veneres* , quid *spinsum* , quid *exile* etc. non nisi eius est , qui consuetudine atque usu subactum habeat harum rerum iudicium , in quo caput est , ut tum ipsarum rerum naturam , tum propriam vim vocum atque significationem bene inspexerit. Quod ipsum quomodo consequamur , per partes iam declarabitur. G.)

## III.

Recte proinde ac praeclare decorum Latinae orationis habitum nobis ob oculos posuit ille elegantiarum pariter ac nequitiarum arbiter †). PETRONIUS \*) : *Grandis* , inquit , & , *ut ita dicam* , *pu dica oratio non est maculosa , nec turgida , sed naturali quadam pulchritudine exurgit.*

*Stilus quisnam vere elegans?*

†) ( Observetur lusus in cognomine T. PETRONII. G.) [ Cui occasionem praebuit Tacit. XVI. 18. 3. ubi commemoratur Petronius *Neroni assumtus elegantiae arbiter*. N.]

\*) *in Satyr. cap. 2.* ( cuius verba peculiari commentatione prosecutus est III. VERGERUS in prooem. lib. *de naturali pulchritudine orationis* p. 8. seq. Et p. 11. speciatim ostendit , *maculosum esse varium , pictum* , etc. ut est vestis morionis : *turgidum* indicat excessum magnitudinis & sublimitatis. G.)

## IV.

An possit doceri?

Quamvis vero ad adsequendam pudicae illius ac castae orationis facultatem permultum faciat ingenii ubertas assiduaque exercitatio : ratio tamen procul dubio fugit eos , qui eloquentiae laudem omnem in quodam ingenii atque exercitationis genere unice esse ponendam , neque eam arte ulla obtineri ( certe adiuvandi G.) posse , arbitrantur \*).

\*) Fuit in hac sententia Q. TULLIUS CICERO , Marci frater , ut patet ex hujus *de orat. Lib. I, 2.* a quo tamen ipse frater hac in re merito suam seiungit sententiam. ( In progressu operis hanc sententiam tuetur Antonius , praeceptis & arti parum relinquens. Omnis scilicet haec disputatio versari videtur in lite de vocabulo artis , ut praeclare apud Cic. de Orat. I, 23. p. 107. sqq. observat iis , qui Deus in dicendo putatus est CRASSUS. Dignus est locus , qui totus , licet longior , hic legatur. *Primum* , inquit , *illud respondeo , mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri , sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. Nam si ars ita definitur , ut paullo ante exposuit Antonius , ex rebus penitus perspectis , planeque cognitis , atque ab opinionis arbitrio seiunctis , scientiaque comprehensis ; non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, & ad vulgarem , popularemque sensum accommodata omnia genera huius forensis nostrae dictionis. Sin autem ea , quae observata sunt in usu , ac ratione dicendi , haec ab hominibus callidis , ac peritis animadverta , ac notata , verbis designata , generibus illustrata , partibus distributa sunt ( id quod fieri potuisse video ) : non intelligo , quamobrem non , si minus illa subtili definitione , at hac vulgari opinione , ars esse videatur. Sed sive est ars , sive artis quaedam similitudo , non est quidem ea negligenda : verum intelligendum est , alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora. Tum Antonius vehementer se assentire Crasso dixit , quod neque ita amplecteretur artem , ut ii solerent , qui omnem vim dicendi in arte ponerent , neque rursus eam totam , sicut plerique philosophi facerent , repudiaret. Idem CRASSUS lib. II , 57. p. 232. Artem esse eloquentiam negat ; sed observatio quaedam est , inquit , earum rerum , quae in dicendo valent : quae si eloquentes facere possit , quis esset non eloquens ? Clausulam huic observationi imponant haec*

TUL-

TULLII verba de Inv. I. 6. *Minimum est de arte loqui : multo maximum ex arte dicere. G.)*

## V.

Omnis vera pulchritudo in iusta partium proportionem †) , aptoque earundem nexu ac dispositione sita est. ( vel in consensu dissimilium quatenus ille placeat. G.) Haec omnia autem ( pleraque saltem G.) quum regulis quibusdam certis atque indubiis describi possint : consequens sane est , ut & eloquentia arte constet ( iuvetur G.) , certaue adeo possint ostendi cultioris Latinitatis fundamenta \*).

Id quod demonstratur.

†) ( Symmetriam vocamus , cum extrema sunt similia , medium dissimile. Commensuratio etiam in corporis humani pulchritudine spectatur , & quaesita est a PETRO LAURENBERGIO in libro , quem ita inscripsit , *Pasicompe nova , sive pulchritudinis delineatio accurata & copiosa* ; in primis quoque ab IO. SIGISM. ELSHOLTIO in eius *Anthropometria*. Huc referenda etiam est magna pars operis Dureriani *de Symmetria partium. G.* ) [ Quin , positam esse pulchritudinis vim in partium convenientia , observavit iam antiquissimus Philosophus Timaeus Locrus *de anima mundi* fin. p. 564. ed. Gal. Amst. N. ]

\*) Sic quum absoluta aedificiorum pulchritudo , quam vocant architecti , quae per se & necessario omnibus , etiam architecturae ignaris placeat , in tribus potissimum consistat , teste VITRUVIO I, 2. in *symmetria* , seu conveniente partium consensu , *materiae excellentia* & in *ἀνισότη* seu *exacta membrorum singulorum elaboratione* , nulla autem res accuratioribus regulis constet , quam *συμμετρία* , utpote in quibus magna geometriae pars versatur , & reliquae pulchritudinis partes : nemo dubitat , quin architectura possit doceri. ( Ita tamen ut ingenio & exercitationi multa debeantur. Verior sententia sic videtur posse comprehendi. 1. Sine praeceptis ad fastigium perducta est facultas dicendi. 2. Ex praestantissimis exemplis demum ars formata. 3. Facilius aliquis sine praeceptis , sola exercitatione eloquens fuerit , quam contra. 4. Praecepta tamen minime contemnenda. Nam a ) iuvant intellectum pulchri & observationem dirigunt. b ) ordinem quendam exercitationis praescribunt. c ) ad iudicium de suis aliisque scriptis ferendum prosunt. G.)

A 4

VI.

## VI.

*Accedere tamen oportet ingenium & exercitatio.*

Attamen simul exiguntur ingenium felix \*) , & exercitatio in legendo scribendoque diuturna \*\*) , quibuscum si coniungas praecepta adcurata , tum vere locum habent illa CICERONIS \*\*\*): *Quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae ; tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet existere.* (Ingenium φῶς , fundus ; μάθησις , disciplina , semen ; ἀσκησις , exercitatio , cultus reliquus. G.)

\*) Ad eloquentiae studia qui apti aut inepti sint , cum cura inquit MELCH. IUNIUS *Method. eloqu. III. IV. p. 9. s.*

\*\*) Hinc CICERO *de Orat. I, 33.* STILUM optimum & praestantissimum dicendi effectorem & magistrum vocat.

\*\*\* ) CICERO *pro Archia cap. 8.*

## VII.

*Quotuplicia sint stili elegantioris fundamenta ?*

Cogitanti autem de genuinis elegantioris stili fundamentis , ad duo potissimum mihi videtur respiciendum. Illa enim demum elegans viroque eloquente digna videtur oratio , quae & verbis selectis ac bene compositis , & sententiis praeclaris constat. Verba enim , quantumvis nitida , nisi gravis subsit sententia , vanam potius loquentiam , quam masculam eloquentiam arguunt \*).

\*) Bene CRASSUS apud CICERONEM *de Orat. I, 12.* *Quid est enim tam furiosum , quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis , nulla subiecta sententia nec scientia.* Hinc QUINCTILIANUS in *prooemio Instit. orat.* totus in eo est , ut ostendat , fuisse haec olim quemadmodum iuncta natura , sic officio quoque copulata , ut iidem SAPIENTES atque ELOQUENTES haberentur. Scidisse deinde se studium , atque inertia factum esse , ut artes esse plures viderentur : nam ut primum lingua esse coeperit in quaestu , institutumque eloquentiae bonis male uti , curam morum eos , qui disertis habiti sint , reliquisse , eam vero destitutam infirmioribus ingenii veluti praedae fuisse. Ex hoc artium discidio quid nasci oportuerit , nemo non videt. Philosophia enim eloquen-

quentiae nudata ornamentis , in siccum & spinosum disserendi genus ; eloquentia , philosophiae subductis praesidiis , in inanem & enervem verborum abiit. Sic demum *semel corruptae eloquentiae regula stetit , & obtinuit* , uti conqueritur PETRONIUS in *Satirico cap. 2.* (Verborum plane alia vis non potest intelligi , quam ut sint signa cogitationum , ipsarumque adeo rerum. Itaque pulchra sunt in tantum , in quantum rem ipsam expriment. Sonora cum vocantur , illud solum intelligitur , sonum illum pertinere ad intellectum eorum iuvandum. G.)

## VIII.

Iustam verborum (flexionem , & G.) compositionem *Grammatica* docet , sententias necessarias suppeditat *Philosophia* : easdem denique apte disponit atque exornat *Rhetorica*. Unde trium generum sese nobis offerunt elegantioris stili fundamenta , GRAMMATICA , RHETORICA , PHILOSOPHICA \*). Et in his omnibus prima pars huius opusculi versabitur.

*Pars huius opusculi prima.*

\*) (Philosophica fundamenta vel ex systemate & libris , vel ex ipso rerum usu hausta esse possunt : quaedam tamen philosophiae ratio , ut illa , quae scholastice ubique demonstrat , & pueriliter , quae dicta sunt , omnia repetit itendidem , potius avocet a stilo cultiore. Verbo philosophia hic non est sceleton praeceptionum Metaphysicarum & Logicarum , sed nihil eo nomine aliud intelligitur , quam solida rerum , de quibus dicere velis , cognitio , undecunque tandem illa hausta sit. [Copiosius haec disputat. Ven. ERNESTI in praefatione *Initiorum rhetoricorum. N.*] Quaerat autem aliquis forte , cur a Grammaticis initium fiat , cum naturae magis congruens videatur , a rebus , a Philosophia initium fieri ? Respondetur α) haec difficilior pars est , & longa exercitatione opus habet β). Ab initio opus est in alienis cogitatis exerceri , ut ea ipsa ratione cogitare sanum quiddam ipsi discamus. Ceterum , qui scribere vult , ille primum de materia cogitet necesse est , vel propria vel aliena. G.)

## IX.

Quum vero varia sint scriptionum genera , aliisque in *epistolis* , aliis in *orationibus* , aliis in *dialogis* & *satiris* , aliis denique in aliis scribendi generibus exigatur orationis habitus : de singulis istis scriptionum generibus parte secunda praecipiemus.

*Item secunda.*

## X.

*Nec non ter-  
tia.*

Denique quum supra etiam exercitationem in ad-  
piscenda elegantioris stili facultate utramque paginam  
facere ostenderit: postrema hujus opusculi parte de  
optimorum auctorum lectione atque imitatione, va-  
riisque stili exercitationibus nonnulla aut proletaria mo-  
nebitur.

PARS

PARS I.  
DE GENERALIORIBUS  
TERSÆ LATINITATIS  
FUNDAMENTIS.

CAPUT I.

*De fundamentis stili Grammaticis.*

I.

Quamquam non temere quisquam studia tam cruda  
in academiam proferre debeat, ut ne prima quidem  
illa linguae Latinae elementa animo imbiberit, adeo-  
que in re quodam nostro ab eiusmodi rerum tractatio-  
ne abstinere posse videamur: attamen, quum multa  
in vulgaribus grammaticorum libellis negligi, multa  
etiam perperam doceri \*) soleant; pauca quaedam,  
& quae prae ceteris necessaria videbuntur, observa-  
bimus. Neque enim negligenda sunt minora, sine quibus  
maiora constare haud possunt \*\*).

*Quaenam hic  
intelligentur  
fundamenta  
grammatica?*

\*) (Si non praeceptis, quae plerumque certe satis bona ho-  
die, at exemplis: cum perverse loquantur & scribant saepe,  
etiam qui aliis exempla debent. Ceterum, quod juvenes etiam  
ingeniosi & boni hac parte; id est negligenda Grammatica,  
peccant, eius rei has fere causas comperiet, qui attenderit. a)  
Haec res prima libertatem naturalem ademit pueris. b) Ple-  
rumque procreavit alias quoque molestias. c) Difficile autem  
est seiungere notiones & praeceptiones ita olim coniunctas. Vid.  
Praefat. Grammaticae Cellarianae Gotting. 1740. ubi calamita-  
tem fundi litterarii, quae maxime inest in perversa ratione do-  
cendi, descripsimus, &, quomodo ea averti possit, indicavi-  
mus.



mus. Breviter Grammatica tractari non debet a puerulis aut tironibus omnium rerum rudibus, sed ab iis, qui usu ipso iam aliquantulam linguae facultatem consecuti sunt. Hoc ipsum est, quod ii sibi voluerunt, qui Grammaticas scripsere stilo Latino, eo nimirum docuerunt, non esse tractandas ante usum aliquem linguarum: hoc deinde bonis viris vitio datum perverse. Commendabiles autem sunt Grammaticae maiores & philosophicae, VOSSII *Aristarchus*, PERIZONIUS ad SANCTII *Minnervam*, GE. HENR. URSINI *institutiones linguae Latinae plenissimae*, Grammatica *Marchica*, & IO. CONR. SCHWARTZII. De cetero ad Grammaticam non minus quam ad ius & omnes litteras applicari potest vox cuiusdam de Theologia, *Uleiscitur contentum sui. G.*

\*\* ) [ De Grammatica valent, quae HIERONYMUS de elementaria institutione *ep. VII. ad Laetam* scripsit: *Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Quae verba haud scio an in animo habuerit Auctor noster, ista cum scriberet. Ita gravissime quoque iudicat magnus ERASMUS Ep. IV, 7. p. 271. G. ed. Lond. Grammatica tametsi nonnullis disciplinis est dignitate posterior, nullius certe opera magis necessaria. In minimis versatur, sed sine quibus nemo evasit maximus: nugae agitat, sed quae seria ducunt. Nec sine idonea causa CASSIODORUS Variar. lib. IX, 21. Grammaticorum, dicit, schola est fundamentum pulcherrimum litterarum, mater gloriosa facundiae; quae cogitare novit ad laudem, loqui sine vitio. Et paucis interiectis, Est Grammatica magistra verborum, ornatrix humani generis etc. Hinc summi omni tempore viri hanc artem serio amplexi sunt & coluerunt diligentissime. CAESAR in castris, sub pellibus, illam non neglexit, sed ornavit magno studio. CICERONI tanquam illius patrono libros suos, quos de hoc argumento composuerant, inscribere idem CAESAR Dictator (Gell. XIX, 8.) & Romanorum doctissimus VARRO. Vere WOWER. de Polym. XIX. fin. haec studia dixit non tantum philosophos aucteres, sed Dictatores, Imperatores & Consules Romanos, Reges, & Principes vindices & cultores habent. Sumitur hic quidem more maiorum Grammatica sensum laxiore, ita tamen, ut haec pars comprehendatur vel maxime. N.]*

## II.

Prima grammatices pars ORTHOGRAPHIA est, de qua post ALDUM MANUTIUM (primum G.), DAUSQUAEJUM (copiosissimum G.), CELLARIUM (commo-  
dissimum G.), SCHURZFLEISCHIUM (& quem hic sequi-

In orthographia quaenam cavenda?

quitur plerumque NORISIUM G.), nonnulla praecipimus, quae praecipue observanda existimamus iis, qui sunt elegantiae studiosiores. Quemadmodum enim & hic adfectatio fugienda est: ita nec omnia sibi permittunt adcuratiores \*).

\*) Recte enim observatum est a QUINCTILIANO *Instit. orat. I, 5. alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo: quia, quod male scribitur, male etiam dici necesse sit.* (Fontes Orthographiae Latinae, vel externi vel interni. *Externi a*) libri MSS. sed rarissimi ultra aetatem barbaram ascendunt. *b*) Lapidum litterati & tabulae aeneae. *c*) Numismata. *Litula Gudii & Spanhemii salutaris litteris, cum pepererit nobis praeclara utriusque opera. Interni, intra ipsam nempe Grammaticam. a*) Derivatio e Latinis vel Graecis. (§. IV. \*) *b*) Analogia. *c*) Proodia, quae v. c. docet *praeceps* scribendum esse non *praeces*, etc. G.)

## III.

Adfectionis notam vix effugiunt, qui singulare sibi fingunt scribendi genus, quod vel non est publici †) saporis, vel aliis harum lautitiarum parum gnaris crucem figit \*). (certe nauseam movet. G.)

In vitio ponitur orthographia adfectata.

†) (Apud PETRON. 3. laudis est, sermonem habes non publici saporis. Sed nempe publicum hic est vulgare, commune, quod quisquis potest. G.)

\*) Non probandi itaque,

I. qui in scribendo omnem euphoniā negligunt, scribentes, v. c. CONLEGA pro collega, CONRUIT pro corrui. (Fundamentum huius scripturae sunt codices Heinsiani Virgilii & aliorum poetarum a sciolis potius, ut videtur, pravisque Grammaticis scripti, quam fideliter ex autographis translati: quod monumenta reliqua indicant & Grammatica Graeca. De IN tamen ante liquidas, res in utramque partem est dubia, sed magis tamen probem, qui mutant in sequentem, & v. c. scribunt illustris, non inlustris, etc. G.)

II. qui archaismos studiose consectantur, veluti HEIC pro hic, SEINE pro sine, (Forte SEIVE pro sive G.) PLOSTRUM pro plastrum, (Suet. l. VIII. c. 22.) COTTIDIE pro quotidie, (Vid. tamen QUINCT. I, 7, 6. G.) Etiam si enim haec & similia in vetustis monumentis legamus: non tamen hodie Evandri matri escribimus, sed nostrae aetatis hominibus. Et si saeculum

nostrum non fert Plautina: AULA pro *olla*; VOLGO pro *vulgo*, vel Lucretianum: TERRAI pro *terrae*, & similia: cur illis non minus obsoletis delectemur? Sane & *orthographia consuetudini servit, ideoque saepe mutata est*, ait QUINCTILIANUS *Instit. orat. l. I. c. 7.* (Antiquatam illam orthographiam Catonis, Plauti, Terentii, Varronis, ad Analogiam quandam & regulam revocavit Cl. PONTEDERA *notis posterioribus ad Catonem de R. R.* quas exhibet mea editio p. 1282. sq. & paullo copiosius *Epist. I. & 2. G.*) Nec ferendi.

III. qui ipsi sibi analogiam fingentes, ad eam receptam ubique scribendi rationem refingunt, & hinc scribere malunt (cum SCIOPIO G.) SCRIBSI, quam *scripsi*, LABSUS, quam *lapsus*. Multa enim, quae analogia admittit, plane repudiat usus, quem penes non modo loquendi, sed & scribendi arbitrium est. Quis ferret scribentem LEGTUM pro *lectum*? & tamen illud a LEGO est. (Ita NECLEGO pro NEGLIGO dicere amat POLITIANUS; & GATACKERUS u omittit ordinarie post Q, secutus puto LICINIUM CALVUM apud MARIUM VICTORINUM p. 2456. G.) Haud minor eorum quoque *κακοζήλια* est.

IV. qui vetera signa reiciunt, novaque suo fingunt arbitrio. Sic multi Graeca vocabula sine accentibus & spiritibus scribunt (in quo delitescere nonnunquam studet ignorantia G), in Latinis contra recipientes lineolas quasdam, accentus, circumflexos, v. c. *απειραφην*, *επιστημη*, *longè*; *penitus*, *Musá*, *véstrám*. At accentus tamen & spiritus Graecorum iam a multis saeculis recepti, suisque inclusi sunt regulis, qui Latinis vocabulis adpingi solent, ludi magistrorum debentur industriae, nec ullam iustam habent rationem. (Considerari tamen meretur QUINCTIL. I, 7. pr. de apice. Hoc apparet, syllabas longas iam tum apice signari solitas, sed credo in usum puerorum. G.)

## IV.

Omnia sibi permittere videntur, qui nullam plane vel linguae ipsius \*) , vel antiquorum monumentorum \*\*) , in scribendo habendam esse rationem existimant.

\*) Peccant itaque, qui etymologiae nullam habent rationem. (quam praeclarissime exsecutus est in Etymologico vossius, thesauro harum rerum G.) CONVICIUM scribunt adcuratiores, non *convitium*, est enim quasi *convocium*. l. 15. §. 4. *D. de iniuriis & famosis libellis.* (conf. Interpret. ad Phaedr. I. 6, 5. Eadem ratione libros suos *quotidiano convicio* efflagitatos

cs-

esse dixit QUINCTILIANUS in prologo ad Tryphonem bibliopolum. G.) Prostant hanc ULPIANI etymologiam FESTUS, & apud eundem NONIUS; quamvis hic in libello de proprietate sermonis *convicium* dictum velit, quasi *e vicis iocum*: LAURENTIUS VALLA autem a *con* & *vilium* vel a *con* & *vita*. Vetus glossa *convicium καταβόσις*. Erudite ULPIANI *ετυμων* defendit MENAGIUS *Ancenit. iur. civ. cap. 39. p. 273. seq.* HERES magis placet eruditibus, quam *haeres*; est enim ab *herus*. (Sed repugnat modus Syllabae prioris, quae in *haeres* longa est, brevis in *herus*. G.) Ita & CUIACIUS *Observat. V. 10.* MENAGIUS vero p. 327. id vocabulum deducere mavult a Graecis *χῆρος*, *χῆρα*, *χῆραξ*, *χῆρηξ*, *heres*. Utrumvis eligas, scribendum erit HERES, non *haeres*. Addantur tamen, quae de his similibusque etymologiis, in iure nostro traditis, disputant AEGIDIUS MENAGIUS in *Ancen. iuris civ. cap. 39. v. c.* CAROLUS ANDREAS DUKERUS in *Opusculis de Latinitate veterum Ictorum*. Talia qui negligunt, satis ostendunt, parum sibi curae esse scribendi *ἀκριβειαν*.

\*\*) Distinguenda tamen cum cura sunt monumenta vetera, (numos intellige & inscriptiones, ex quibus hodie tantumdem fere discitur, quam ex libris. De unoquoque genere commendabo tria opera, parvum, maius & maximum. I. a) CHRYSOST. HANTHALER *Exercitationes faciles de numis veterum pro tironibus*. Norimb. 1735- 41. 4. Pars I- III. Adcuratissimam plerumque scribendi rationem sequuntur numi, ut recte docuit EZECH. SPANHEMIUS *de usu & praestantia numismatum, diss. II. p. 82.* Ast in marmoribus saepe aberrant indocti lapididae, atque opifices semigraeculi. (Nempe litterati opifices fere erant ex Graecia. G.) Quis enim scriberet SCAENA pro *scena*, TEMPTARE, pro *tentare*, EPISTULA, pro *epistola*? Et tamen haec passim leguntur in lapidibus. Deinde in marmoribus vetustissimis multa exstant, quae passim emollivit elegantior aetas. Unde frustra esset, qui ex columna illa rostrata DUILII orthographiae petere exemplum sustineret. Sane iam sua aetate in multis mutatam esse veterem scribendi pronunciandique rationem, (quoniam quandiu vivit, lingua mutatur. G.) exemplis quibusdam demonstrant CICERO in *Orat. 48.* & QUINCTILIANUS in *Institut. orat. lib. I. cap. 7. lib. IX. cap. ult.* (Ex quibus locis & multis aliis Grammaticorum praesertim veterum intelligimus, non tantum veterem pronunciandi rationem funditus fere interiisse apud nos, sed multa etiam in Orthographia immutata, quae magnos tamen auctores habent. G.) Ex quibus omnibus sane colligimus, e monumentis antiquis numos praefereandos esse lapidibus: ex his vero eos, qui aurea aeta-

aeta-

*Nec laudanda  
tamen nimia  
negligentia.*

aetate positi sunt, antiquissimis & recentioribus; publico autem clarorum virorum nomine scriptos privatis, & a vulgo positus, esse ante habendos. Idem etiam dicendum de orthographia, quae in codicibus mssc. observatur. Sunt ex his quidam antiqui, quidam saeculo nono recentiores. Illi partim emendati, partim inemendati. Unde saepe sub calcem legas: *contuli, emendavi, recognovi*. (Sed hanc ipsam formulam cum reliquis describere solebant etiam librarii ineptissimi, imperitissimique. Quare non simpliciter fides haberi illis potest. G.) Vide FONTANINI *Vindic. diplom. cap. 3. §. 7.* Horum & ex antiquis pauciores sunt. Nam plerique scripti a librariis indoctis, qui bibliopolis operas locaverant, & de quorum oscitatione conqueruntur STRABO *lib. XIII. p. 419.* & GELLIUS *Noct. Attic. lib. VIII. cap. 20.* (mssc. codices optimi quoque Latini quantum ad accuracionem vix comparandi editionibus etiam vitiosis: sed ob id ipsum, quod habuere scribas imperitos, fide digni sunt, ubi recte. Hoc etiam valet de Virgilianis Codicibus, Vaticano, studio Io. Bottari 1741. f. & Florentino per Pe. Fr. Fogginium 1741. 4. editis. Meliore fortuna usi sunt libri Graeci, plerumque nacti scribas non illitteratos, interim quam varie etiam hi corrupti fuerint descriptique vitiose iam olim, videre potest, qui vult, & in rem praesentem venire apud Galenum, qui libros quosdam Hippocratis interpretatus multa observavit, quibus usus est Io. Clericus in arte Critica P. III. S. I. C. 6. sqq. G.)

## V.

Regulae orthographicae quae triplices?

Observandae ergo quaedam regulae, tum de *litteris*, earumque *mutatione*, tum de *abbreviatione & divisione vocum*, tum de *ipsis vocabulis*, quibusdam, quae perperam vulgo scribuntur.

## VI.

Quid observandum in litteris maiusculis?

Ad litteras maiusculas quod attinet, in iis scribendis eo tutius veterum sequimur scribendi rationem \*) , quo certius constat, antiquos vix aliis, quam characteribus maiusculis \*\*) esse usos.

\*) Ex veterum itaque monumentorum contemplatione hae fere colliguntur regulae.

I. *Cavendae sunt formae litterarum, quarum nullum in antiquitate exstat exemplum.* Tales sunt litterae J vel Ƴ pro I, U pro V, Æ pro AE. (Hoc ita esse ostendunt praecepta Gram-

ma-

maticorum de diaeresi & synaeresi, de *pariete, abiete* trisyllabis ect. G.) U enim littera ex Gothico characterē est, ut patet ex MABILLONIO *de re diplomatica* I, II, 4. p. 47. Reliquas formas typhetae invenerunt. AE vel OE quamvis in numis quibusdam contrahantur ob spatii angustiam, in iisdem tamen numis etiam AD. AL. ANT. AR. VAL. aliaque in unum contrahuntur, quae tamen nemo temere imitaturus est. Vid. CELLARII *Orthogr. Lat. p. 18. 19.*

II. *In litteris maiusculis una littera altera maior haud esto.* Si ne exemplo ergo scribitur AUCTOR, IOANNES, multoque magis ridiculum est, si omnia vocabula a litteris maioribus aspiciuntur, e. g. DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM. Id quod nonnullos diligenter observare video. (Bibliopolis, eorumque de pulchritudine notioni, quam haurire ipsi ab emporibus solent, interdum hic aliquid eruditi tribuunt. Et qui ni? G.) Ast solebant tamen veteres duplex I plerumque contrahere in I maximum, & hinc scribere DELCITO, SULPICI. Quin & I quantitate longum reliquis characteribus grandius pingi consuevisse novimus. Hinc illa CAPTIVI, pro CAPTIVI, LUDIS, pro LUDIS & similia. Prius quam aetate Augustea paene perpetuum fuisse doceat HENR. NORISIUS *Cenotaph. Pis. pag. 473.* sine adfectione & nobis aliquando imitari licebit.

III. *Maiusculae litterae minoribus non sunt miscendae, nisi initio, vel orationis, vel periodi, vel nominis proprii.* Unde falluntur, qui omnia substantiva litteris maiusculis distinguenda putant, scribentes v. c. *Tollebat Plumas Aura volitantes. Pinnaeque per Maria Spuma torquebat.* (Angli omnem emphasisin, etiam in adiectivis aut verbis adeo, maiusculis indicant. G.) Nec adeo necessarium est, ut tituli honoris scribantur litteris maiusculis, veluti *Rex, Princeps, Dominus.* Quamquam enim non nihil dandum sit opinioni saeculi, elegantius tamen scribes REX, PRINCEPS, DOMINUS. Quod & tunc observandum, si compellendi sint viri illustres; tunc enim elegantius scribes TE, TUI, VIR, ILLUSTRIS, quam mixto scripturae genere, *Te, tui, Vir, Illustris.* CELLARII *Orthogr. p. 76. seq.* Adfectionem tamen & hoc redolet, si in adiectivis gentium nomina designantibus a litteris maiusculis abstineas, scribasque *germanicus, graecus, francicus*, pro *Germanicus, Graecus, Francicus.* Sunt enim & haec nomina propria. (Cum totum hoc discrimen sit institutum recentioris, utamur ea in re ratione eorum, quos probari videmus, cum libertate, & in alios, qui aliud sequuntur, modestia, cum nihil sit putidius, quam serio de talibus contendere, aut lauram petere ex hoc mustaceo. G.)

B

At-

\*\* ) Attamen non semper maiusculis vel uncialibus litteris usi sunt Romani, sed minutis etiam nonnumquam, forma tamen a reliquis parum distantibus. Saeculo sane quarto minores litterae adparent in marmore Romano, quod exhibet MABILONIUS in *Supplement. libri de Re Diplomat.* p. 114. & RELANDUS in *Fastis Consularibus* p. 342.

ANIMAE INNOCENTI  
GAUDENTIAE  
QVAE VIXIT AN. V. M. VII. D. XXI.  
IN PACE.

Mercurius pater filiae d. iv. id. Novembris  
Vrso et Polemio Coss.

Vides hic exemplum minuscularum litterarum iam saeculo quarto adhibitaram. Ursi enim ac Polcmii consulatus incidit in annum Christi cccxxxviii.

## VII.

In minusculis litteris, quae in uncialium locum celerioris scripturae causa succenturiatae sunt, pauciores observandae sunt regulae \*), quas itidem veluti per lancem saturam exhibebimus.

\*) Tales sunt, quae sequuntur.

I. *Cavendae* & *hic formae litterarum a typhotis sine necessitate inventae*, qualis est j pro i. Scribendum ergo *iuvo*, non *iuvo*, *adiicere*, non *adjicere*. Formam enim illam j ignorant monumenta vetera, eamque solis debemus typographis.

II. *In diphthongis ae vel oe ordinaria separatim ponuntur vocales, rarius contrahuntur.* Antiquissimi codices non minus ac diplomata vetusta saepius praefereunt *ae*, quam *a*, ceu observarunt HERMAN. CONRINGIUS in *Censura diplom. Lindau.* p. 316. & MABILONIUS *de re diplomat.* II, 1, 11. p. 58.

III. *Littera v ab initio, u in medio & fine litterarum rectissime adhibetur.* Scribendum ergo *vt*, pro *ut*, *iuvo*, pro *iuvo*, *vua*, pro *uva*. Veteribus enim non alia nota erat figura litterae illius, quam *v*. Quoties autem illa in medio vocabulo occurre-

bat,

bat, eam lineola iungebant litterae sequenti & inde nata figura *u*. Sane hanc scribendi rationem primos illos elegantioris litteraturae vindices adcurate servasse, & novum admodum esse illud *u* vocalis, & *v* consonantis discrimen, editiones auctorum vetustiores satis evincunt. (Sic etiam CELLARIUS, FREINSHEMIUS, BOECLERUS, BOSIUS & Itali plures. G.) Multo recentior quoque forma *u*, qua hodie multos sine discrimine uti animadvertimus, sive illa littera vocalis sit, sive consona, sive initio vocis, sive in ejusdem medio occurrat, e. g. *unde*, *ualde*, *uulnus*. Suum cuique pulchrum. Sed talia fere exemplo carent, & *καυζυλια* redolet adfectatum istud novitatis studium. (Quin usum esse ea ratione Ios. Scaligerum, manus ipsius testatur, qui semper u minusculum, semper maiusculum V facit. Sic princeps Typographorum Iensonius, sic Aldus, Stephanus ect. Typographi Galli, Angli, Belgae, in splendidissimis antiquorum editionibus u vocalem, & consonantem v faciunt. G.)

## VIII.

Sunt & regulae communes litteris maiusculis & minusculis, quarum tres hic potissimum dabimus, prae reliquis accurate observandas \*).

*Quid in utrisque communiter?*

\*) Priores regulae ad litteras Graecas; ultima ad litteras in compositione vel mutandas vel retinendas pertinent.

I. *Litterae Z. Θ. K. T. Φ. X. Graecorum propriae, adeoque non nisi in vocabulis origine Graecis adhibendae sunt.* Male ergo scribitur *AUTHOR*, *LETHUM*, *THUSCIA*, *ANTHONIUS*, *KALUMNIA*, *SYDUS*, *TYRO*, *HYEMS*, *STYLUS*, *LACHRYMA*, *SEPULCHRUM*, *CHARUS*, pro *auctor*, *letum*, *Tuscia*, *Antonius*, *calumnia*, *sidus*, *tiro*, *hiems*, *stilus*, (Neque tamen *κύλον* ignorant Graeci G) *lacryma*, *sepulcrum*, *carus*. Conf. CICERO in *Orat. cap. 48.* Ob *εὐφωνίας* tamen *eb* admittunt *pulcher*, *inchoo*, quae & CICERO probat *loc. cit.* (Nec minus ibidem eximuntur huic regulae *triumphus*, [de quo tamen vid. Cellar. Orth. p. 4. N.] *Cethegus*, *Karthago* ect. G.)

II. *Aspiratio post R nusquam locum habet, nisi in vocabulis origine Graecis.* Hinc recte dicitur *RHODUS*, *RHETOR*, *PYRRHUS*, sed male *Rhaetia*, pro *RAETIA*, *Rhemi*, pro *REMI*. Constant tamen etiam numi & lapides habent *RHENUS* & *RHODANUS*. (Nempe a Graecis observata & relata in litteras haec nomina ante acceperant, quam ipsi adirent. G.)

III. *Ubicumque non repugnat euphonia \**, in compositione retinenda consonans ultima praepositionis: alias consona vel praepositi-

B 2

tio-

*Quid in minusculis?*

tionis, vel ipsius vocis mutatur. Hinc recte dicitur ADGREDIOR, (ADSSERTOR, in numis apud Spanh. p. 129. G.) ADSIGNO, EXSPIRO, EXSILIUM \*\*): quum contra *κακοῦνδία* redoleant illa: *adscipio, conlega, adgnosco, obgannio*, & quae sunt huius generis alia.

\*) (Illud de euphonia iudicium nimis lubricum, & tironibus certe minime permittendum. Vid. *Adsum* in Stephano thesauro meo. Itaque praestat primo auctoritatem sequi, v. g. boni lexicis, aut ipsius huius libelli, aut Cellarianae orthographiae, quo viro nihil fuit modestius, cautius, castigatius. Nempe cum totum hoc nitatur auctoritate antiquitatis, hanc autem observavit Cellarius. Quod hodie *obcurrere, subficere* & similia placent editoribus Belgis, facile aliis eorum meritis conceditur. Ceterum deberi ista Grammaticis sequioris aevi, & analogiae ipsi Graecorum & Latinorum esse adversa puto. G. [Conf. omnino BERGERUS *de natur. pulchr. orat. p. 237. sq. N.*]

\*\*\*) Non placet haec forma MAFFEO, qui in erudita *praefatione*, HILARII *operibus* Veronae c1510cccxxx recensis *praemissa pag. 3.* orthographiam antiquam commendans, addit: *Nolim tamen urgeatur haec regula undequaue, ita, ut etiam EXSILIUM scribere teneamur, quamvis quibusdam e veteribus grammaticis edicentibus.* Enimvero quum & veteres grammatici edicant, & in monumentis optimis ita scribatur vocabulum, & eius etymologia ab *ex* & *solum* hanc formam ferat, & vix ferendus videatur, qui scribendum existimet EXENATOR pro EXSENATOR; non video, cur in exsiliium agi oporteat EXSILIUM, scribendumque sit EXILLIUM.

## IX.

A vocibus abbreviandis maxime in minuscula scriptura, quantum fieri potest, abstinere eruditi \*) , qui & operam dare solent, ne male vox quaedam dividatur \*\*).

\*) Veteres Romani in uncialibus litteris multa abbreviare solent. Nam ut VALERII PROBI, MAGNONIS, aliorumque libellos *de Notis* praetermittamus, notum est, IANI CRUTERI & THOMAE REINESII *Inscriptionibus* subiectum esse indicem litterarum singularium, quae integras voces designant, qualem etiam ex lapidibus SERTORIUS URSATUS; ex numis confecit HUBERTUS GOLZIUS. (Ille Ursati relatus est, bonam certe partem, in thesaurum meum Stephanianum. Satis plenus est etiam catalogus Ursinianus, quem addidit Institutionibus suis

pls

plenissimis, [plenior etiam is, qui subiunctus est Nieupoor-tiano libro, in quo ritus Romani explicantur, lexicis item quibusdam minoribus. N.] Sic scribere solebant PR. pro *Praetor*, S. P. Q. R. pro *senatus populusque Romanus*, LUB. pro *lubbens*. Ast in scriptura minuscula recte & ordine facies, si omnia sine abbreviatione exscripseris. (Ita Cellarius pag. 15. *Et*, & *q3, q;*, & p. 69. *Et*. improbat, scribendumque plene suadet *et, que, et cetera*. Huc etiam pertinent *resp. ICtus*, & alia, pro *res publica, iure consultus*. Angli habent *viz* pro *videlicet*. G.) Neque tamen reiciendae sunt abbreviationes praenominum Romanorum, quae & veteres vix umquam, nisi vel una littera, vel binis, vel pluribus scribere solebant. Sic una littera exprimuntur praenomina: A. id est *Aulus*, C. id est *Caius*, D. id est *Decimus*, L. id est *Lucius*, M. id est *Marcus*, M' id est *Manius*; duabus: C. N. id est *Cnaeus*, S. P. id est *Spurius*; cet. tribus: SEX id est *Sextus*, cet. Sed accuratorem horum praenominum indicem dedit, quotque litteris exprimi consueverint, ostendit CAROLUS SIGONIUS singulari *de nominibus propriis Romanorum* libello, qui subiunctus est commentario ipsius in fastos Romanos. (Sic M. D. L. apud nos praenominum aut cognominum vicem subeunt; ita I. V. D. G.)

\*\*) Locum hic habet regula, quam probavit etiam QUINCTILIANUS *Institut. oratoriar. lib. I. cap. 7. ita dividendae sunt voces, quemadmodum id patitur earum origo & compositio*. Alias enim in simplicibus & primitivis vulgaris syllabarum ratio obtinet. Sic recte dividitur ARU-SPEX, dicitur enim a *spectando*: ABS-TEMIUS, est enim a *temeto*. Ita & AB-IGO, [ABS-CONDO, ABS-TRAHO, N.] SUS-CIPIO, ET-IAM, NEG-OTIUM, (non enim compositum est ex *nego*, sed ex *nec* & *otium*, ut ex *nec lego*, quomodo etiam scribit Politianus, fecerunt *negligo* G.) POT-EST. Hinc facile patet, PROD-IT esse a *prodeo*, PRO-DIT a *prodo*. (De *d* epenthético in *pro-d-it, pro-d-est, re-d-amo, re-d-it, se-d-itio* etc. potest dubitari, eadem enim ratio est, quae in Gallorum *y a-t-il*. Sunt igitur, qui *d* illud referant ad syllabam priorem, sunt qui ad sequentem, cum illis tamen facit Cellarius Orth. p. 68. Alioqui iubent ad sequentem syllabam referri quot litterae iungi possunt & solent ab initio. Itaque scribendum est *o-mnis, ro-strum*, quia *mn* & *str* ab initio occurrunt v. c. in *Mnemon, strenua*, etc. G.) [Igitur cum hic magnus sit Grammaticorum cum veterum, v. c. Quinctilianum, Caesellium apud Cassiodorum *de orthographia*, etc. tum recentiorum consensus, & haec regulae certa nitantur ratione: non est quod nos moveant, magnopere vel Iul. Caes. Scaligeri auctoritas, solam prononciationem, cum tamen vera

Quid in abbreviationem vocum?

& antiqua illa interierit, consulere & sequi iubentis *de Caus.* L. L. c. 4. vel risus elegantissimi alioquin Falsteri, qui exprodit has leges in *Cogitationibus variis philologicis* III. 4. p. 173. sq. Studeamus ergo accurati esse, sed ita, ut non minus modesti simus aequique erga alios, qui hic non tam ignorantia, quam libertatis studio paullo sunt negligentiores. N.]

## X.

Vocabula integra parum emendate a multis scribuntur, maxime nomina propria †), quae, si antiqua sunt, merito ad vetusta monumenta, tamquam ad Lydium lapidem exigenda sunt \*).

Nomina propria multa vulgo perperam scribi solita.

†) (Hoc non tantum ad nomina propria, sed ad omnia in universum nomina pertinet: nisi quod appellativa analogia & frequentior usus magis custodivit. G.)

\*) Falso ergo vulgo scribitur *Aemilius*, pro AEMILIUS, (Licet enim sit Graecae originis hoc nomen, ductumque ab αμιλιος, tamen usu factum est Romanum, Romani autem non agnoscunt Graecorum *v* in vocabulis, quae sua civitate donarunt, sed ubique substituunt propriam litteram I. G.) *Aenobarbus*, pro AHENOBARBUS, *Brundisium*, pro BRUNDISIUM, *Carthaginensis*, pro CARTHAGINIENSIS, [quod in primis poetae docent, N.] *Adrianus*, pro HADRIANUS, *Annibal*, pro HANNIBAL, *Maecenas* vel *Mecenas*, pro MAECENAS, (Μαικίννας G.) *Mauritius*, pro MAURICIUS, *Heliogabalus*, pro ELAGABALUS, *Nicanor*, pro NICATOR, *Paulus*, pro PAULLUS; *Scaevola*, pro SCAEVOLA, *Ptolomaeus*, pro PTOLEMAEUS, de quo vide sis ea, quae monuit HENRICUS STEPHANUS *de usu Graecae linguae* p. 97. editionis, quam mox nitidiorem, & observationibus doctissimis IO. HENR. KROMAYERI, viri in his litteris eximii, & cuius praematurum discessum merito luget res publica litteraria, auctam, daturum speramus clarissimum FREDERICUM GUILIELMUM ROLOFFIUM, tanti magistri vestigia pleno gradu prementem. [Quod factum est *Halae* 1736. N.] Plura nomina propria ex numis & marmoribus integritati suae restituit EZECHIEL SPANHEMIUS *de usu & praestantia numismat. dissert. II. pag. 83. seq.* (Sic docuit in numis legi *Helvius*, non *Aelius* Pertinax, *Postumus*, non *Posthumus*, etc. Propria nomina tanto corrupta facilius, quod analogia, atque etymologia minus illis succurrunt G.)

## XI.

## XI.

Denique nec omittenda alia quaedam vocabula, quae perperam a plerisque scribuntur, quorum brevem indicem e prolixiore CELLARII dabimus \*), ne in his nimis videamur critico indulgere supercilio.

Nec non alia vocabula.

\*) In recensendis vocabulis perperam plerumque scriptis tota pars posterior orthographiae CELLARII occupatur. Potiora tantum hic notasse sufficet.

ALUCINARI scribendum est, non *hallucinari*. Est enim ac a luce aberrare. Videatur FESTUS POMPEIUS voce *alucinatio*, & GELLIUS *Noct. Attic. lib. XVI. cap. 12.* Dubiae originis hoc verbum est, quod alii ab *hallus* vel *hallux*, GELLIUS ab ἄλλειν, alii aliunde arcessunt. Sunt qui distinguenda putent *hallucinator* & *alucinator*: sunt, quibus haec συνώνυμα videntur. Mihi se probant illa ISAACI VOSSII *ad Catullum* p. 90. *dicuntur* *allucitae* vel *alucitae a privativa particula a. vel ab. et luceo, unde et alucinatori, vel allucinatori, quasi ablucinatori. quidam dici existimant. Pari ratione aves nocturnas ulucos veteres vocarunt. PHILOXENI Glossae: νυκτικόραξ, ulucus, bubo. Sed & SERVIUS ad VIII. Eclogam, ululae aves ἀπό τῆ ὄλλοξαι, id est a fetu nominatae, quas vulgo ulucos vocant. Sic lege, non ulucos, ut vulgo.*

ANCORA scribendum, non *anchora*. Est enim ea vox a Graeca ἀγκύρα.

ACCERSO vetus & genuinum est, pro quo male vulgo scribitur *accereso*. CELLARII *Orthograph. Lat.* p. 76. CORTIUS ad SALLUST. p. 250. 251. (AR pro AD ponebant etiam in *Arvorum*, *Arvehere*, *Arfuisse*. Sicut R & D alternant in *Meridies* pro *Medidies*, *Auricula* pro *Audicula*. Vid. ad CATO. c. 135. G.)

AUCTOR semper olim scribebant veteres, & recte quidem, quia ab augendo dicitur. [Dioni ἀυκτορίτας. Verbum *augere* vero late patet, dicunt *augere* aliquem consilio, honore, commodis, damno, liberis *augeri* ect. G.] Unde spuria sunt illa *author* vel *autor*, quae recentioribus sunt in deliciis, quamvis posterius paullo sit tolerabilius, & forma *artus* pro *arcus* defendi quodammodo possit. Vide HENR. NORISIUM in *Genotaphia Pisana*.

CAELEBS antiquum & genuinum est, pro quo male hodie scribunt *coelebs*. Attamen & hoc in marmore est apud GRUTER. p. 10LXXXVI.

CAERIMONIA, non autem *ceremonia*, scribunt veteres. (Sic *benivolus*, *malivolus*: i nimirum adhibetur ad composita forman-

da, ita *pillicrepus*, *coenipeta* ect. G.) Neque aliam scribendi rationem fert vocis origo, tradita a VALERIO MAXIMO *Hist. I, I.*

CAMARA scribendum esse, non *camera*, docuit v. cl. PETRUS BURMANNUS *ad PETRON. p. 112.*

COMISSARI scribendum esse, non *commesarii*, vel derivatio docet. Est enim a Graeco *κῆμος*. Vide FESTUM voce *comissatio*.

FEMINA, pro quo vulgo *foemina* scribitur, sed falso. Est enim a femine dictum. Id vero sine diphthongo scribi, ex FESTO discimus. In lapidibus sane fere semper scribitur FEMINA. Vide GRUTERI *Inscript. p. ccclviii. & ccclxxx.* (Nempe ex FEO obsoleto cognatoque Graecorum *φῆμα* est fetus, secundus, femē, femus etc. G.)

INCREBESCO veteres codices habent. Unde perperam vulgo scribunt *increbresco*. Accedit analogia. Quemadmodum enim a *ruber* fit RUBESCO, ab *acer* ACESCO, (Certius est a *macer* MACESCO G.) ita a *creber* CREBESCO. Exceptio tamen est in *niger*, a quo fit NIGRESCO, [ut ab *aeger* AEGRESCO, a *pulcher* PULCHRESCO etc. Analogia igitur non defendit hanc scripturam, & sunt quibus magis placeat altera, v. c. Voss. *Etyml. Lambin. & Torrent. Horat. S. II, G. 93. N.*]

IN DIES, IN PRIMIS, IN POSTERUM divisim scribunt veteres. Perperam recentiores conjunctim *indies*, *inprimis*, *inposterum*. Multo minus ferenda illa *imprimis*, *imposterum*. (Hoc nempe fluit ex coniunctione. G.) Vere enim haec sunt duo vocabula.

LACRIMA fere semper praeferunt vetera monumenta. *Y* in hac voce non temere reperies. Non raro tamen veteres scribunt LACRUMA. Et sane quum procul dubio haec vox a Graeco *δάκρυον* \*) descendat, non multum referre videtur, utram adhibeas litteram, modo constanter eamdem scribendi rationem teneas. Vide OBERTI GIFANII *Praefat. in LUCRECIIUM*. [Lacrumae an lacrimae, maximus an maximus, & si quae similia sunt, scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradit Caesarem per *I*, eiusmodi verba solitum esse enunciare & scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam. Sed ego in antiquiorum multo libris, quam Caius Caesar est, per *V* pleraque scripta invenio etc. Verba sunt Annaei Cornuti, apud CASSIODORUM *de Orthographia. Conf. I. G. BERGER de naturali pulchritudine orationis p. 412. N.*]

\*) (Ita ex *Ὀδυσσεὺς* factum est *Ulixes*, mutato *δ* in *I*. Nempe distinguenda sunt derivata antiqua a recentioribus. In illis sibi plus indulgebant; documento esse possunt *Catamitus*, *Hercules Cocles*, Enique *Burrhus* & *Bruges*, quae sunt

sunt Graecorum *Γανυμήδης Ἡρακλῆς κῆμος*, *Πυρρὸς*, *Φρυγῆς*. G.)

LAPICIDINA scribendum esse, non *lapidicina*, cum Etymologia docet apud VARRONEM *de lingua Latina VII, 33.* tum marmor apud GRUTERUM *pag. IocLXXXIII, 8.* (Accedit Analogia, ut enim *homicida* dicitur, sic *lapicida*. G.)

LITTERA cum duplici T semper (certe frequenter, G.) habent libri veteres, & lapides apud ALDUM MANUTIUM *Orthogr. p. 8.* & SPONIUM *Miscellan. Erud. Antiquit. p. xxxvi.* (Sed cogitandum tamen, optimos etiam libros litteras non geminare. G.)

LITUS contra simplici T semper exaratur in marmoribus & codicibus. CELLARI *Orthogr. p. 104.*

MAENIANA, non *moeniana*. Vide ASCONIUM *ad CICERONIS Divinationem in Caecil. c. 16.*

OBSCENUS secunda vocali scribendum esse vel inde patet, quod a Graeco *σκηνη* descendit, VARRO *de lingua Latina VI, 5.* Unde male vulgare *obscoenus* pro OE tuetur SCALIGER *de causis Lat. Linguae I, 34.*

PAENE per AE habent libri veteres & marmor apud GRUTERUM *p. IocLV.* Unde recentiori scribarum consuetudini debetur *paene*. Solebant enim hi medio aevo diphthongum illam vel simplici E. vel certe E caudato (e) exprimere. Videatur CONRINGIUS *Censur. Diplom. Lindau. p. 316.* MABILLONIUS *de Re Diplom. II, I, II. p. 58.*

PATRICIUS cum C, non cum T, scribendum. Sane ita constanter legitur in marmoribus & Graecis scriptoribus, quibus semper placet forma *πατρίκιος*. (Eadem ratio TRIBUNICI & similia. G.)

POSTUMUS frequenter legitur in numis & marmoribus; rarissime *posthumus*. Adspirationem quoque ex hac voce excludi, iam dudum iussit EUTYCHES *Grammat. 2311.* & recte. Est enim superlativus a comparativo *posterior*. Quod adeo verum est, ut id negare non possint & ii, a quibus *posthumus* a *post* & *humatus* esse dicitur. Diversa enim esse vocabula existimant *postumus*, quod idem sit ac *postremus*, & *posthumus*, quod sit *μετὰ θάνατον πατρός γεννηθείς*. Sed ne id quidem verum est. Mortuo enim parente natus ideo *postumus* dicitur, quia eius liberorum *postremus* est. Vidit hoc, qui antea in alia omnia iverat, magnus CUIACIUS *Observat. III, 4.*

(PULCHER cum adspiratione probat CIC. *Orat. c. 48.* ex usu populi. G.)

SAECLUM cum diphthongo. Ita numi & lapides. Nec primae syllabae quantitas permittit, ut hoc nomen cum vulgo grammaticorum a *senex* vel *sequi* derivemus.

SEORSUM, non *seorsim*. Est enim a *se* & *vorsum*. CELLARII *Orthogr.* p. 146.

SOLLEMNIS, non *solemnis* aut *solemnis*, est enim a *sollo* (i. e. solido) & *omni*. Vide CORTIUM *ad SALLUST.* p. 151.

SOLLERS & SOLLICIPUS duplex L. postulant. Utrumque enim est ab *Osca* voce *sollo*. Vid. FESTUS in voce *solitaurilia*, & CORTIUS *ad SALLUST.* p. 163. (Cum non temere gemina-verint litteras antiqui librarii, orthographia talium incertior est. G.)

STRATEGEMA, non *stratagema*. HENR. STEPHANUS *de abusu Graecae linguae* p. 96. edit. *Roloffianae*. (Est enim *στρατηγημα*.)

TORUS sine adspiratione, non, ut vulgo malunt, *thorus* cum adspiratione. Vid. CELLARII *Orthogr.* p. 152.

TRICESIMUS & VICESIMUS. Ita veteres libri, non *vigesimus* & *trigesimus*, quae merito proscribit DAUSQUEIUS. Sane ut a *viginti* & *triginta* dicitur *vicies*, *tricies*, *viceni*, *triceni*, ita & merito dixeris *tricesimus* & *vicesimus*. (Sic *quingenti*, *quadringenti* ex *centum*. Nempe G & C alternant, antiquius est C, ut *pucnandod* pro *pugnando* etc. G.)

## XII.

Sed sufficere haec arbitror de orthographia; similia enim facile quisque suo Marte observabit. Ad ETYMOLOGIAM †) quod attinet, illud praecipue cavendum est, ne vel aliena, vel peregrina vocabulis tribuatur significatio \*). Id quod tamen in vulgaribus dictionariis fit frequentius, quam quisquam crediderit.

†) (Quinct. I, 6, 28. *Etymologia*, quae verborum originem inquirat, a Cicero dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelem invenitur *ὑποβόλον*, quod est nota: nam verbum ex verbo ductum, id est *veriloquium*, ipse Cicero, qui finxit, reformidat (Top. 8.). Sunt qui vim potius intuiti, originationem vocent. Hac in re ex antiquis magna fuit Varronis diligentia, cuius consilium fuit ludendo docere, hunc emendarunt Scaliger & Vossius, nam fuit saepe ineptus, certe minus felix. G.)

\*) Plura eiusmodi vocabula, quibus peregrina adfingitur notio, cum cura collegit CELLARIUS in *Antibarbaro III.* p. 155. Ea huc transcribere esset supervacuum. Neque enim quisquam nitidioris stili studiosior carere praecclaro illo opusculo potest. Addi tamen meretur FRANCISCI VAVASSORIS *de vi & usu quorundam verborum, cum simplicium, tum coniuventorum*, tractatus, quem cum notis una cum eiusdem auctoris tractatu *de ludicra di-*

In etymologia alienae vocum significationes cavendae.

*dictione* recudi curavit v. cl. IO. ERHARDUS KAPPIUS, Lipsiae MDCCCXXII. 8. Acutissimus quoque in genuina vocum significatione eruenda, profligandisque notionibus spuris fuit vir incomparabilis IO. FRIDERICUS GRONOVIVS, & adhuc hodie est vir magnus, quem honoris causa nomino., PETRUS BURMANNUS, ex quorum notis & operibus ille CELLARII catalogus maxime poterit locupletari. (Amplissima collectanea dedit IO. FRID. NOLTENIUS in *Lexico L. L. antibarbaro*, quod habet Indices 1 Orthographicum, 2 Prosodicum, 3. Etymologicum priorem merito suspectorum, & 4 posteriorem falso suspectorum, & Syntacticum. Editio secunda libri utilissimi prodiit cum MOSHEMII praefatione Lips. & Helmst. A. 1744. 8. mai. Plures ejus generis libri infra recensentur C. II. §. 4. Sed nusquam maiorem vim talium observationum reperies, quam in *Fabiano eruditionis scholasticae thesauro*, cuius altera GESNERI editio prodiit Lipsiae 1735. f. Et si quid etiam hic desit, iam in eo est, ut suppleatur, edendo *novo Thesauro Linguae Latinae* ad modum & filium Stephaniani iam paene ad umbilicum perducto. G.) [Prodiit Lipsiae 1746. IV. Voll. f. N.]

## XIII.

Deinde illud quoque haud suaserim, ut vocabula, quae ab omni analogia abhorrent, admittantur \*). Recte enim dictum est a IULIO CAESARE apud GELL. I, 10. & MACROB. I, 5. G.) *tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum \*\*)*.

*Abstinendum etiam a vocabulis, quibus analogia repugnat.*

\*) Multa eiusmodi finxit barbara scholasticorum & glossatorum turba, quae deinde a lexicorum scriptoribus veluti civitate donata sunt, licet ab ipsa Latinae linguae indole plane abhorreant. Nos quaedam duntaxat exempli loco recensere. Sic

E CONTRA hodie vulgare est: (c. 2. §. 6.) non autem sic olim loquebantur veteres. Neque analogia permittit, ut praepositio regat adverbium. [Immo favet analogia huic compositioni, nam *contra* proprium non est adverbium, sed praepositio; antiquos autem geminasse praepositiones docent *inante*, *exante*, *postante*, *abante*, *deante*, (in lapidibus) *exadversum*, *circumcirca*, *circumsecus*, *praeterpropter*, *ecirca*, *incoram*, *superante* etc. de quibus vid. AUS. POPMA *de usu ant. locut.* I, 14. GUNTERI *Lat. restit.* P. II. 141. etc. Sit vero adverbium. Quid tum? Praepositiones, si non regunt adverbia, cum iis tamen iunguntur, & *contra* eodem modo formatum esset, quo *deinde*,



de, proinde, exinde, abhinc, antehac, posthac, adhuc, persaepe, dererpente etc. Cautius infra cap. 2. 6. E praepositionem adverbis iungi solere negat, sed repugnat *Exinde*. Ut adeo etiam hic, uti alias saepe, mater fuisse barbarie videatur analogia, si barbari sunt, Servius, Priscianus, aliique Grammatici antiqui, sed nimirum requiritur maior auctoritas. N.] Allegant vulgo pro hoc vocabulo TACIT. *Annal. XII, 47.* sed locum illum in mendo cubare animadvertit IO. FRID. GRONOVIVS. Veteres habent CONTRA, vel CONTRA EA, quod apud CORNELIVM NEPOTEM occurrit. Immo & E CONTRARIO occurrit apud TACIT. *Hist. I, 27. & 88. II, 5. III, 54.* Fieri potest, ut quum in codice aliquo legeretur per abbreviationem E CONTRA. pro E CONTRARIO, librarius indoctus id pro integro vocabulo acceperit.

EXTRINSECUS & INTRINSECUS adiectiva non minus, quam adverbia EXTRINSECE & INTRINSECE plane absurda sunt. Quis enim adverbium *secus*, unde haec vocabula sunt, in adiectivum transformet, aut aliud inde fingat adverbium *sece*? Quare adverbia sunt *extrinsecus*, & *intrinsecus*, adiectiva: *exterior*, *interior*.

PIENTISSIMUS veteribus auctoribus ignotum, in solis occurrit lapidibus apud GRUTER. *Inscript. pag. ccccxxviii, 1. ccccxxxi, 4. cccclxvi, 5. cccclxv, 8. lxxvi, 9. lxxviii, 10.* UXORATUS pro *marito* vulgus dicit, sed contra analogiam. (Quin hac forte se tucatur. Quidni fingi possit aeque ac *maritatus*, *maritatus* a *maritus*. Sed deest auctoritas bona & idonea. G.)

Dubium est, an in hunc censum referenda sit vox vel voces potius IN PRAESENTIARUM, de quibus dubitat CELLAR. *Antibar. p. 123. & cur. poster. p. 178.* defendente huius vocis analogiam V. C. IAC. PERIZONIO ad SANCTII *Minerv. 2, 3, 8. p. 168.* Id certum, insolentis formae vocabulum veteribus non ignotum fuisse, adeoque auctoritate se tueri. At aliter sentit SCIOPP. *iudic. de stilo histor. p. 99.* ubi hanc loquutionem, tamquam lutulentam reiicit: quasi ea non usi essent scriptores optimi, CATO, FANNIVS, NEPOS, TACITVS, & ex argentea aetate APVLEIVS & MINVCIVS FELIX. Ut analogiae non adversari hanc formam, ostendat SANCTIVS, in genitivo iunxisse veteres, existimat, PERIZONIUS vero potius per ellipsin vocis tempore exponit. Sed scire velim, quid sit *tempus praesentiarum*. Fateor, me nondum intelligere loquutionis istius analogiam. (Legitur etiam apud CATONEM de R. R. 144. 4. Peculiaris est de ea disputatio GODEFR. HECHTII *Viteb. qua tamen a sententia se dimoveri non passus est PERIZONIUS. Ce-*

te-

terum argumentum ab analogia non est exceptione maius. Sunt solitaria & singularia, bona tamen. Sunt analogia & tamen malae notae: quin analogia mater fecundissima barbarismorum. Interim de hac voce conf. infra ad cap. II. §. 6. fin. G.)

\*\* ) (Praecipit haec Caesar in libris, quos de Analogia Grammatica scripsit: post quem neminem harum rerum pudere debet aut poenitere. Pulcherrime Quintil. 1, 12. *An ideo inquit minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit, & in filio recte loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Caesaris fregerunt editi de analogia libri? G.)*

## XIV.

Parum quoque accurati sunt, qui in declinatione nominum ac pronominum, verborumque coniugatione aberrant. Quum vero nemo ignoret declinationum & coniugationum paradigmata: licebit nobis quaedam tantum, quae vulgo negliguntur, observare \*).

*Nec peccandum in fluctendis vocabulis.*

\* ) Observationes aliae criticae sunt, (v. c. de origine & derivatione declinationum e Graecis: quartam esse contractam ex tertia: etc. cuius generis multas exhibent Scaliger de causis L. L. Vossius, Grammaticaeque Perizoniana & Schwarziana. G.) quae huc non pertinent, aliae vere grammaticae, minime negligendae in elegantiore latinitate. Tales sunt, quae sequuntur.

I. AMBO & DUO accusativum pluralem masculinum apud meliores auctores, non *ambos* & *duos*, sed *ambo* & *duo* formant. CIC. *epist. ad divers. VII, 25. Praeter duo nos epist. VII, 29. duo parietes dealbare. epist. ad Att. VII, 29. Vos duo delegi. epist. V, 8. Quos quidem ego AMBO unice diliga. VIRGIL. Georg. IV, 88.*

*Verum ubi ductores acie revocaveris AMBO. At Aeneid. XI. v. 285.*

*Si duo praeterea talis Idaea tulisset.*

Conferri merentur IO. FR. GRONOV. ad Liv. XXXV, 21. & GRAEVIUS ad Sueton. Claud. XIV. Ita & alii aureae aetatis scriptores loquuntur, veluti SALLUST. de bell. Jug. c. 21. qui AMBO reges adeant. Et c. 28. filium, & cum eo DUO familiares ad senatum legatos mittit. C. 102. DUO quam fidelissimos ad eum mitteret. VARRO de re rust. lib. I. c. 18. DUO villicos, & l. III. c. 1. DUO libros.

(Sic *Domi* non est Genitivus, nisi localis ad quaestionem *ubi?* ut *domi meae* etc. Hunc in censum veniunt etiam eae obser-

ser-

servationes; quae, ut ita dicam, pertinent ad elegantiam Latinitatis obseletam. Antiquis, ut hoc utar, Dativi & Ablativi plurales in *abus* non semper observantur, occurrunt apud optimos scriptores *natis*, *diis* etc. pro *natabus*, *deabus*. Sic apud illos frequentes sunt Nominativi & Accusativi in *is*, ut *pluris*, *omnis*. Notandi etiam Dativi quartae Declinationis in *vi*. Ita casu secundo Tullius quoque *senati* pro *senatus* dixit in *Caecil.* 5. 19. & *senati consultum Epist. ad div.* V, 2. fin. etc. G.)

[Porro non video, quo jure vel praecipiant quidam Grammatici recentiores v. c. Schwartzius p. 154. *Gentilium Adiectivorum* Sextum casum per *e* proferre; vel scribant non pauci, e. g. in *codice Lipsiense*, ex *bibliotheca Dresdense* etc. cum repugnent non analogia tantum, (pari enim passu ambulant cum adiectivis, quorum neutra in *e* exeunt), sed consuetudo etiam antiqua, cuius exempla haec sunt: *Hirtii de bello Hispaniensi liber. De colonia Narbonensi. Cic. de or.* II, 55. *Mutinensi acie. Suet. Aug.* 12. *bello c.* 84. & *rhet.* I. *Philippensi acie. Aug.* 91. *bello c.* 29. *Hor.* I. N.]

II. Quoties post *si* vel *ne* sequitur *quis* pro *aliquis*: toties servanda est declinatio pronominis *aliquis*. CICERO pro *Archia cap.* I. *Si qua exercitatio dicendi: non si quae exercitatio.* [Hoc observandum etiam est in Plurali. CIC. *Amic.* 7. *Si qua praeterea sunt.* pro *Arch.* 5. *Quaere argumenta, si qua potes.* N.]

III. Verbum REVERTOR apud meliores auctores, veluti CICERONEM, CAESAREM, LIVIUM, praeteritum active format, *revertit*, *revertorunt*, *revertisse*. *Reversus est* primi dixere ASCONIUS PEDIANUS, PHAEDRUS & VALERIUS MAXIMUS. Immo & TACIT. *Annal.* XII, 21. *non sum dimissus ad te, sed REVERSUS.* Utraque forma verbi in usu fuit, REVERTO & REVERTOR, uti *diverto* & *divertor*, *praeverto* & *praevertor*, *quamvis* forma neutra in praeteritis; deponens in praesenti & temporibus inde formatis sit frequentior. Optimum tamen est participium REVERSUS. (*Reversus est* iam habet NEPOS 2, 5, 2. it. HIRTIUS de *B. Hisp.* 13. G.) Vid. CELLAR. *Antibarb.* p. 151. & *cur. poster.* p. 167. (Optime sibi consulunt, qui laborem perlegendi boni Lexici, quale est Fabrianus Thesaurus, & novus ille Gesneri, non defugiunt. Sic enim fiet, ut nihil temere sit observatione dignum, quod illos fugiat. Ut hoc lubentius faciant homines, data est opera, ut exempla ponerentur ob sententiam, historiam, descriptionem, iocum etc. iucunda. G.)

## XV.

In particulis dici non potest, quanta sita sit linguae

Nec in particularum usu.

guae Latinae elegantia. Hic vero ad earum tantum significationem & usum respicimus \*).

\*) Praeclarus de *particulis Latinae Linguae* exstat libellus HOR. TURSCELLINI accessionibus haud contemnendis locupletatus a IAC. THOMASIO & a IO. CONR. SCHWARTZIO, *Lipsiae c1510ccviii.* & *c1510ccxviii.* 8. & *c1510ccxxxiii.* 8. (re-cusus idem & auctus *c1510cccli.* cura Vener. ERNESTI. Sunt & de eadem re ADAM. DUKERI, GODESCH. STEWECHII & PHIL. PAREI libelli. GUNTERUS quoque pleraque habet. G.) Nos de-nuo quaedam exempli causa monebimus.

I. COMMUNITER non idem est ac vulgo; sed indivisim, CICERO pro *S. Rosc. Amerin.* 37. *Iste Roscius omnia cum Chrysgono communiter possidet.*

II. HACTENUS & ADHUC ita differunt, ut illud de loco, hoc de tempore adhibeatur. CICERO *epist. ad Att.* XIII, 21. *Sed haec hactenus.* Et *ad divers.* V, 10. *Caesar adhuc de meis supplicationibus non refert.* NEP. *Miltiad.* 5. *Qua pugna nihil adhuc nobilius.* *Hactenus* tamen pro *adhuc* est apud TACIT. *Agric.* 10. *Dispecta est & Thule, quam hactenus nix & hiems abdebat.* CELLAR. *cur. post.* p. 407. (Passim ita recentiores. Nempe loci & temporis notiones valde sunt analogae. G.)

III. IUXTA non idem est ac *secundum*. Perperam itaque dicunt: *iuxta Homerum*, *iuxta divinum oraculum.* [Ad vegetam L. L. senectutem nunc huius praepositionis usum refert FUNCCIUS p. 1231. exempla afferens Solini, Nazarii, Hieronymi. N.] Rectius dixeris, *iuxta* modo praepositionem, modo esse adverbium, idemque notare, ac *prope*, *post*, *aequali modo*. Hinc dicitur: *supultus iuxta viam Appiam.* NEP. *Attic.* 22. *Aestum hiememque iuxta ferens.* POMPON. MELA I, 19. *Litteris Graecis & Latinis iuxta eruditus.* SALLUST. *Bell. Jugurt.* 95. Hinc dicitur etiam *iuxta hac*, *iuxta atque*, *iuxta cum*. Exempla collegit IAC. PERIZON. *ad SANCT. Minerv.* I. p. 102.

IV. QUAMVIS non promiscue usurpandum pro *etsi*, *tametsi*, *licet*. Est enim contractum ex *quantumvis* \*) atque hinc iis demum locis recte ponitur; ubi solvi in has voces potest. VIRGILIUS *Ecolg.* II. v. 16.

QUAMVIS ille niger; QUAMVIS tu candidus esses. Id est, *quantumvis niger*, *quantumvis candidus.* SANCT. *Minerv.* III. p. 352. (Notari potest diversa constructionis ratio. In QUAMVIS & ETSI modus pendet ex sententia certa vel incerta: post LICET semper ut intelligitur etc. G.)

\*) Negat hoc v. c. PETRUS BURMANNUS *ad Phaedr. lib.* I. *fab. XVIII.* p. 60. Et sane dicere iam malim, compo-

si-

sitam esse particulam ex *quam & vis: quam autem idem esse ac quantum*, ut in illis: *quam essem occupatus, quam velit sit potens: Hic, quam velit, Epicurus iocetur.*

V. QUANDOQUE non est *nonnunquam*, ut credere nos iubent vocabularia, sed *quandocumque*. SANCT. *Minerv. III. p. 497. IO. FR. GRONOV. ad Liv. I, 34. Add. BURM. ad Petron. p. 683. & VAVASOR de vi & usu quorundam verb. voce quandoque*, ubi eleganter docent, *quandoque* non modo idem esse ac *quandocumque*, sed & aliquando pro *quando*, *quoties*, *quotiescumque*, *si quando*, *tunc quum accipi*: veluti in illo HORATII *de arte poet. 359. de Choerilo.*

*Quem bis terque bonum, cum risu miror, & idem*

*Indignor, QUANDOQUE bonus dormitat Homerus,*

id est, *si quando (vel quandocumque G.) dormitat.* [Proverbiorum nempe & sententiarum studium huius corruptum ut multorum locorum sensum. Exemplo sit illud Terentianum *Heaut. I, 1. 25. Homo sum; humani nihil a me alienum puto. N.*]

VI. QUOD & UT quomodo differant, pauci norunt, etiam qui in usu harum particularum non aberrant. Respicendum est ad comma antecedens, quod quoties sequentis causa est, vel esse saltem debebat, toties ponendum est UT. Sin minus: vel QUOD, vel *accusativus cum infinitivo*. Recte ergo dicitur apud PLINIUM *epist. I, 1. Frequenter hortatus es, ut epistolas, si quas paullo curatius scripsissem, colligerem.* Causa enim, cur colligeret, debebat esse hortatio. Recte etiam dicitur: *tanta in me exstant merita tua, ut ingrato mihi vivendum moriendumque videatur.* Causa enim, cur ingrato moriendum sit, est magnitudo meritum. Contra ea dicendum: *spero, cum sibi haud dissimilem futurum.* Spes enim non est causa, cur ille sui similis futurus sit. Ex quibus sane patet, quam falso vulgo dicant: *sequitur quod.* Veteres enim semper hic usurpare solent UT. Vid. CIC. *Paradox. III. & de fato 12.* (Notanda sunt tamen ista: CIC. *pro Rosc. Am. 41. f. 121. Non est verisimile, ut Chrysofonus horum litteras adamavit; & Verr. IV, 6, 12. Verisimile non est, ut ille homo tam locuples, religioni suae pecuniam anteponeret. G.*) [Ita etiam LACTANTIUS *de ira 10, 44. Quem locum laudavit iam HEUSINGERUS ad NEP. Hannib. I, 1. ubi similis verborum constructio. Si verum est, ut populus Romanus omnes gentes virtute superavit.]*

VII. (Maior etiam corruptela regnat circa usum Coniunctionis QUOD, ubi accusativus cum infinitivo postulabatur. Quid disputatum sit de hac re, & quid de singulis, quae proferuntur, exemplis sentiam, expositum est peculiari disputatione Fabriano thesauro a me intexta. Hic teneamus modo illud:

Iud: a) Distinguenda esse verba *affectuum quorundam a verbis omnium sensuum dicendi & significandi.* Illa possunt post se QUOD habere, sicut nimirum etiam QUIA; haec non possunt.

## XVI.

Nulla in re facilius labuntur tirones, quam in SYNTAXI. Quum vero nostrum haud sit, regulas, quae in libellis grammaticorum omnibus habentur, repetere: sequemur & hic institutum nostrum, & de vitiosa syntaxi \*) animadversiones quasdam subiiciemus.

*Cavenda denique falsa syntaxis.*

\*) Tales sunt quae sequuntur, observationes:

I. EVADERE ante & post se habere nominativum, recte observant grammatici. At multi tamen elegantius se dicere putant: *tu evades in virum doctum.* Notanda ergo regula: EVADERE nominativum personae, & accusativum rei cum praepositione IN postulat, id est, si de persona loquimur, nominativo opus est: si de re, accusativo cum praepositione IN. LIVIUS I, 39. *Iuvenis evasit indolis regiae.* CIC. *in Bruto 35. T. Albutius perfectus Epicurus evaserat.* TERENTIUS *Adelph. III, 4. Haec licentia evadet in aliquod malum.* Nimirum EVADERE proprie notat terminum, ad quem quid pertingit, uti recte observavit CORTIUS *ad Sallust. de bell. Jug. c. 14. p. 472. & c. 52. p. 652.* Unde non modo cum praepositione IN, sed & cum adverbis ad locum iungitur. SALLUSTIUS *Jug. c. 14. Huccine, Micipsa pater, beneficia evasere?* TERENTIUS (*Eun. III, 3, 11. Sermonem quaerere: ubi friget, huc evasit. Phorm. IV, 3, 21. Quid hic coepit? aut quo evadet hodie? G.*) *Andr. I, 2. v. 4. Heri semper levitas, verebar, quorsum evaderet.* Ubi DONATUS: *ad quam partem erumperet. Et evadere est, per quamcumque difficultatem ad aliquid pervenire.* (Sic evadere in murum, in summum, in fastigium. Nempe E in compositis saepe motum versus altiora notat, ut *eminere, emergere, eniti, escendere, existere* etc. G.)

II. Genitivum adsciscunt verba aestimandi. Sed iis perpetuo vulgo accensetur verbum CURO. Nihili ergo est phrasidis: *parvi hoc curo*, pro qua veteres: *parum hoc curo.* CELLARIUS *Antibarb. p. 243.* (Sic *facere tanti, quanti, magni, maximi, parvi, minoris, minimi* auctores habent: *maioris* nondum, quaerens licet, inveni. G.)

III. Ubi dativum alias postularet constructio, ibi saepe usus exigit praepositionem cum accusativo vel ablativo, & versa vice. Hinc Latinis ignota est syntaxis *communicare cui*, pro qua

dicendum: *communicare cum quo, vel inter quos.* CICERO *epist. ad divers. I, 7. & pro P. Quinct. IV.*

Nec Latinum est *conciliare cum aliquo*, pro quo veteres semper dicunt *conciliare alicui.* CAES. *de bell. Gall. VII, 7.* Sic & *incumbere libris* perperam dicitur, pro *studere.* Veteribus enim placebat *syntaxis: incumbere in studia, in curam, in rempublicam, ad laudem, ad reipublicae salutem, ad bellum,* (proprie *ad remos, ad aratrum.* G.) *Exempla collegit CELLAR. Antibarb. p. 337.*

(Omnes fere constructiones admittit *convenio.* Dicitur enim: *inter nos convenit ratio accepti & expensi; Optime Lucullo convenit cum sorore; Cum adversariis mihi convenit, matrem esse interfectam a filio; Hoc mihi cum tuo fratre convenit; De hoc mihi tecum convenit; Haec fratri mecum non conveniunt; Posterius priori non convenit; Qui sibi is conveniet; Si tibi ita conveniat; Convenit mulier viro in manum; & in manum viri; In te convenit suspicio; Contumelia ad maximam partem civium convenit, etc.* G.)

IV. *UT, NE, QUO, QUIN, AN,* numquam recipiunt futurum subiunctivi, sed exigunt conjugationem periphrasticam. Cave ergo dicas, *nescio an venerit, pro nescio an venturus sit.*

V. Quoties *IUBEO* accusativo personae iungitur, toties existit infinitivum activum: alias passivus ponendus est. Sic recte dico: *librum adferri iussit, servulum iussit librum adferre.* Neque tamen *οοουα*, sed rariora tantum sunt *iubeo tibi, iubeo ut,* ceu exemplis compluribus demonstrant IAC. PERIZON. *adsanct. Minerv. II, 4. 6. p. 125.* CELLAR. *Antibarb. p. 238. & 256.* (Aureos falso laudari, ostendit in Fabro GESNERUS. Primi usi sunt TACITUS, CURTIUS. *Iubeo tibi* est inter naves CASTELLIONIS. Ceterum *iubeo* est populi, leges probantis; Senatui, ICTIS, Philosophis *placet*; Senatui etiam *videtur*; Senatores *censent.* G.)

VI. Adiectiva cum infinitivis non temere iungenda sunt, quia hoc Graecismum redolet. Plerumque enim Latini vel gerundium, vel supinum, vel conjunctionem *ut* cum coniunctivo, prout res postulat, post adiectiva solent usurpare. v. c. *cupidus discendi, facile ad intelligendum, vel intellectu, dignus, qui (ut) laudetur, mirabile visu.*

VII. *AN* in dubitativa sententia repetere vix consuevisse CICERONEM, iam observavit CELLAR. in *Antibarb. pag. 228.* Semper enim elegantiores, priore loco *UTRUM* vel encliticum *NE*; posteriore demum *AN* ponunt. CURT. III, 4. *Alexandro, utrum perseveraret, an abiret, satis incerto.* Quod si tria sunt quaestionis membra, primum comma (*UTRUM* vel G.) *NE*; posteriora *AN* exigunt. CIC. *pro S. Rosc. 41. Quaero abs te, iine, qui*

*qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iste non commovebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua videbatur? (Et Verr. 3, 53. Quid dicetis? utrum Metellum falsum scribere? an amicum laedendi esse cupidum? an praetorem, quemadmodum provincia affecta sit, nescire? G.)*

VIII. In constructionibus cum praepositionibus danda est opera, ut ne sine veterum exemplo loquamur. Sic non optime dicitur: *versari circa aliquam rem*; melius *versari in aliqua re.* Ita enim semper loquitur CICERO \*). Prius tamen placuit SENECAE *ad Marc. 29.* & SUTTON. *de Gramm. 17.* Male quoque dicitur: *ita comparatum est cum hac re*; melius CICERO *in Lael. 28.* Ita ratio comparata est *vitali naturaeque nostrae.* TERENCE. *Heaut. III, 1.* Ita comparata natura omnium hominum. Talis etiam est formula: *ita se res habet cum hoc,* de qua CELLAR. in *Antibarb. p. 213.* (Sic *bibere in auro, argento, vitro, mauerunt quam ex.* G.)

\*) Aliquando *versari* idem est ac *circumagi, vexari, agi.* Et haec est elegans loquutio, quae & ipsa eandem constructionem cum *IN* postulat. Ita SALLUST. *Iug. c. 14. Semperne in sanguine, ferro, fuga, versabimur? Ita & active versat nos cura, & HORAT. Lib. II. epist. II. v. 90.*

*Qui minus argutos versat furor iste poetas.*

Conf. CORT. *ad Sallust. p. 473.*

[IX. Inprimis vero cauti esse debemus in *temporibus, modis & personis*, ubi tanquam ad scopulos offendunt vel exercitati nonnunquam, quoniam Grammatici vulgo hic sunt negligentiores; lingua autem vernacula in errorem veluti rapit scribentes. De futuro exacto iam observ. IV. vidimus. Perperam vulgo sic loquuntur v. c. *Fuerunt, qui dixerunt.* Post *Praeteritum* enim requiritur hic apud Romanos *Imperfectum*, diciturque: *Fuerunt, qui dicerent; vidi, qui nescirent; Vixerunt, qui studerent.* θ) Post *Futurum* sequatur *Praesens*: *Erunt, qui dicant, non dicent: Erunt, quibus non persuadeatur.* γ) Proprium hoc est Romanis, ut epistolam scribens suum accommodet tempus ad tempus legentis, & *Imperfecto* aut *Perfecto* utatur, ubi nos *Praesens* ponimus vel *Futurum*, quoties nempe de iis rebus sermo est, quae scribenti quidem praesentes aut futurae sunt, praeteriturae autem antea, quam proferantur litterae. Cic. *ep. I, 2. 9. Haec scripsi a. d. XVI. Kal. Febr. ante lucem, eo die senatus erat futurus, non more nostro, hodie senatus est futurus.* ep. I, 8. 12. *Rem te valde bene gessisse rumor erat. Expectabantur litterae tuae: de quibus eram iam cum Pompeio locuti, quae si erunt adlatae nostrum studium exstabit in convenien-*

dis magistratibus. Hoc observat Cicero diligenter. δ) *Coniunctivum modum amat relativum quod ita, ut ei fere semper iunctum invenitur, quoties antecesserint coniunctivi, accusativi cum infinitivo, aut verba vim praedicati habentia, verbum in primis substantivum. Cic. de Orat. I, 3, 9. Difficile est enumerare, quot viri fuerint: qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia quaecunque possent, vel scientiae per investigationem, vel disserendi ratione comprehenderint. 8. 31. Quid est tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum vel solus, vel cum paucis facere possit? Ep. I, 1, 2. Regis causa, si qui sunt, qui velint. pro Balb. 27. Si qui sunt, quibus infinitum sit odium. Sic: sunt, qui dicant: Erunt, qui putent: habes auctorem, qui affirmet: non invenies, qui tradat. etc. ε) In personis videbimus, ut relativo qui persona subiungatur ea, quae praecesserit, dicamusque v. c. haud sum, qui mentiar, non mentiat: Sum qui litteras amen, non amet. Cic. Phil. II, 34. 85. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui cum auctor regni esses; eum, quem collegam regni habebas, dominum habere velles; et idem tentares, quid populus R. ferre et pati posset. Ep. IV, 7, 2. Ego eum te esse, qui horum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificenter atque optime gesseris, praecclare meministi. N.]*

## XVII.

*Fundamenta syntaxeos ornatae.*

Praecipue hic locum invenit syntaxis ORNATA, quippe quam vulgo praetermittunt grammatici. Ea vero quum partim in positione, partim in additione, partim in abiectioe, partim denique in commutatione vocum consistat: de singulis non obiter agemus.

## XVIII.

*De vocum positione an quaedam existant certae regulae?*

Ad positionem vocum quod attinet, quamquam is est linguae Latinae genius, ut in ea verborum ordo non tam arctis legibus adstringatur, ac in aliis linguis: cave tamen existimes, plane nullum in ea esse certum verborum ordinem \*). Quare non perinde est, quo ordine colloces vocabula, sed observandae sunt regulae quaedam, quae dici non potest, quantum elegantiae sermoni Latino concilient \*\*).

\*) Mireris ergo, quo iure scribere potuerit IAC. LODOVICUS

CUS STREVAEUS de elect. et colloc. verb. I, 4, p. 18. In oratione nulla verbo propria sedes est, nullus certus et immutabilis locus, nullus unquam fuit sic destinatus ordo, ut eius mutatio deformis et inelegans esset. Sane quantum ratio hunc virum doctum fugiat, vel inde patet, quod ordo verborum, in poetis facile tollerandus, in oratione soluta plane absonus esset futurus. Ait HORATIUS Carmin. lib. IV. od. XV. v. 1. 2.

*Phoebus volentem praelia me loqui  
Vistas et urbes, increpuit lyra.*

Iam si quis in prosa oratione, eodem servato verborum ordine, diceret: pater volentem servos filium occidere, miseram et ancillas, castigavit gladio: quis quaeso, ferret ita loquentem? Ex quo sane clarissime patet, in Latina quoque lingua esse aliquem verborum ordinem, certasque adeo regulas, quae nisi observentur, confusum ac hiulcum inde nasci oporteat orationis genus. (Non potuit hoc sibi velle STREVAEUS, plane nihil referre, quomocunque collocentur verba. Sic enim sua ipsius vineta caederet. Sed hoc indicavit, quod res ipsa loquitur, non esse certum perpetuumque ut apud Germanos v. c. Gallos, Hispanosque assignatum locum verbo, aut alteri orationis parti, non esse certum constructionis, quem vocant grammatici, ordinem. Interim toto libro tuetur, ordinem esse, numerum esse. Sed is nimirum ita fluctuat; ita liber est, ut intra praecepta pauca includi non possit.) [Hoc tamen tenendum est, esse quasdam dicendi formas, ubi ordo verborum non liber sit, sed usu, aut alia qua de causa certus ac definitus. Sic dixerunt semper Iupiter O. M. Flamen dialis, Fratres arvales, Pontifex Maximus, Populus Romanus, Pater patratus, Patres conscripti. Tribuniciae potestatis, Libri lintei. Cicero filius. Tiberis fluvius, s. amnis, Pompeius, vir clarissimus etc. Immutati certe ordinis exempla vix occurrent, nisi apud poetas huic legi non adstringendos. N.]

\*\*) (Numerosae orationis quanta vis sit, Tullio credamus, qui exclamasse auditores dicit de Orat. I, 33, 152. si verba apte numeroque cecidissent. Sic Orat. 63, 214. plaudunt homines ad illud Carbonis: Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit. Itaque imitatus ipse Cicero de Divinat. I, 23, 46. hoc modo: Matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Conf. voss. Instit. Rhet. IV, 4, 5. G.) Vere ergo ordo et collocatio verborum in eloquentia omne fert punctum, adeo, ut quidquid orationi gratiae inest, pereat, si verborum turbes ordinem. Elegantissima sunt illa CICERONIS de orat. I, 1. Cogitanti mihi saepe numero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima republica,

ca, quum & honoribus & rerum gestarum gloria florent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Iam verborum tantum collocationem muta, & periodum hunc in modum refinge: *Quinque frater, saepe numero mihi cogitanti, & repetenti memoria vetera, illi perbeati fuisse videri solent, qui quum & honoribus florent, & rerum gestarum gloria, eum potuerunt tenere cursum vitae, ut vel sine periculo in negotio, vel cum dignitate esse possent in otio.* Tuam fidem, lector, an pristinae elegantiae Ciceronianae vel vola vel vestigium superest? Nonne coquum potius aliquem aut calonem, quam Ciceronem audire tibi videris? Et tamen verba omnia Ciceronis retenta: solumque immutatum esse ordinem & collocationem verborum animadvertis. Quae quum ita sint, quantum hac in re positum sit momenti, satis superque intelliges. (Contra ea LAZARUS BONAMICUS orationem PHILELPHI solo verborum ordine immutato ex subagresti & inconcinna elegantem & sonoram reddidit. vid. VOSS. *Instit. Rhetor.* p. 164. G.)

## XIX.

Quales sint  
illae regulae?

Operae pretium itaque fuerit, potiores, quae huc pertinent, regulas paullo accuratius exponere, idoneisque illustrare exemplis\*), ut quis sit hac in re linguae Latinae genius, tanto facilius possit intelligi.

\*) Multi iam inde a renatis litteris prodierunt libelli de elegantis Latinae linguae, in quibus etiam de ordine & collocatione verborum praecipere solent auctores. [Accommodatissimae fere puerorum studiis sunt Vogelmanni *elegantiae latini sermonis exemplis Ciceronianis illustratae*. N.] Sed quum & hic multa parum accurate; multa perperam dicantur: nos ea, quae certa sunt, consecrabimur.

De transpositione  
regulae.

I. Vocativus non statim ab initio, sed plerumque\*) post aliquot verba, nonnumquam etiam in posteriore periodi membro locum occupat. NEPOS. in *proem.* I. Non dubito, fore plerosque ATTICE, qui hoc genus scripturae leve, ac non satis dignum summorum virorum personis iudicent. CICERO in *orat.* I. Utrum difficilius, aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, BRUTE, dubitavi. Ubi vocativus in postremam denique periodi membrum eleganter reiectus est.

\*) Attamen, si adfectus exprimendus sit, vocativus & primum statim locum recte occupat, & nonnumquam bis vel ter repetitur. TERENCE. *Andr.* I, 5. 47. O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi scripta ita dicta sunt in animo Chrysi-

dis

dis de Glycerio. Ubi DONATUS: Primum vocandi, alterum increpandi est. Ego utrumque adfectus cuiusdam esse existimo, ut illud CICERONIS ad Q. Fratrem: Mi frater, mi frater, mi frater.

II. Casus obliqui, si id sensus orationis ferat, eleganter nominativo praemittuntur. CIC. *orat.* 2. Nec simulacro Iovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere; aut quo progredi possent. Si hic nominativum reliqui deterriti priore loco posueris, omnis peribit periodi venustas. (Vid. Principia Orationum. CIC. in *Catil.* 3. pro M. Marcello, pro Ligario etc. G.)

III. Propositiones incidentes Logice vocatae; (& quaecumque adiectivis declarandi vel definiendi causa adiiiciuntur. G.) eleganter adiectivis & substantivis, aut certe reliquae orationi interseruntur. CIC. *Catil.* III, 1. Profecto quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad Deos immortales benevolentia, fama extulimus. Hic propositio, qui hanc urbem condidit, incidens est. IDEM *Catil.* IV, 10. Anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. Hic denuo incidens propositio, quibus solis cursus, non potuisset elegantiore locum, quam inter adiectivum & substantivum occupare.

IV. Idem tenendum est de ea propositione, quae comparativos, aut verba MALO & PRAESTAT, sequitur. Haec enim eleganter comparativo aut certe verbo suo praemittitur. Sic eleganter CICERO pro M. Marcello I. Est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor poene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit\*). Muta quaeso vocabulorum ordinem, & propositionem, quam ad illum ventura sit, postremo loco pone; denuo profecto videbis: totam orationem hiulcam fieri. Ita eleganter etiam dixeris vir pace, quam bello, illustrior; minus eleganter, vir illustrior pace, quam bello. (Sic, Cato esse quam videri bonus malebat etc. G.)

\*) Bis eo loquendi genere in una eademque periodo utitur QUINCTIL. *Instit. orat. lib.* V. c. 13. Tanto est accusare, quam defendere, quanto facere, quam sanare, vulnera, facilius.

V. Propositiones conditionales\*) nonnumquam eleganter veluti per  $\pi\alpha\rho\epsilon\nu\delta\epsilon\omega$  reliquae orationi inseruntur. CORN. NEP. *Agasil.* 5. Namque illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare potuisse.

VI. Eiusdem conditionis sunt formulae: mihi crede, pro eo, ac debui, pro tua sapientia, qua es animi perspicacia, qui est insignis tuus in nos amor, ut tum erant tempora, cet. Eae enim omnes quasi per  $\pi\alpha\rho\epsilon\nu\delta\epsilon\omega$  reliquae orationi inseruntur,

e. g. CIC. *epist. ad divers. XII, 1. Finem nullum facio*, MIHI CREDE, *Cassi*, de te & Bruto nostro, id est, de tota republica, cogitandi. Ad eundem Sulpicius *epist. IV, 5. Posteaquam mihi renunciatum est, de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter molestaeque tui. Nepos Attic. 1. Patre usus est diligente, indulgente, & ut tum erant tempora, diti.* (CIC. *Ver. III, 54. Pro eo, ut temporis difficultas, aratorumque penuria tulit. Ibid. c. 56. Incredibile dictu est, iudices: sed & factum & tota Sicilia pervulgatum. G.*) Elegantes admodum sunt hae similesque parentheses, & hinc veteribus familiarissimae.

VII. Coniugationum tempora ex participiis & verbo substantivo composita pereleganter divalluntur, & quaedam inter utraque inseruntur. CIC. *epist. ad Q. Fratr. I, 1. Non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, famaque denique ipsa esset sua celeritate superatura.* Rescribe superatura esset, & multum peribit elegantiae. IDEM *de finib. II, 16. Nulla quaestio decreta a senatu est.*

VIII. Nec minor est orationis elegantia, si duo verba, quorum alterum ab altero regitur, eodem modo seiungantur. CIC. *de fin. II, 16. Quae est ista laus, quae possit e macello peti?* IDEM *de offic. II, 20. Sed quum in beneficiis collocandis aut mores spectari, aut fortuna soleat.*

IX. Comparativi & superlativi elegantissime periodum claudunt. (Comparativi, quia Ditrochaeo finiuntur in obliquis; superlativi, quod polysyllabi. G.) V. C. MANUT. *epist. I, 20. Solent esse, quae minus expectantur, laetiora.* CIC. *de nat. Deor. I, 20. Hunc Deum rite beatum dixerimus: vestrum vero laboriosissimum.*

X. Eleganter quoque postremum in oratione locum occupant casus obliqui a voce NEMO. PLIN. *epist. IV, 30. Ego videor habere multos amicos; sed huius generis, cuius & tu quaevis, & res exigit, prope NEMINEM.*

XI. Adiectiva substantivis sive praeponas, sive postponas, perinde est. [Hac tamen regula eximenda sunt exempla ista, de quibus monuimus §. praecedente, v. c. Deus O. M. libri lintei etc. N.] Pronomina tamen possessiva MEUS, TUUS, SUUS, NOSTER, VESTER, substantivis suis saepissime postponuntur. Sin addatur praepositio cum suo casu, perinde erit, sive praeponas, sive postponas, dummodo praepositionem cum casu suo inseras inter adiectivum & substantivum. Sic semper dicunt Latini: *Amici tui, rerum suarum, sententiam meam.* Ast promiscue dicunt: *amor erga me tuus, tuorum erga me merituum.* Vid. CIC. *epist. ad divers. I, 1.*

XII.

XII. Plura unius commatis pronomina scite coniunguntur. V. C. si *QUA TIBI NOSTRAE cladis est memoria.*

XIII. Inter adiectivum & substantivum aliquid interponere solere Latinos, iam pueris notum est. Providendum tamen, ne interpositio ista sensum turbet aut adfectionis aliquid redoleat. Eleganter ait NEPOS Alcib. 9. *Quem quidem adeo sua cepit humanitate.* At si dixeris: *adeo sua quidem quem humanitate cepit: nulla amplius erit orationis venustas.*

XIV. Coniunctiones, SI, NISI, UT voci uni aut alteri eleganter postponuntur, (id est ad verba sua admoventur propius. G.) CORN. NEP. *Miliad. 1. Id si fecissent.* Elegans in primis est NIHIL UT: *litterae tuae ita conscriptae sunt, nihil ut iis esse possit elegantius.* Immo generatim FURSELIN. *de partic. Lat. orat. c. 200. §. 4. p. 146. ed. Rich. Ketelii: ut saepe elegantiae causa ex primo loco recipit se in secundum, praesertim si cum VIX, NULLUS, NEMO, TANTUM, copuletur: vix ut, nullus ut, nemo ut, tantum ut. Exempla passim existant.* Idem observat de coniunctione SI, quae pronomibus praecipue eleganter postponitur, c. 168. §. 4. p. 118.

XV. Si aliena verba recensentur, non utendum est formulis: *ITA DIXIT, IN HAEC VERBA ERUPIT, cet. sed verbis INQUIT, AIT, quae semper post verba nonnulla ipsi inseruntur orationi.* CORN. NEP. *Att. 4. Cui quum persuadere tentaret: noli, oro te, INQUIT Pomponius, adversus eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem. Italiam reliqui. Et c. 21. Hos ut venisse vidit, in cubitum nixus: Quantam, INQUIT, curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare.*

Locum id habet, si verba directe recenseantur. Nam si oblique: omnia per accusativos & infinitivos proferuntur, sine verbo inquit. TAC. *Annal. I, 4. Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differabant, truce Agrippam, & ignominia accensum neque aetate, neque rerum experientia tantae moli parem. Tiberium Neronem maturae aetatis, spectatum bello: sed vetere & insita Claudiae genti superbia; multaue indicia saevitiae, quamquam premantur, crumpere.*

XVI. In ordine & collocatione vocum quam maxime etiam cavenda *ὀμοιότροπα*, seu similiter cadentia, quae vix fert subtile Romanorum aurium iudicium. Sic statim aures offenderent haec: *non aliquo timore, sed partim dolore.* Ast elegantius CICERO *pro Marcello 1. Diuturni, inquit, silentii, quo eram bis temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia finem hodiernus dies attulit.* Si ergo transponas quaedam vocabula, facile *ὀμοιοτέλευτα* cavebis. Sic *κακοφωνία* offendent, quae sequuntur:

tur : neque vero disiunctissimas terras citius potuisse peragrari cuiusquam passibus , quam tuis cursibus. Elegantius CICERO pro Marcell. 2. Nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus , quam tuis non dicam cursibus , sed viatoris illustratae sunt. G.)

XVII. Denique & id cavendum in ordine & collocatione verborum , ne imprudenti tibi versus loco prosae orationis nascantur. QUINCTIL. Instit. orat. Lib. IX. c. 4. Sane nec ipse CICERO sibi ab hoc orationis naevo satis cavere potuit. Enim hexametrum , qui illi in oratione pro Archia I. obrepit:

*In quo me non inficior mediocriter esse  
Versatum*

Et de oratore 3, 5. ubi ipse hoc vitium incessit , totum distichon imprudens inseruit : ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo.

*Complexi , plus multo etiam vidisse videntur,*

*Quam quantum nostrorum ingeniorum acies*

intueri potest. [ Neque tamen simpliciter & omnes damnandos esse in oratione versus , quin hos illi , tecti si sint , nonnumquam ornatum conciliare , assentior GUIL. BERGERO , in Commentario politissimo de naturali pulchritudine orationis a p. 317. 333. super hac re suavissime disputanti. Accire versus in prosam & data opera elaborare , eequidem stultitiam & vitium esse censo ; anxie autem inter scribendum cavere , ne quis forte fortuna irrepit ( nisi forte ita sis poeta , ut sit metuendum , ne quicquid dicas versus sit ; ) aut quaerere in scriptis alienis , quo illa eo nomine reprehendas , putidam interpretor diligentiam. Sponte nati versiculi in oratione numerosa & sonora sunt , si non semper amandi plane , certe tolerandi , idque eo magis , quia fieri vix potest , quin subinde emergat talis verborum ordinatio , quae non genium quidem , sed numeros tamen versus referat. N.]

## XX.

Haec de positione atque ordine vocabulorum sufficient. Non minor in additione vocum quarumdam sita est elegantia , de qua ipsa quoque paucas easque perspicuas dabimus regulas \*).

\*) Regulae potiores hac fere sunt.

I. Initio periodi saepe ponitur EGO , quod alias omitti possit , & tunc ei additur VERO , ( asseverandi , augendi etiam interdum particula , non adversandi. G. ) CIC. epist. ad divers. IV, 6. Ego vero , Servi , vellem in meo gravissimo casu adfuisses. Immo generatim hoc indicium est responsionis , qua

al-

alterius dicta probamus. CIC. l. IX. ad divers. epist. 5. Mihi vero ad Nonas bene maturum videtur fore. IDEM l. XVI. ep. 23. Tu vero confice professionem , si potes. TER. Eun. V, 2. v. 45. Ego vero maneo. Ubi DONATUS : modo VERO consentientis est adverbium. ( Nempse significat verum est. G. )

II. Quoties de nobis ipsis loquimur , modestiae causa adimus QUIDEM. PLAUT. Epidic. I, 2. v. 8. Iam istoc probior es , meo quidem animo , cum in amore temperes. ( In universum vim quandam restringendi habet , ut CERTE , MINIMUM. Nimirum indicamus non totum & universum nos velle confirmare , sed de parte quadam tanto confidentius. G. )

III. Superlativis eleganter adduntur adverbia QUAM , LONGE , MULTO , VEL V. C. longe audacissimus , multo iucundissima , quam occultissime traiecto anni. LIV. Hist. XXI, 27. ( Bellum gereremus cum tyranno , quam qui umquam saevissimo & violentissimo in suos. LIV. 34, 32. Ita UNUS , OMNIUM , quotquot sunt , fuerunt , erunt , omnium , quos sol vidit , terra aluit , bipedum nequissimus. G. )

IV. Eleganter quoque iisdem superlativis additur QUISQUE V. C. CIC. pro Archia II. Trahimur omnes laudis studio , & optimus quisque maxime gloria ducitur. ( Inprimis Cicero ita iungit UT QUISQUE optime dicit , ITA maxime dicendi difficultatem pertimescit. de Orat. I, 26. 120. etc. conf. infra §. XXII, \*\*\* 2. G. )

V. Comparativis quoque non sine elegantia addes ablativos IUSTO , SOLITO , DICTO , SPE , OPINIONE. V. C. ad rem iusto attentior , solito maior , dicto citius , spe melior. Exempla plura collegit CORTIUS ad Sallust. p. 785. Ipse SALLUST. Jug. c. 85. Opinione asperius est. CIC. in Bruio c. I. addit omnium : opinione omnium maiorem cepi dolorem. SALL. Jug. c. 75. Commeatus spe amplior. SENECA de morte Claud. c. 16. Dicto citius. ( Totum fere huc pertinet carmen Polyphemi de Galatea apud Ovid. Met. 13, 789. sq. Talia etiam sunt laude mea maior , cogitatione celerior , Euro velocior , corvo vivacior etc. quae non tam ad verborum elegantiam , quam ad cogitandi & comparandi felicitatem pertinent ; & proverbii vim habent. G. )

VI. Verbis , quae spem vel opinionem denotant , Latini eleganter addunt FORE vel FUTURUM ESSE , sequente vel QUI , vel UT cum praesente vel imperfecto coniunctivo. NEP. proem. I. Non dubito , fore plerosque , Attice , qui hoc genus scripturae leve , & non satis dignum summorum virorum personis indicent. Eodem modo dicitur : spero fore , ut in gratiam tecum redeat. Numquam ratus sum fore ( futurum ) , ut tantae opes tam celeriter considerent. ( Hoc ad evitandum  $\kappa\alpha\iota\sigma\tau\alpha\tau\omega\tau\omega\upsilon$  pertinet , ne dicere cogamur , v. g. spero illum in gratiam tuam rediturum , ubi litterae

rae



rae mugientis repetitio ingratum aliquid habet : interdum ne adest quidem participium futuri temporis & infinitivus adeo periphrasticus, e. g. *numquam futurum spero, ut huius nos consilii poeniteat.* (G.)

VII. *Eandem prae se elegantiam ferunt formulae, ACCIDIT, FIT, FACTUM EST, FUTURUM EST, quae verbis additae eventum vel consequentiam indicant.* Sufficeret sane, si diceres : *putaresne, mihi unquam verba deesse posse?* Sed elegantius CICERO : *putaresne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent?* Ita & NEPOS *Alcib.* 3. *Id quum adpararetur, priusquam classis exiret, ACCIDIT, ut una nocte omnes Hermae deicerentur.* Eodem exemplo dices : *quum in eo esset, ut oppido potiretur, FACTUM EST, nescio quo casu, ut pars muri corrueret.* Item : *nisi signum receptui dederis, FUTURUM EST profecto, ut rem famamque perdas.*

VIII. *Quaestio QUID vel CUR eleganter augetur formula verborum frequentissima : QUID EST, QUOD v. c. quibus subtractis, quid est, quod delectare nos possit?*

IX. *Nominibus propriis obscurae famae, contemptus causa additur QUIDAM.* Sic apud NEPOT. *Paus.* 4. *est Argilius* (nomen non personae, sed loci & patriae, G.) *quidam.* Et in *Cimon.* 1. *Callias quidam.* In *Dione* 8. *Calliocrates quidam, & paullo post, c. 10. Lyco quidam.* In *Timoleonte* c. 5. *Huic quidam Lamestius, homo petulans & ingratus, vadimonium quum vellet imponere.* (Criticum convicium est, QUIDAM addere ad nomina hominum satis nobilium, G.)

X. *Coniunctionibus SI & NISI saepe praemittitur QUOD.* NEP. *Eumen.* 8. *Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat.* Et in *Hannib.* 1. *Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse.* (Hic probe notandum, QUOD illud non esse pleonasticum; sed retinere vim relativam, & significare *qua in re, vel circa quod negotium.* Itaque initio totius sententiae, & orationis adeo, poni non potest, G.)

XI. *Similis pleonasmus est in sequentibus : ID QUOD, pro quod, UT NE, pro ne.* NEP. *Datam.* 4. *Existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurum.* CICERO *pro Ligario.* 4. *Ut Romae ne sit.*

XII. *Emphaseos causa adiectivis acque ac substantivis eleganter additur ISQUE, v. c. filium habeo eumque unicum.* CICERO. *Pansa, isque consul, non erubuit declamare.* (Non est adhibenda haec ratio, nisi ubi crescit oratio, ut possit addi, & praeter ea, & quidem, G.)

XIII. *Verbo saepe iungitur participium, tamquam consequen-*

quenti antecedens. NEP. proem. *Quum RELATUM legerint. Relatum est antecedens; legerint consequens.* Suffecisset alterutrum, sed utrumque iungitur elegantius. Eodem exemplo dicitur : *per manus traditum accepimus, vel antiquitus traditum accepimus, uti apud QUINCTIL. Insit. orat. l. V. c. 2.* (Sic litterarum monumentis proditum ad posteritatis memoriam transmittere; animo comprehensum teneo, &c. Habent haec talia nexum causalem : quia relatum, lego, etc. G.) Quin immo aliquando fere *συμνομα* iunguntur, uti apud SALLUST. *Catil. c. 1. utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* Plura huius generis collegit CORT. *ad Sallust. p. 396.* veluti illa CAES. *de bello civ. lib. 1. c. 65. Quos ubi Afranius procul visos conspexit : & LIVII lib. II. c. 5. Ille est vir, qui nos EXTORRES EXPULIT patria.*

XIV. *Interrogationibus eleganter additur : QUAESO, OBSECO, AMABO, aut si ex ira procedunt, MALUM. TERENT. Heaut. I, 1. v. 31.*

*Quaeso, quid de te tantum meruisti?*

## XXI.

*Quemadmodum vero additio elegantiam conciliat orationi : ita & quarundam vocum abiectio vel omisio mirifice eandem ornat. Nos, missis rarioribus ellipsis, quas studiosae collegerunt SANCTIUS & PERIZONIUS\*), nitidiores tantum & optimas tum aphaereses, tum ellipses hic more nostro recenserebimus\*\*).*

*Nec non de earundem abiectio.*

\*) *Multae apud veteres occurrunt ellipses, quae excusandae potius, quam laudandae videntur. Et has sane inculcat SANCTIUS lib. IV. Minervo. c. 1. seq. Quis enim cum HORATIO diceret : ventum erat ad Vestae, scilicet aedem? Non quidem exemplo ista carent, nec abstant c. ad divers. lib. XIV. ep. 2. & LIVIUS Hist. I, 33. & 41. sed haec Graecismo excusari poterunt. (Quin ita frequens est haec ratio optimis auctoribus, ut excusatione potius opus esse videatur, si ea non utaris. Vid. v. g. viri docti ad CIC. Philipp. I, 7. Monuit hoc iam Cl. HEUSINGERUS ad VECHNERI Hellenolox. p. 126. Etiam de privatis ita loquuntur veteres VARRO R. R. II, 11. 12. Discimus. Niger in Turanii nostri, scil. aedes. CIC. ad Q. Fr. ep. III, 1. 2. Cum tu (viam) neque per Locustae, neque per Varronis (scil. fundum) velles ducere. G.)*

\*\* ) Potiores de vocum syllabarumve defectu regulae hae fere sunt.

I. ALIQUIS, ALIQUANDO, ALICUBI priores syllabas ALI saepe amittunt post coniunctiones SI, NE, NISI, QUUM, NUM, QUO, QUANTO. CIC. pro Arch. I. SI QUID in me est ingenii. PLIN. epist. I, 10. SI QUANDO urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. CIC. ep. ad divers. X, 14. Epistolas decerpito, NE QUANDO quid emanet. Similia sunt, SICUBI hostis futurus est. QUO QUIS doctior est. QUANTO QUIS ditior est.

II. Totum pronomen ALIQUIS abiicitur, si sequatur relativum QUI. SALLUST. Catil. c. 22. Fuere ea tempestate, qui dicerent. Sic eleganter dixeris: est, quod te velim. Est, de quo tecum confabuler. ( Non est, quod gratias agas. Quid est, quod me accusas? Est, quod tibi succenseam. Intellige ALIQUID PROPTER. Potest etiam referri ad numerum sequentem, & dici omissum esse substantivum CAUSSA. G.)

III. Frequenter etiam omittuntur substantiva, LOCUS, TEMPUS, OCCASIO, v. c. non est, ubi pedem ponat. Erat, quando serio istiusmodi agebantur. CIC. Catil. I, 10. Habes, ubi ostentes illam praeclaram patientiam tuam.

IV. Nil quoque frequentius est omissione coniunctionum UT, NE, v. c. sic venias: hae curae tibi sint, precor: cave existimas: malus homo sit oportet.

V. ( Frequens etiam est ASYNDETON; Iupiter optimus maximus: Patres Conscripti: Ruta caesa: Emlio venditio: Serius ocius: Prima postrema, LIV. I, 24. G.)

## XXII.

Denique, quum nihil sit, CICERONE iudice, taediosius, quam si stilus semper sit idem: eae quoque regulae, quae ad mutationem variationemque grammaticam \*) , vel omnium propositionum \*\*) , vel vocum quarundam \*\*\*) , pertinent, non erunt nobis praetermittendae.

\*) Variatio vel grammatica est, vel rhetorica. Utramque, at non eodem modo, inculcant ERASMUS ROTEROD. de copia verborum & rerum, MICRAELIUS de copia verborum, & qui instar omnium est AUG. BUCHNERUS de commutata ratione dicendi, Lips. MDCLXXXVIII, 12. Nobis, quum in fundamentis grammaticis versemur, cum variatione rhetorica nihil hic est negotii.

\*\*) Variatio grammatica duorum generum est. Vel enim in

in universum ad omnes pertinet propositiones, adeo, ut quemadmodum ex una cera plures imagines, ita ex eadem sententia plures fingi possint periodi. Vel quibusdam tantum formulis & loquutionibus est propria. Et ad primam quidem quod attinet, ad illam referendae sunt regulae sequentes:

I. Simplicissima est variatio per phrasas, & loquutiones synonymicas. Ait TERENT. Andr. I, v. 50. ingenium est omnium hominum a labore proclive ad libidinem. Hanc sententiam per phrasas synonymicas ita variabis: Ea est mortalium omnium indoles, ut a labore ad voluptatem ruant. Ita comparata est omnium hominum natura, ut labor cedat voluptatis illecebris, & quisque libidini, quam rei familiari, operam dare malit, cet. ( Difficile non est, eandem sententiam vel centies variare, si certa via progrediaris, & ordinem quemdam praestituas, v. g. casus, tempora & personas, figuras rhetoricas, locos topicos: haec sunt artificia illa rhetorum extemporaneorum &c. G.)

II. Talis etiam est variatio per casus, cui mature adsueferi oportet adolescentes, ne meras pro elegantiore stilo proferant enunciationes logicas. Ait NEPOS Alcib. I. In hoc NATURA efficere quid possit, videtur experta. In genitivo dixeris: In hoc, NATURAE quanta vis sit, quantaque efficacia, satis perspectum est. In dativo: NATURAE efficere quid liceat, vel huius exemplo compositum est. In accusativo: In hoc NATURAM, efficere quid possit, experiri voluisse arbitror. Denique in ablativo: In hoc, quid a NATURA effici possit, est intellectum.

III. Adiectivum eleganter in substantivum, & hoc in illud commutatur. Esto propositio: Erat satis eloquens, liberalis, prudens iuris civilis aequae ac rei militaris. Hanc ita commutat NEPOS in Cimon. c. 2. Habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris civilis, tum rei militaris. Ita si propositio esset haec: Invidi obstiterunt eius virtuti, variatio posset peti ex NEP. Hannib. I. Multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Sic perinde erit, sive dicas: tanta in me exstant beneficia tua, sive: tanta est tuorum in me beneficiorum multitudo. ( Inprimis amat CICERO, & ut quisque illius est similior, abstracta ponere pro concretis, Ignosce errori meo, Faveo laudi tuae, pro mihi erranti, tibi cum lauderis, & sexcenta talia. Contra audivi concionantem; diu te cognovi omnium, qui vivunt, mortalem audacissimum, elegantius est, quam audivi illius concionem; novi audaciam tuam. G.)

IV. Saepe nomen mutari poterit in verbum, vel contra, maxime si superlativi vel comparativi adsint. e. g. Omnibus par, & plerisque melior. Ast elegantius NEPOS Themist. I, Antefertur huic nemo, pauci pares putantur.

V. Superlativi saepe in comparativos mutantur, e. g. In virtutibus aequae ac vitiiis fuit excellentissimus. Pro quo NEPOS Alcib. 1. Nihil illo fuit excellentius, vel in vitiiis, vel in virtutibus.

Multo elegantior haec fit variatio, si istud nihil aliquoties κατ' ἀναφορὰν repetatur. CICERO ad divers. l. IX. ep. 14. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Loco est in eadem formula eleganter nonnumquam adhibetur excogitari potest, fingi, (dici, intelligi etc. G.) potest, v. c. Nihil hoc puero excogitari potest venustius.

VI. Saepe etiam variatio optime procedit per participia, quae dici non potest, quantum ornent orationem. Participia vero ponuntur, partim, ubi occurrit relativum QUI, partim, ubi in quando duo commata per conjunctionem copulativam ET coniunguntur. De singulis dabimus regulas.

(I.) Quoties occurrit pronomen QUI, toties omissio illo, ponitur participium eiusdem significationis & temporis. PHAEDR. Fab. I, 15. v. 1. Malus quum sutor, inopia deperditus, medicinam ignoto facere coepisset loco. Hic inopia deperditus \*) idem est, ac qui inopia perierat. Ita & recte dicit CIC. Catil. II, 1. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem.

\*) SCHEFFERUS ad h. l. notat, omissam videri particulam et, vel potius legendum esse inopiaeque perditus, quod posterius & ipse probat. At si utrumque concedas, tamen quadrabit exemplum. Nam & deperditus vel inopiaeque perditus idem est, ac & qui inopia perierat.

(II.) Si unicus adest nominativus, (idem certe subiectum orationis, G.) prius comma itidem potest in participium commutari, sed ita, ut illud in eo casu ponatur, quem adsumit nomen vel verbum commatis posterioris, e. g. Quum Christus cruci adficeretur, manus eius sanguine stillabant. Hic manus est substantivum, quod quum genitivum regat, participium necessario in casu genitivo ponitur, hoc modo: Christi cruci adfixi manus sanguine stillarunt. Quum hac de re cogito, mirum mihi videtur. Hic videtur postulat dativum. Ergo participium in dativo ponendum, dicendumque: cogitanti mihi hac de re, permirum videtur. Postquam cum satis excruciataverant, denique necarunt. Ne ate postulat accusativum, ergo dicendum: excruciatum denique necarunt.

(III.) Si duo commata per et copulantur, vel prius vel posterius in participium commutatur, omissio ET. e. g. NEP. Milit. I. Ex his delicti Delphos deliberatum missi sunt, i. e. ex his quidam delicti, & Delphos deliberatum missi sunt. Eodem exemplo dixeris: quem retrahit ex itinere parens necari iussit. SALLUST.

Ca-

Catil. 39. Muneribus ornatum a se demisit. Alloquutus milites in urbem rediit.

IV. Gerundia †) eleganter in participium in DUS commutantur, e. g. NEPOS Milit. 3. Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent. Ubi liberandae Graeciae ponitur pro liberandi Graeciam. (Exuendus error ex Grammaticis vulgo hauriri solitus, quasi solius futuri temporis sit hoc participium in DUS, cum sit re vera ἀόριστος seu indefinitum. Praesentis exemplum est CIC. de fin. I. c. 10. Qui studioso antiqua persequeris claris & fortibus viris commemorandis, eorumque factis laudandis, i. dum commemoras, laudas. Praeteriti LIV. X, II. Neque illos Consul vastandis agris urendisque telluris ad certamen elicere potuit, i. dum vastavit, dum usit. G.)

†) (Quod de Gerundiis hic monetur, valet etiam de Supinopriori, v. g. venit salutatum amicos, aut salutandi amicos gratia, elegantius ita extuleris, venit salutaturus amicos; salutandorum amicorum causa; ad salutandos amicos. G.)

\*\*\* Sed haec de variatione generali. Sunt praeterea variationes quaedam, quae ad has vel illas formulas pertinent, e quibus paucae veluti exempli causa delibabimus.

I. Initio huc pertinent variae descriptiones superlativi, quales sunt, quae sequuntur. CIC. ep. VI, 9. Cum A. Caecina mihi tanta familiaritas consuetudoque semper fuit, ut nulla maior esse possit. NEP. Milit. 1. Et antiquitate generis, & gloria maiorum, & sua modestia unus omnium maxime floruit. IDEM Timol. 1. Namque huic uni contigit, quod nescio, an ulli, ut cet. Item: sic rogo, ut qui maxime & summa contentione solent. TERENT. Andr. act. I, 1. Adolescentula forma & vultu, Sosia, adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra. TAC. Germ. 9. Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. VELLEI. PAT. II, 35. Vir in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi potest. (TERENT. Hsaut. V, 1, 3. In me quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus: In illum nil potest: nam exsuperat eius stultitia haec omnia, PLAUT. Bach. V, 1, 1. Quicumque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. Solus ego omnes longe anteeo stultitia, & moribus indoctis. CIC. de harusp. resp. 27. Quam tam immanem Charybdin poetae fingendo exprimere potuerunt, quae tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantium, Brogitarorumque praedas exorbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tanquam ieiunis, quam quibus istum videtis, Gelliis, Clodiis, Titiis Rostra ipsa mandentem? G.)

II. QUO, EO, vel QUANTO, si occurrunt, eleganter mutari poterunt ita, ut in priore commate UT QUISQUE; in posteriore ITA

D

po-

ponatur : SALLUST. *Iugurth. c. 81. Post uti quisque opulentissimus videatur, ita Romanis hostem fore : id est, quo quis erit opulentior, eo magis hostis Romanis videbitur. Nec aliter CICERO de orat. c. 2. SENECA de constant. c. 11. CAES. de bello civ. lib. 2. c. 2. Sed pro eo TAM & QUAM utitur SALLUST. *Iugurt. c. 31. QUAM quisque pessime fecit. TAM maxime tutus est. Similia exempla ex LUCRETIO & VARRONE adducit CORTIUS in notis p. 562. ubi etiam observat, GELLIUM noet. Att. XIX, 8. iunxisse QUANTO & TAM MAXIME. Qui maledicit & vituperat, QUANTO id acerbius facit, TAM MAXIME ille pro iniquo & inimico ducitur. Sed non est inter elegantissimos scriptores GELLIUS, ut, quae ille singularia habet, imitari velis.**

III. NON MODO, SED ETIAM variis modis eleganti variatione redduntur. Exempla id docebunt. NEPOS apud LACTANT. *Instit. III, 15. TANTUM ABEST, ut ego magistram esse putem vitae philosophiam, beatæque vitae perfectricem, UT nullis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputando versantur, id est, non modo philosophia non est magistra vitae, sed ipsis etiam philosophis magistris opus est. CICERO pro Marcell. c. 2. Nullius est tantum flumen ingentis, nulla dicendi aut scribendi vis, tantaque copia, quae NON DICAM exornare, SED enarrare res tuas gestas possit, id est, non modo exornare, sed & enarrare res gestas tuas nemo potest. TACIT. *Annal. XIII, 20. sed cuicumque, NEDUM parenti, defensionem tribuendam, id est : non parenti modo, sed cuicumque etiam defensionem tribuendam.**

IV. DICO, sequente NON, mutatur in NEGO. CIC. *Catil. III. Negavi, me esse facturum.*

V. OPORTET variis exprimitur formulis, quales sunt, quae sequuntur : CIC. *Phil. XI, 6. NON POSSUNT NON prodige vivere, qui nostra bona sperant, quum effundant sua. FACERE NON POTUI, quin te hortarer. Dandum tibi hanc operam DUXI. (INTERMITTERE diutius NON POTUI scribendi officium. G.)*

VI. QUIDAM etiam exprimitur per NESCIO QUIS. TERENCE. *Adelph. IV, 4. prodit nescio quis.*

Ita & forte fortuna, exprimitur NESCIO QUO CASU, NESCIO QUO PACTO, NESCIO QUO FATO MEO.

VII. Pro TOTUS saepe occurrunt formulae, QUAM LONGUM EST. QUANTUS QUANTUS EST. QUAM LATE PATET. V. C. *Mare quam longum est. Germania quam late patet. [ Sic utuntur etiam qua particula cum verbo. c. g. Orbis terrarum, qua litteris cultus est. N.] Eleganter CIC. pro Marcello c. 2. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Plura huius generis dedit, V. C. PETRUS BURMANNUS ad illa Ovidii *Amor. I, 2. v. 3.**

Et

*Et vacuus somno noctem, QUAM LONGA peregi.*  
ita enim & VIRGIL. *Aen. IV. v. 193.*

*Nunc hiemem inter se luxu, QUAM LONGA, fovere.*  
& I. *VIII. v. 87.*

*Thybris ea fluvium, QUAM LONGA EST, nocte tumentem Leniit.*

## CAPUT II.

## De Fundamentis stili Rhetoricis.

## I.

LEVIORA fuerunt, quae superiore capite monuimus, eaque, si mens non laeva fuisset, (hinc discentium, hinc docentium, G.) iam in ipsis scholis inferioribus diligentius imbibere oportuerat. Iam ad graviora pergitur, id est, ad fundamenta RHETORICA. Quemadmodum vero superiore capite non ipsam complexi sumus grammaticam : ita & hic non universam rhetoricam \*) sed ea tantum, quae ad stilum †) faciunt, trademus fundamenta.

*Qualia hic intelligantur fundamenta rhetorica?*

\*) Rhetoricam de inventione, dispositione, eloquutione & actione praecipere, nemo ignorat. Verum nobis cum sola eloquutione negotium est : de qua operam dabimus, ut multa, quae in plerisque rhetoricis scriptis frustra quaesiveris, moneamus.

†) (i. e. eloquutionem maximam & difficillimam partem eloquentiae, eamque ob causam tanto colendam diligentius. G.)

## II.

Ceterum quidquid de eloquutione praecipit rhetorica, illud omne ad quatuor potissimum capita videtur referendum. *Quis enim esset dicendi modus melior, quam ut LATINE, ut CONCINNE, ut ORNATE, & ad id quodcumque agetur, APTE CONGRUENTERque dicamus \*?*

*Quotuplicia ea sint?*

D 2

\*) Ver-

\*) Verba haec sunt CICERONIS *de orat. III*, 10. nisi quod ille, omnia concinnitate, *dilucidam* esse debere orationem, monet. Ne vero praeter rem quatuor ista posuisse fundamenta videamur, operae pretium fuerit, quadripartitae istius distributionis reddere rationem. Qui aedes elegantiores molitur, eum sollicitum esse oportet de *materia* bona, solida ac exquisita. Qua comparata, nihil tamen, quod oculos hominum ferat, exstruct, nisi accedat conformata quaedam regulis architectonicis *idea*, cuius ad exemplum fabri exstruant aedificium. Praecipue enim ad elegantiam aedium pertinet iusta partium omnium mensura & proportio, quae sine idea illa vix poterit obtineri. Exstructae vero ad hanc mensuram aedes deinde variis coloribus, tectorio opere, (quo commissurae teguntur, G.) picturis exornantur. Enimvero si vel maxime haec omnia accesserint: non placebunt tamen aedes, nisi τὸ πέρπερον fuerit observatum. Alia enim aedificandi ratio in palatio principis, alia in templis, alia in privatorum aedibus urbanis, alia denique in praediis rusticis locum invenit, ludibriumque merito is deberet hominibus, qui columnas Corinthiacas praedio rustico adaptaret. Iam eadem est stili elegantioris ratio. Materia, qua sermo elegantior componitur, sunt *voces* & loquutiones vere Romanae, atque inde ante omnia ostendendum, quid sit *LATINE* dicere. Sed voces illae ac loquutiones Romanae, quantumvis elegantissimae, parum delectabunt, nisi ad *periodorum mensuram*, veluti ad ideam architectonicam, componantur. Quod qui facit, is demum *CONCINNE* dicere videtur. Sed quamvis & hoc fuerit observatum, tamen ne sic quidem placebit oratio, nisi ei *ornamenta* quaedam, tamquam picturae & colores accedant. Unde diximus, *ORNATE* esse dicendum. Denique ut non una omnes aedes decet aedificandi ratio: ita nec omnibus scriptionibus idem convenit *stilus* & eademque dicendi forma. Alio enim stilo epistolas, alio historias, alio orationes, alio panegyricos, alio satyras, alio dissertationes conscribi oportet. Quas stili formas si quis recte ac decore expresserit, is demum *APTE CONGRUENTER*que dicere videtur.

## III.

*LATINITAS* orationi puritatem conciliat; *CONCINNITAS* eam in iustas periodos ac decoram veluti mensuram compingit: *ORNATUS*, ut admirationi sit; & *CONGRUENTIA* denique, ut ne a decore aberret, efficit. Si ulla harum virtutum desit, vix

re-

Quid sit Latine, concinne, ornate, apte dicere?

reprehensionem doctorum effugiet oratio, tantum abest, ut ulla laude digna videatur \*).

\*) Non rectius hoc, quam exemplo, poterit a nobis demonstrari. Si quis Corinthi descripturus excidium, ita loqueretur: *L. Mummius Corinthum crudeliter ruinavit*, quisque intelliget, hanc orationem laxis & calonibus, quam docto homine, esse digniorem. Neque enim *LATINUM* est *ruinavit*, atque hinc stilo sua *puritas* deest. Sed emendabimus istum naevum, & ita dicemus: *L. Mummius Corinthum funditus delevit*. Sic *Latina* quidem & pura erit oratio: verum ne sic quidem haec verba quemquam delectabunt, quia nondum audimus periodum, sed propositionem logicam. Dabimus ergo operam, ut his verbis etiam sua constet *CONCINNITAS*: eaque proinde hac periodo concludemus: *L. Mummius Corinthum, quod Romanam maiestatem parum revereri videretur, mira severitate evertit*. Sic omnia erunt *Latina*, iusta quoque & *concinna* erit periodi mensura: & tamen nondum quidquam audies, quod admireris. Nondum enim ullus accessit *ORNATUS*. Age, ne hic quoque possit desiderari, ita dicemus: *L. Mummius Corinthum, Graeciae oculum, quum Romanam maiestatem parum suspicere videretur, mira severitate effodit*. Iam demum & *Latina* & *concinna* & *ornata* est oratio, adeoque non potest non placere. Et tamen si quis hac periodo in stilo historico vel dissertatione didactica uteretur, is τὸ πέρπερον vix videretur observasse. Ex quo sequitur, ut & *APTE CONGRUENTER*que dicendum sit. (Verum enimvero quid *aptum* & *congruens* sit, iudicari non potest, nisi ex tota compage & velut corpore orationis, totaque adeo illius circumstantia, ut cogitemus: *Quis, quid, ubi, quando, apud quos, qua in causa, qua affectione animi* etc. dicat. CICERO *Orat. c. 21. Est eloquentiae, sicut ceterarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quid deceat videre. Huius rei ignoratione non modo in vita, sed saepissime & in poematis & in oratione peccatur. Et de Orat. I. c. 29. Roscius dicebat, Caput artis esse dicere, quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. G.)*

## IV.

*LATINE* & pure quomodo dicendum sit, ita ostendere conati sunt eruditi, ut integris libris voces parum Latinas ac suspectas collegerint \*). Enim vero quum taediosa sit ea methodus: satius erit, regulas quas-

Quomodo vocabula pura a suspectis discerni possint?

D 3

dam,

dam, quales neminem adhuc dare memini, de vocabulis suspectis suppeditare.

(Non est certior ratio, quin non est alia ratio dicendi, quae sint verba Latina, quae item non-Latina s. barbara, quam ut de singulis vel ex ipsis scriptoribus, vel e bono Lexico edoceamur. Cumque nemini temere contingat, ut non audiat legatue, nisi quae Latina & pura sunt, superest, ut, quum accurate scribendum est, de singulis, quae non certe recordetur bona esse, in consilium eat cum bono Lexico. Ad cavenda tanto facilius verba minus Latina subsidio esse possunt libri, quos laudat Auctor, & quidam alii. *Regulae* autem, h. e. observationes quaedam, quibus plura exempla comprehenduntur, memoriam iuvare possunt: quo nomine Vossianae de vitiis sermonis laudari debent. G.)

\*) Multi exstant huius generis libri. Noti sunt GER. IO. VOSSII *de vitiis sermonis*, IO. VORSTII *de Latinitate falso meritoque suspecta*, CHRIST. CELLARII *Antibarbarus & curae posteriores*, & quae ea occasione cum viris doctis Danis disceptavit auctor celeberrimus. CAR. ANDR. DUKERI *de Latinitate veterum iureconsultorum*, DAN. GEORG. MORHOFII liber *de pura dictione*, cui notas adiecit IO. LAUR. MOSHEMIUS, atque edidit *Hanoverae* c1700ccxxv. 8. Eodem pertinent IO. KER *Observationum linguae Latinae*, Part. II. Lond. c1700ccviii, 8. IENSII *collektanae purae & impurae Latinitatis*, Lips. c1700ccxxviii, 8. a v. c. KAPPIO edita, GUNTHERI *Latinitas restituta*, Ienae edita. Immo & ANT. SCHORI *phrases linguae Latinae*, HADRIANI, Cardinalis, de sermone Latino, CASP. SCIOPPII *Observationes linguae Latinae*, & OB. GIPHANII *Observationes singulares in linguam Latinam*, quas una cum aliis eius generis opusculis sub titulo: *de elegantiore Latinitate comparanda scriptores selecti*, editas novimus apud Wetstenios, Amst. c1700ccxiii, 4.

## V.

Prima ergo haec est regula: *ab omnibus diversarum originum vocibus tamquam ab hybridis* \*) , nisi magna nos urgeat necessitas \*\*) , est abstinendum.

\*) Vocantur hic *hybridae voces*, quae ex diversis linguis conflatae sunt, veluti ex Graeca & Latina, ex Graeca & Germanica, ex Latina & Germanica, cet. Sine veterum exemplo itaque dicitur *MONOCULUS*. Est enim haec vox hybrida, conflata ex Graeco *μῦνος*, & Latino *oculus*. Veteribus magis placet

UNO-

UNOCULUS; vid. PLAUT. *Curcul. III, 1. GELL. noet. Att. III, II.* vel LUSCUS: nam & hoc non strabonem notat, *einen Schielenden*, ut vulgo putant, sed *unoculum*. CELLAR. *Antibarb. p. 203.* Acque absurdum est BIGAMUS, compositum quippe ex Latino *bis* & Graeco *γάμος*. Excusatus HIERONYMUS *adu. Iovin. I, 8. & ult. dixit digamus, bimaritus*. Non magis Latinae sunt ARCHIDAPIFER, ARCHIPINCERNA. Priorcs enim syllabae Graecae; posteriores Latinae sunt. *Voces vero hae semper Latinis auribus visae sunt intolerabiles*, nisi quod nonnumquam comici ioci causa eiusmodi vocabula fingunt; tale est INANILOGUS apud PLAUT. *Pseud. I, 3. v. 24.* si is locus sanus est. (Certe sic etiam Gronoviana. Al. *inaniloquus*. G.) PLIN. *Hist. nat. lib. VIII. c. 52.* Ceterum quamvis Latini sermonis castitas huiusmodi vocabula vix ferat: quaedam tamen probasse usum animadvertimus, eorumque recensum dedit QUINCTIL. *lib. I. Instit. Orat. c. 5.* Talia sunt BICLINIUM apud PLAUT. *Bacchid. III, 4. v. 69 & 102.* EPITOGIUM, EPITHEDION & quaedam alia. At nescio an eiusdem generis sit ANTICATO, uti CAESAR inscripsit librum, quem Ciceronis Catoni opposuit. Quum enim nomina propria Latina non aliter Graece exprimi possint, quam servato sano Latino: *ἀντικᾶτον* acque Graecum vocabulum esse potest, ac ex Graeco & Latino mixtum.

\*\*) Contingere huiusmodi quid potest in titulis magnorum principum, qui vix aliquando possunt elegantius Latiniusque reddi, ut non eorum dignitati quidquam detrahatur. Hic sane prudentia suadet, ut malimus parum Latine, quam parum reverenter loqui. Exemplo esse potest ARCHIDUCIS titulus, Austriacae genti proprius. Hybrida hoc est vocabulum, sed quocumque modo illud reddideris, vix effugies reprehensionem. Si *magnos duces* vocaveris, pares illos reddes magno Duci Hetruriae, sin *supremos duces*, a nexu cum Romano imperio eos absolves. Si *primos duces*, hoc quoque insolens erit. Recte igitur atque ordine feceris, si *Archi-ducis* titulum, parum Latinum licet, retinueris. Nescio an idem dicendum de titulo ARCHIMARSCHALLUS. Nullum enim est vocabulum Latinum, quod *Marschalli* notionem satis exprimat. Stultum esset, ut placeas grammaticis, principibus displicere velle, & hos laedere, ne Prisciani maiestatem laesisse videaris. (Hoc etiam in aliis tenendum est, v. g. utrum TU dicendum, an Excellentia Vestra. Ita alios, praeter eos, qui dominantur, dominos vocare, non est Latinum. Sed considerare debemus, quicum nobis sit negotium. G.)

Cavendae  
sunt voces  
hybridae.

## VI.

Ut & quae analogiae grammaticae repugnant, vel barbarae \*) , vel certe suspectae sunt \*\*).

\*) Hinc quilibet videt, barbaras esse voces, quae sequuntur.

AEQUANIMITER. Non patitur enim analogia, ut a substantivo animus deducatur adverbium *animiter*. Purius ergo dixeris *aequo animo*, *aequissimo animo*.

AMICABILITER, ejusdem generis est. (Nihil hic analogiae adversum. Sed auctoritas deest nimirum. G.)

E CONTRA. Non enim praepositio E adverbis solet iungi. (Quin *Exinde* habet eandem formam. conf. supra ad p. 40. dicta. G.) Castioris Latinitatis amantes ponunt CONTRA, E CONTRARIA PARTE, E CONTRARIO, CONTRA EA. Vid. CELLAR. *Antibarbar.* p. 30.

Huc etiam pertinent, quae supra p. 41. notavimus: EXTRINSECUS, in forma adiectiva, INTRINSECE, UXORATUS, aliaque huius generis.

\*\*) Sunt enim quaedam dubiae auctoritatis, & licet analogiae repugnent, tamen apud veteres occurrunt. Tale est illud IN PRAESENTIARUM, de quo supra p. 41. (Quod nec analogiae repugnat, si recte editur PETRON. 58. *Ita satur pane fiam, ut ego istud conliberto meo dono alioquin iam tibi depraesentiarum reddidissem*, i. e. vicem reddidissem, repraesentassem. G.)

## VII.

Nec non vocabula barbarae originis \*) in cultiore Latinitate, tamquam scopuli, fugienda sunt, nisi ea iam pridem civitate donata esse constet \*\*).

\*) Quum barbari, maxime Gothi, Vandali, Longobardi, Franci, veluti ex compacto, provincias Romani imperii invaderent, Latinitas antiqua sensim ad dialectos, Italicam, (Hispanicam, & Gallicanam, deflexit. Vid. CAR. DU FRESNE *dissert. Glossar. med. & infimae Latin. praemiss.* CELLARII *diss. de origine linguae Italicae*. Ex quo sequitur I. ut omnia vocabula ex lingua Italica vel Gallica in Latinam invecta barbarae iudicentur. Talia sunt pleraque adiectiva in osus, v. c. *affectuosus, miraculosus, rigorosus, seriusus, pomposus, virtuosus*.

sus. Proba tamen sunt *vitiosus, probrosus, pretiosus, prodigiosus, cet.* Nec minus Gallicismo atque Italicismo originem debent, *vacantia, superioritas, succursus, subalternus, situari vel situatio, revolutio, revisio, resistentia, recompensare, recommendare, ratificare, protectio, prioritas, partialis, neutralis, modernus, maxima, pro regula, liga, lubricitas, irregularis, irreconciliabilis, imporianzia, pro momento vel pondere, fortalitiium, districtus, correspondere, confortare, condolentia, condescendere, complacencia, capitaneus, bestialitas, assistentia, approximare, appropriare, & quae sunt huius generis alia, quae iam dudum e Latio proscripsit in *Antibarbaro* suo CELLARIUS. (Non satis haec vel cum re ipsa, vel cum DU FRESNII, CELLARIIQUE laudatis observationibus conveniunt. Ita breviter habendum. I. Aucto supra modum non imperio tantum, sed & civitate Romana, multitudo loquentium & scribentium Analogiam nimis dilatavit, ut v. g. ad formam *vitiosi, probrosi, pretiosi*, etiam *virtuosum*, & *miraculosum*, & *affectuosum* dicerent. Haec enim profecto prius in Latinam consuetudinem invecta, quam in Italorum, Gallorum, Hispanorum, quales nunc sunt, linguas transirent. II. Quaedam ex origine barbara acceperunt casum Romanum & formam, ut *Biera, Feodum, Allodium, Vasallus, Gerada* etc. III. Nunc illud accidit quotidie, ut prioris generis vocabula ex usu Gallice, Hispanice, Italice loquentium quasi retro in linguam Latinam inferantur ob id ipsum, quod Latinae sunt originis, Latinam formam sive analogiam adhuc praeferrant, habeantque proinde naturam, ut sic dicamus, Latinorum, sola auctoritate aevi illius destituantur, quo merito Latinam linguam viri docti concluderunt. Haec causa, quod a Latini sermonis usu refugiunt Itali praesertim, quum nimis difficile vident, quae sua ipsis lingua subiicit. G.) Quum porro Germanicae linguae nihil plane cum Latina commercii sit: multo minus vocabula origine Germanica in elegantiore stilo inveniunt locum. (Nisi in quantum ad eum qui vocatur, stilum curiae pertinent, vel disciplinarum sunt vocabula, quae sine his disci tractarique non possunt: Ita *Burggravium* malo, quam *Castellanum* aut *castelli comitem*, *Marggravium*, quam *Limitaneum* aut *limitis comitem*, *Marschallum* etc. G.) Talia sunt *burgus, feudum, vasallus, scabinus, scultetus*, & huius generis alia.*

\*\*) Iam dudum enim veluti civitate donata sunt vocabula quaedam Persica, veluti GAZA, pro thesauro, PARASANGA, pro spatio itinerario, ACINACES, cet. item quaedam Gallica, ut ESSEDUM. Haec omnia recte & sine vitio adhibueris. Eiusdem generis vocabula Persica sunt SATRAPA & PARADISUS, sed quo vix utuntur, nisi scriptores Christiani, quum Graec-

Graecum *παράδεισος* etiam apud XENOPHONTEM occurrat. Gallica etiam vel Celtica potius sunt BENNA, vehiculi genus, BRACCA, ipsum Germanicum *Brook*, SAPO, Germ. *Seife*, BULGA, GESA, PETORITUM, RHEDA, QUINCTIL. *lib. I. c. 5.* Germanicam originem prodit FRAMEA, *Pfrie*m, quemadmodum Britannicum dicitur COVINUS, Hispanicum LANCEA, Punicum MAPPA, Aegyptiacum ZYTHUS, Syriacum AMBUBAIA, de quibus similibusque fusius actum est a GER. IO. VOSSIO *de vitii sermon. lib. I. c. 2. 3. 4. 5.*

## VIII.

Ex parte etiam Graeca.

Observandum quarto: *vocabula Graeca, nisi veluti civitate donata* \*) , *in elegantiore oratione non esse adhibenda* \*\*) . Nec usquam Latino textui voces Graecae immiscendae sunt, nisi vel docendi \*\*\*) vel amici cuiusdam eruditi oblectandi causa \*\*\*\*) .

\*) Innumera sunt vocabula origine Graeca, quae veluti civitatis obtinuerunt: e. g. *antidotum*, *byssus*, *ancora*, *tropaeum*, cetera. De horum probitate non est, quod dubites. (Commendari hic merentur DAN. VECHNERI *Hellenolexias s. Parallelismi Graeco-Latini libri duo, cum accessionibus* luculentis & optimae frugis IO. MICH. HEUSINGERI, Gothae 1732. 8. Catalogus satis plenus singulorum vocabulorum e Graecis ad Latinos translatorum.

\*\*) De iis ergo hic loquimur vocabulis Graecis, quae sequiorum temporum invexit usus, & quae frustra quaeras apud veteres. Sic ABYSSUS ecclesiasticum est, pro quo veteres dicere maluerunt *profundum*, *worago*. Pro AGON vel AGONIZARE veteres dixerunt *extrema*, *animam agere*. AUTOCHIRIA non modo novum est, sed & falsa significatione insignitum. *Ἀυτόχειρ* enim Graecis non est, qui sibi infert manus, sed qui sua manu aliquid efficit, teste HESYCHIO. Non magis proba sunt, BLASPHEMIA pro *exsecratione*: EREMUS pro *locis desertis*: EXOTERICUS pro *peregrino vel adventitio*: HYPOCRISIS pro *simulatione pietatis*: MOECHARI pro *adulterium committere*: NEOTERICUS pro *recentiore vel iunior*: ORPHANUS pro *pupillo*: PRAXIS pro *usu*: ZELUS pro *aemulatione vel studio*. De quibus CELLAR. *Antibarb. Cap. VI. p. 216. seq.* Satis tamen Latina, vel civitate potius donata sunt MOECHUS, quo usus TERENT. *Andr. II, I. v. 16.* MOECHA, quod habet CATULL. *Carm. XLIII.* & IUVENAL. *Sat. VI. v. 277.* Immo apud eundem epigrammate spurcissimo, quod in ISAACI VOSSII editione p. 317. occurrit, bis habes verbum MOECHARI.

Ita-

Itaque auctoritate sese illud omnino tuetur, quamvis familiarius fuisse videatur vulgo, quam bonis scriptoribus.

\*\*\* ) Nam quum in disciplinis saepe contingat, ut res quaedam Graece, quam Latine possit facilius explicari; nemo prohibebit, quo minus in scriptis didacticis Graecum sermone Latino misceamus, dummodo absit affectatio. Graeca enim *ἐμφατικώτερα* esse debent, nisi risum movere velis. Hinc risum moturus PLAUTUS *Pseudol. I, 5. v. 67.* Graeca, quae nihil emphaseos habent, Latinis immiscet:

--- SI. *Ecquam scis filium tibicinam meum amare?*

PS. *ὁ δὲ negαρε* SI. *Liberare quam velit?*

PS. *πρέπον καὶ τῷτο negαρι.*

Ridicula sane haec affectatio est, nec magis ferenda, quam si quis Germanice dicere velit: *Er hat seine pedes zerbrochen.* Debent ergo Graeca aliquanto *ἐμφατικώτερα* esse, qualia exempla passim apud CICERONEM, PLINIUM, aliosque auctores idoneos occurrunt. (Nimirum *Graeis ingenium, Graeis dedit ore rotundo Musa loqui.* In compositis sunt liberi & felices. Hymni Graecorum ex meris epithetis constant, quos imitatur DAN. HEINSII carmen in Bacchum, quod vertit Opatius noster. Graeci omnia adiectiva neutra possunt substantive adhibere, habent participia activa praeteriti temporis etc. Ut adeo breviter & expressius loquendi studium mire adiuvet eorum lingua, sed quod bene monet auctor, fieri hoc debet citra affectatam ostentationem.

\*\*\*\* ) Exemplo esse possunt CICERONIS *epistolae ad Atticum.* Quum enim hic Ciceroni familiarissimus esset, & maxime amare Graecas litteras, vix ullam ad eum dedit epistolam, quam non pluribus Graecis sententiis, tamquam gemmis quibusdam distinxerit. (Saepissime vero fecit tegendi causa, ne quis praeter Atticum temere intelligeret suam sententiam. Ad Caesarem etiam ioci causa, quum Trebatium commendat Ep. XIII, 15. utitur pluribus versibus & formulis Graecis. Subiungit *genere novo sum litterarum ad te usus, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem.* In re autem seria numquam Graeca, nisi cum venia, etiam in philosophicis. Profert quidem passim loca Graecorum, sed non nisi Latine versa. Ipse de se *Tusc. I, 8.* *Dicam, inquit, si potero, Latine; scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine.* In orationibus plane verecunde & quasi cum pudore loquitur de studiis Graecis. G.)



## IX.

*Cavendi etiam Graecismi.* Nec a vocabulis tantum Graecis abstinendum est, verum etiam a Graecismis, id est, phrasibus ad Graecae potius, quam Latinae linguae analogiam compositis \*), quamvis eas nonnumquam in deliciis habuerint auctores quidam *καὶ Ἰωνοὶ* \*\*). Vide A. BUCHNERUM *de comm. rat. dic. L. I. c. 19. p. 287. seqq.*

\*) Tales Graecismi minus elegantes sunt:

I. Si infinitivi ponantur pro coniunctivis, gerundiis, participiis. v. c. instigavit petere, pro instigavit, ut peteret, HYG. Fab. CLXVI. *Ad flumen exiit, sanguinem abluere*, pro sanguinem abluturus, HYG. Fab. LXXXVIII. *Idoneus facere*, pro ad faciendum. Multa huiusmodi collegit v. cl. PETER. BURMANUS in not. ad Valer. Flacc. p. 565. sed pleraque ex poetis, quos ipsum metrum aliquando coegit *ἐλαμνίζειν*. (Saepe suavitatem & decus inde petunt versibus. G.) Quamvis ergo haec non sint soloeca, minus tamen elegantia sunt. Quis enim non mallet dicere: *censeo reddendum*, quam *censeo reddere*? quod veterum tamen auctoritate defendit IO. FRID. GRONOVIVS ad Liu. l. II. c. 5.

II. Si constructiones Graecae Latinis substituantur. v. c. *quibus iusserat*, pro quos iusserat. TACIT. Ann. XIII, 40. ubi tamen adde IAC. PERIZON. ad Sanct. Minerv. p. 125. *Ego audita tibi putaram*, pro a te audita. CIC. ad Attic. ep. XIII. 24. *Manet hunc poena, latet me, deficit me*. Quamvis haec omnia, si rarius & in loco adhibeantur, non careant venustate. Conf. infra num. LXII. not. \*\*\*\*

\*\*) Vix ullus est veterum auctorum, quin subinde Graecismos adhibuerit, ut exempla docent, collecta a SANCTIO in Minerv. lib. III. c. 12. p. m. 727. sqq. Enimvero sunt, qui ad affectationem usque graecissant, veluti TERTULLIANUS, (AMMIANUS MARCELLINUS inprimis, qui tamen, ut ICI quidam veteres, non affectatione quadam graecissat, sed quia Graecia erat patria, G.) & e recentioribus LIPSIVS. (nusquam tamen, nisi in epistolis familiaribus, G.) quos nemo temere imitabitur.

## X.

*Suspecta quoque nomina colorum in edo.* Quinta regula esto: *nomina colorum in edo desinentia tantum non omnia malae notae sunt* \*).  
(Angusta admodum regula. Damnari non plane debent

RU.

RUBEDO Firmici, NIGREDO Apuleii & Martiani Capellae, ALBEDO Sulpicii Severi, auctoritate nixa. G.)

\*) Neque ergo ferenda in elegantiore Latinitate ALBEDO, FLAVEDO, NIGREDO, pro quibus apud veteres legitur: *albitudo, albor, color albus, flavus, nigror, nigritudo, nigrities*, cet. Vid. CELLAR. *Antibarb. p. 5. 36. 122.*

## XI.

Sexto notandum, *suspecta esse adiectiva pleraque in ALIS vel ABILIS, ut & adverbia in ALITER vel ABILITER desinentia, in quibus usurpandis ideo cautos nos esse decet* \*).

*Nec non adiectiva in alis vel abilis, adverbia in aliter vel abiliter.*

(Nempe quo frequentiora erant vocabula horum casuum, v. c. *aequalis, animalis, annalis, aruales, curiales, mercurialis, tribialis, vestales, inexpiabilis*, etc. Sic porta *principalis* in castris etc. tanto plura ad eam formam efficta sunt, quae distinguere a sinceris sola potest auctoritas & singulorum observatio. G.)

\*) Hinc CELLARIUS laudato saepe libello recte proscripsit adiectiva, (& adverbia, G.) *abominabilis, aeternaliter, aeternalis, aliquid, amicaliter* \*), *bestialis, casualiter, commensalis, collateralis, conditionaliter* \*\*), *curabilis, filialis, finaliter & finalis, incessabilis, incessabiliter, incurabilis, infernalis, inviolabiliter, irreconciliabilis, legaliter, meridionalis, momentaliter, neutralis, oculariter, partialis, perpendiculariter, primordialis, proportionalis, totaliter, vernalis*. Proba tamen sunt *extemporales*, pro quo falso dicunt *extemporaneus*, vid. SUET. Aug. c. 84. & PETRON. Satyr. c. 6. *coequalis*, COLUMELLA *de re rust. VIII, 14. favorabiliter*, QUINCTIL. *Inst. orat. lib. IV. c. 3. irrationalis*, vel, ut alii legunt, *irrationabilis*, apud CELS. praef. I. SENEC. *epist. LXXI. QUINCTIL. declam. IX. (principalis, PLIN. Paneg. 82, 6. & GELL. XIII, 10. & principaliter, PLIN. Pan. 47, I. G.)*

\*) AMICABILIS multi probant auctoritate PLAUT. *Mil. glor. IV, 4. v. 8*. Sed ibi meliores codices habent ADIUTABILIS. Vid. DUKER. *de Latin. ICI. p. 340*. (AMICALIS habet APUL. *de mundo*. Libri iuris fluctuant inter *amicabilis* & *amicalis*, ut nusquam constet vera lectio. G.)

\*\*) CONDITIONALITER dixit CAIVS lib. 17. §. 3. *D. de cond. inst. & IUSTINIANUS §. 31. Inst. de legat.* Sed si non iuridicum; saltem cadentis Latinitatis hoc vocabulum est. Vid. DUKER. *de Lat. ICI. vet. p. 446.*

Magna quoque adhibenda est cautio in recipiendis huiusmodi

di

di substantivis in udo desinentibus, quum nulla sit forma, quae sub specie probatae Latinitatis magis decipere possit. Vide GUNTHER. *Lat. rest.* P. I. LXXX. p. 47.

(Eodem iure poterat etiam canon poni de nominibus in osus, item his, quae in ANUS vel ANEUS etc. exeunt. G.)

## XII.

Quatenus retinenda vocabula ecclesiastica?

Partius septimo in elegantiore stilo adhibenda sunt vocabula & phrasae ecclesiasticae, si elegantiore stilo aequae commode reddi possint\*). Si quid tamen eiusmodi vocibus inest *μωσῆσιν*, (i. e. quo dogma quoddam christianae religionis proprium commode exprimitur, ad quos longa paraphrasi opus est, G.) rectius feceris, si eas adhibeas, quam si mutando profanus videaris\*\*).

\* ) Multa in Latinitatem vocabula invecta sunt a Patribus ecclesiae occidentalis, & maxime ab interprete scripturarum Latino, quem vulgatum vocari moris est. Ea dici solent ecclesiastica. Sed quum pleraque elegantius possint exprimi; non video, cur studio barbarismos consecrari velimus. Dabimus operam, ut quomodo pleraque exprimi possint, doceamus.

ABOMINATIO, *res detestabilis, res abominanda.*

ABSOLVERE, *criminum vinculis exsolvere.* (Iudiciale verbum rei ipsi conveniens, quo cur non utamur, nihil causae video. G.)

APOSTATA, *religionis verae desertor, qui patriam religionem eiecit.* (In Iuliano Imp. quasi proprium. G.)

BAPTISMUS, *sacrum illud lavacrum.* (Graecum nomen, eaque causa tolerabile, praesertim in docendo. G.)

BLASPHEMARE, *exsecrari.* (Contumeliose in Deum loqui, maledicere Deo. G.)

CANONIZARE, *in Sanctorum numerum referre.* Non adeo aptum est CONSECRARE, quo Romani ipsam *ἀποθέωω*, quam abominari se profitetur Romana ecclesia, significabant. (At si haec ratio valet, neque sacrificium, neque Pontificem maximum, nec infinita alia, dicere licebit. Quos consecrabant Gentiles, eos non ideo Conditores rerum omnium putabant, sed sanctos, sed Augustos, venerabiles, ultra humanam sortem aliquantum elatos, adorandos.)

CONSCIENTIA BONA vel MALA, *salvo officio quid facere, salva fide quid posse, religione impediri, religio est.* Vid. CIC. pro S.

S. Rosc. Amer. c. I. § 34. & ad divers. lib. IX. ep. 12. Multo minus ergo apud veteres reperias *scrupulus conscientiae*, pro quo dicere solent *religio me incessit*. TER. Andr. IV, 3. v. 15. Frequentes quoque veteribus sunt formulae, *conscientia factorum, recti, bene actae vitae, sceleris etc.* Vid. CELLAR. *Antibarb.* IV. p. 236. CORT. ad Sallust. p. 36.

CONTRITIO, *admissorum criminum dolore excruciari.* (Sed Theologi coguntur interdum *contritionem* & *attritionem* distinguere. G.)

CREATURA, *res creata.* Eleganter quoque LACTANTIUS creaturam vocat *opificium Dei.*

CRUCIFIGERE, pro quo semper veteres habent *cruci affigere, suffigere, in crucem agere, tollere.* Vid. GRAEVIUS ad SUTTON. *Domitian.* c. 10. CELLAR. *Antibarb.* p. 106.

CRUX, *priorum calamitas.* (Aliud plane Latine significat *crux*, nempe aut supplicium infame, aut rem molestam. Cum vero cogamur, *Christi crucem* dicere, non reverear in scripto praesertim ascetico illam formulam. G.)

DAMNARE, DAMNATIO, DAMNATI, *aeternis suppliciis mactare.* CIC. *Catil.* I, 13. *sempiternis cruciatibus addicere, mancipare.* [Possunt tamen & haec recte adhiberi, ubi constat & definitum est antea, de quonam iudicio, de quibus poenis sit sermo. N.]

EXCOMMUNICARE, *sacrorum usu prohibere, interdicare sacrorum commercio, eicere ecclesia, diris devovere.*

EXAUDIRE PRECES, *audire preces, annuere precibus, vota rata habere.* [Immo *exaudire* preces idem plane est quod *audire*, & bonae notae. Virg. XI, 157. *Nulli exaudita Deorum Vota praesque meae.* etc. N.]

ELEEMOSYNA, *stipem conferre in egenos.*

ETHNICUS, *paganus, profano cultui deditus, deorum cultor.* (*Pagani* appellatio Theodosiano demum saeculo a re ipsa originem habuit, quod in pagos relegarentur. Ego neque *Ethnicum* neque *Gentilem* refugerim, cum ea non minus, quam olim *Barbari* appellatio, vim propriorum habeant. G.)

FESTUM. Hoc substantivo praeter scriptores ecclesiasticos etiam poetae utuntur: ast prosaici scriptores dicere malunt *festi dies* vel *festus dies*.

FORNICARI scriptoribus ecclesiasticis est *scortari*, sed Latinis veteribus idem ac *fornice arcuari*.

GENTILIS vide ETHNICUS.

HUMILIS, HUMILITAS proba sunt, si denotent id, quod humi repit, vel parvum est, (& quoties ad gestum corporis referuntur, ut *Bacche tuis humiles advolvimur aris.* G.) At quum scriptores ecclesiastici *humiles* vocant, qui abiectius (modera- te

te vel intra modum, G.) de se sentiunt, rectius substitueres voces *modestus* vel *modestia*. CELLAR. *Antibarb.* p. 166.

IEIUNARE, *cibo se abstinere*. NEP. *Attic.* 22. (Est tamen Tertuliani G.)

IMPLERE LEGEM. CIC. *ep. ad divers.* II, 17. HORAT. *epist.* I, 16. *parere legi, satisfacere legi, officii sui partes implere.*

IMPOENITENS, *improbus, impius, qui nullo peccatorum sensu tangitur.*

LONGANIMITAS, *ira lenta, lento gradu ad vindictam procedere, in ulciscendo tardior, remissior*. CIC. *post redit. ad sen.* c. 9. VAL. MAX. I, 1.

MINISTERIUM, *ordo sacer.*

MONIALIS, *sacra virgo.*

MUNDUS ecclesiastico stilo modo pro *impiorum colluvie*, modo pro *rebus humanis* ponitur. (*Vita, saeculum, hoc intellectu veteres.* G.)

OPERA BONA, *sanctae actiones, sanctimonia, pietatis studium, [virtus Christiana. N.]* (Sed in Theologia dogmatica, vix licet eo abstinere. G.)

PROPHETARE, *vaticinari, praedicare, (canere. G.)*

PROXIMUS ecclesiasticum est. Latinius dicitur *alius, alter, homo hominem*, cet.

POENITENTIA, probatum est; ast si notet *μετάνοιαν*, Latinius dices, *emendatio vitae, redire ad meliorem mentem, ad frugem redire*. (Theologi vix carere possunt. G.) RESIPICENTIA vero plane non Latinum est. (Quin sic *μετάνοιαν* vertit LACTANTIUS 6, 24, 6. G.)

PECCATA REMITTERE, *ignoscere, veniam dare, gratiam delictorum facere, remittere absolute*. Vid. LIV. XXXIV, 32.

SALVIFICO, *servo, salvo, salvum reddo, (facio, G.) ad sempiternam beatitudinem perduco.*

SCANDALUM, SCANDALIZO, *impedimentum pietatis, irritamentum malorum, corrumpere quem, peiorem reddere, conscelerare alicuius aures*. LIV. XL, 8. *incestis vocibus temerare aures*. OVID. *Trist.* II. v. 503. (*offendi*. Sed non possunt eo carere dogmatici, ubi distinguunt v. c. inter scandalum datum & acceptum. G.)

SAECULARIS Latinis est centesimus annus, vel centesimus decimus potius. ORAT. *Carm. saec. v.* 21.

*Certus undenos decies per annos*

*Orbis ut cantus, referatque ludos,*

*Ter die claro, totiesque grata*

*Nocte frequentes.*

Conf. CENSORIN. *de die natali c.* 17. Unde dixere *Iudi saeculares*.

Ec-

Ecclesiasticis haec vox notat *profanum*. (quia *saeculum* & *aior*, ponebatur pro huius aevi hominibus, quos plerosque malos ponimus. Doctores *clericos* se dixere, item *religiosos*, (ii, qui cultum Dei docent), alios omnes *saeculum*. Ceterum consultissimum mihi videtur, ut hanc distinctionem sequamur. Quoties obiter, in vita enarranda, aut in simili oratione, alioquin pura & polita, incidat sacrarum rerum mentio, non absurdum, sed decens est, periphrasi commoda, quaeque intelligi ab omnibus possit, explicare ea, quorum propria vocabula minus Latina sunt. Sed quum in docendo versamur, & capite quodam doctrinae coelestis explicando, servanda sua Ecclesiae in loquendo proprietas, utendum nominibus & verbis, quae vel vulgatus interpret, vel Patres, nobis tradidere; quae res si alioquin bonus sit orationis color, & ad Lactantii ceterorumque exemplum politus, minime illam contaminabit. G.)

\*\* ) Cave ergo, voces e sacris profanis petitas nostrae religionis mysteriis & ritibus adplices. Id praecipue facere soliti sunt olim BEMBUS, aliique, qui se CICERONIANOS vocari voluerunt. Hi enim, quum religioni sibi ducerent, ullo uti vocabulo, quod Ciceronianum non esset, *θεωδωρον*, *heroa*, quasi ex semisse Deum & ex semisse hominem, baptismum *aquas lustrales*, angelos *genios*, sacram eucharistiam *sanctificum crustulum* vocare non dubitarunt. Vid. IUL. CAES. SCALIG. *Poet.* VI. p. 800.

### XIII.

Octavo eadem cura abstinendum est a vocabulis quibusdam, quae iureconsultis esse solent in deliciis, & in vetustis auctoribus nullum reperiunt praesidium \*).

Ut & a vocabulis iuridicis.

\*) Elegantissimam esse veterum iureconsultorum tantum non omnium dictionem, lippis ac tonsoribus notum est. Vid. CAR. ANDR. DUKERI *opuscula de Latinitate veterum Ictorum*. Attamen & hic singulorum aetas discrimen facit. Nam ALFENUM VARUM elegantius scribere, quam IULIUM PAULLUM, nemo mirabitur. Castior quoque esse solet eorum, qui Romae adoleverunt, quam peregrinae originis iureconsultorum Latinitas, veluti ULPIANI, de quo rectissime iudicat V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK *Observat.* VIII, 15. Fuere tamen ex ipsis peregrinis; inter quos nescio an reliquis omnibus palmam praeriperit PAPINIANUS, de cuius Latinitate videndus EV. OTTO in *Papiniano c.* 6. Ast sequiore aevo varia in iurisprudentiam in-

E

ve-

vecta sunt vocabula, quae ab antiqua Romanorum elegantia aliud parum discrepant. (Nempe quae alias act. tes. vel gradus Latinitatis in universum statuuntur, illae aetate, illi gradus speciatim ad ICtorum Latinitatem applicari debent. Infantia & pueritia spectatur in fragmentis Lepum repiarum & XII tabularum etc. Illud hic monuisse sufficerit, I. cum ICtis, quorum fragmenta in Pandectas relata sunt, de rebus ad nos pertinentibus, loqui, neminem pudere debere. II. Plurima purae puritatis & elegantiae verba, formulas infinitae ex Pandectarum opere peti posse, quae nullam orationem dedecant, eoque proinde inter classicos scriptores illud reponendum, certe quantum ad antiquiorum ICtorum fragmenta. III. Latinitatem Codicis tum Theodosiani, tum Iustiniani, relinquendam ICtis, quoties ea carere non possunt: ac multo magis ea, quae Glossatores & Feudalium librorum auctores invexere. Ceterum thesaurus quidam Latinitatis ICtorum est BRISSONIANUM LEXICON; varie a pluribus interpolatum, (cuius auctor emendatiorque editio studio HEINECCII prodit 1743.) De hodierni etiam fori rationibus Latine loqui docent GUIL. BUDAÏ *Esrensia*. Laudandi etiam sunt [CUIACIUS, N.] HUGO DONTELUS, FR. CONNANUS, FR. DUARENUS, FR. BALDUINUS, FR. HOTOMANNUS, BARN. BRISSONIUS; ex recentioribus GRAVINA, AVERANIUS, VAD ECK, HYNCKERSHOFK, NOODTIIUS, HEINECCIUS noster, ne de vivis dicam. G.) Talia sunt, quae sequuntur \*).

\*) Immo & multo plura, veluti APANAGIATUS, pro quo *privatum* dixit SALLUST. *Ingrath. c. 5.* ubi quaedam notavit CORTIUS p. 434. CASUS, pro quo veteres *species*: TORTURA, pro quo veteres *tormenta*, CURT. *Lib. II. c. 10.* REPLICARE, pro quo veteres: *exceptionem replicatione dederunt*. Immo & *referre*, BURM. *ad Ovid. Tom. II. p. 80.* (Sed quaedam etiam praeter rem impugnata: cuius rei varia specimina in opusculis, quae Dukeri studio luci reddita, possunt inveniri: & auctorem nostrum Pomponiana quaedam defendisse iam est monitum. G.)

ADVOCARE pro *causam agere, adesse res in periculis*. Vid. GRONOV. in *Senec. de Clement. I. 9.* (Latino stilo *advocat* litigator patronum vel amicos, qui sibi in iudicio adsint, qui proinde *advocati* vel *advocatio* dicuntur etc. Aliud vero est *advocatum* esse: aliud *patronum*. Ille adest modo in iure vel extra ius & praesentiam accommodat, suggerit, quod commodum est etc. Hic totam causam suscipit. Sed Plini junioris & Quinctiliani aetate iam advocatus dictus est patronus. G.)

CAMBIUM pro *collybo, commutatione pecuniae*.

COM-

COMPLICES pro *sceleris vel amentiae sociis, audaciae satellitibus atque ministris*, ut vocat CIC. *Catil. I. 3. & 4.* PRUDENTIUS tamen in *Rom. v. 8. 22.* paganos nominat *complices seclae impiae*.

DISPENSARE pro *legibus solvere*.

IURAMENTUM pro quo semper apud veteres est *iusiurandum vel sacramentum*. CELLAR. *Antibarb. p. 62. & cur. post. p. 221.* (Vix carere licet in docendo. G.)

MATRICULA pro *albo, indice*, (*breviario*. G.)

MELIORARE & DETERIORARE pro *meliorem vel deteriorem reddere, in melius referre*, (*mutare* debebat esse. G.)

NOTORIUM, NOTORIE, *manifestum, manifeste, apertum, aperte*, (*publicum, in vulgus notum*. G.)

SALVUS CONDUCTUS, pro quo elegantius dicitur, *fidei publicam dare, fide publica evocare, interposita fide publica aliquo ducere*. Vid. SALLUST. *Ingr. Bell. 32. Catilin. c. 48.* EPIT. LIV. 65.

TORTURA pro *tormentis vel quaestionibus* (aut *quaestione tormentorum*. G.) Non tamen est, cur quis in iurisprudencia abstinere velit a vocabulis veterum iureconsultorum, si forte illa in auctoribus classicis praesidium non reperiant. e. g. *usurpatio* pro interrupta usucapione, *postulare* pro *causam agere, constituere, traditio, brevi & longa manu*. Sunt enim haec & similia Latina, sed ICtis propria, quemadmodum multa medica habet CELSUS, multa architectonica VITRUVIUS, multa rustica CATO, VARRO, COLUMELLA, quae Latina esse nemo negabit, quamvis apud Ciceronem aliosque non legantur.

#### XIV.

Nono omnium minime Latinitas elegantior polluentur da est vocabulis philosophicis, maxime iis, quae medio aevo reperit barbara scholasticorum turba \*).

Nec enim a vocabulis philosophicis.

(Medicis pepercit auctor, ubi multa sunt ex Arabicorum librorum versionibus invecta. G.)

\*) Sunt vocabula technica iam olim civitate donata, quae nemo adhibere dubitaverit. Sed nec desunt, a scholasticis inventa, qui data veluti opera barbariem sectabantur. Non dicam iam de *haecceitatibus, quidditatibus, entalitate, indioiduatione, quodlibetis, staretis*, aliisque verborum monstribus. Vide PLECIACI *Lexicon philosophicum, Hagae Comitum 1766. 4.* (recurrant cum Glossario APINI.) Sufficiat nonnulla notare, quibus facilius adhaerent *invenies*.

Aequipollere pro *aequari, aequiparari, eiusdem significationis vel notiois esse*.

AFFIRMATIVAE propositiones, quas elegantius *aientes* vocat CICERO *Topic. II. Negantia, contraria aientibus.*

CAUSSARI veteribus fuit *causam interserere*; scholasticis *pro- duci, generari.*

CONTRADICTORIA vel CONTRADICTIONEM IMPLICARE, (etiam IMPLICARE simpliciter, G.) dicebantur scholasticis, quae veteribus erant *repugnantia inter se, vel non cohaerentia.*

DISCURSUS pro *sermone* vel *sylogismo* scholasticorum sordes redolet. Veteribus discursus erat *cursum ulro citroque factus.* Vid. CELLAR. *Antibarb. p. 155.*

Talia etiam sunt IMPOSSIBILE pro *eo, quod fieri non potest.* PRAESUPPONERE vel SUPPONERE, de quo v. c. BURMANN. *ad Quintil. Tom. I. p. 205.* INFERRE pro *argumentum ducere col- ligere*, OPPONERE, absolute, & similia fere innumera.

## XV.

[Et poetis.]

Decimo poetarum quoque adeo faciles fuerunt in fingendis vocabulis \*) , & maxime epithetis \*\*) ; ut veteres opponere soleant sermoni *humano poetico* \*\*\*). Unde merito a propriis eorum loquutionibus abstinent, quotquot sunt purioris Latinitatis amantiore.

\*) Metri causa multum sibi indulserunt poetarum, & in his etiam comici, qui tamen non adeo servierunt metro. Plures eiusmodi voces & formulas poeticas collegit CELLAR. *Antibarb. p. 256. seq. v. c. absque illo esset: amare pro solere, cluo vel clueo pro vocor, nominor: coeli pro coelo: est pro licet: festum pro festo die: genitor & genitrix pro parentibus: grates agere pro gratias agere: letum pro morte: natus vel gnatus pro filio: oblivia pro oblivione: potis vel pote est pro potest: salutari pro vocari: venit pro est sequente participio in NDUS.* (Metri causa omis- sisse quaedam verba possunt poetarum, vel aliter inflexisse, con- traxisse, produxisse, unde figurae Grammaticae: adhibuisse metri causa non videntur temere verba alioquin incognita. Sed huic rei occasionem dedit τὸ ἐμφαντασίωτον, quaerunt verba, qui- bus imagines rerum animo conceptas efferant: itaque compo- nunt varie, sono ipso res student exprimere, novaturiunt, graecissant, antiquis utuntur etc. Hic itaque hoc teneant ti- rones. Quae verba, epitheta, formulae in bono Lexico non aliam habent auctoritatem, quam poetarum, illis non temere utendum in soluta oratione. Quis enim alioqui dicat tironi, quae sint propriae poetarum loquutiones? De poeticae vero di- ctionis ab oratoria diversitate, de utilitate poeseos ad facultatem

tem dicendi iustis voluminibus agi potest, & actum est. G.)

\*\*) Epitheta decomposita & dithyrambica poetis familia- rissima maxime deformant orationem, v. c. *flammiger, aurico- mus, pietaticultrix, incurvicervicum pecus*, cet. Vid. BUCHNER. *de comm. rat. dic. Lib. I. c. 13. p. 208.*

\*\*\*) PETRON. *Satyr. c. 90. Saepius* POETICE, quam HU- MANE, *loquutus es*; ubi videndus IAN. DOUSA, [hic nihil videbis; nimirum provocat ad notulas suas in illud HORAT. *Ep. I, 18, 47. Surge, & inhumanae senium deponere Camoenae. N.*] & addendus MORHOF. *dissert. de ἐπιφαντασίῳ vel furore poetico.* (Ita Homerus distribuit nomina antiqua & poetica. G.)

## XVI.

Denique quum non cum Evandri matre hodie lo- quamur, *merito cavendum ab archaismis & vocabulis obsoletis* \*). Immo CICERO ipse dicit: *abiecta & ob- soleta verba abiiciat orator*: quibus tamen multos, ne- scio quam ob rem, mirifice delectatos video \*\*).

Ac denique ob- soletis.

\*) *Archaismi* sunt formae dicendi scribendive veteres, quae iam pridem ab usu recesserunt. v. c. *alli* pro *illi*; *aquai* pro *aquae*; *operam abutitur suam* pro *opera sua abutitur*, apud TE- RENT. *prol. Andr.* Tales archaismi innumeri occurrunt in co- lumna Duilliana, aliisque lapidibus vetustioribus, (in axamen- tis seu hymnis saliaribus, G.) nec non in fragmentis XII Ta- bularum, VARRONIS, FESTI, ENNII, PACUVII, LUCILII, ac denique apud PLAUTUM, TERENTIUM, SALLUSTIUM, LU- CRETIIUM. *Sed talia observanda potius, quam imitanda sunt.*

\*\*) Horum facile antesignanus est IUSTUS LIPSIUS, qui quum iuvenis stilo nitido & plane ad Ciceronianam dicendi rationem composito uteretur \*): paullo post novum sibi ipsi finxit dicendi genus, abruptum, histrionicum, atque innume- ris refertum archaismis, ut saepe vetere quodam grammatico, aut si mavis, Delio natatore opus esset ad solvenda illius aeni- gmata. Vid. MARES. *Ep. I, 9.*

\*) Argumento sunt eius orationes octo, Ienae potissimum habitae, recusae cura v. c. IO. HENR. KROMAYERI Ien. c1010ccxxvi. de quibus recte HEUMANNUS: *In is oratio- nibus LIPSIUS non utitur stillo Lipsiano, sed Ciceroniano, hoc est, non scatet argutiis, non verborum allusionibus, non stu- det sententiosae & antiquariae brevitati, sed profluenti utitur stilo, facili, ameno.*

## XVII.

Concinnitatem  
orationi concin-  
niant periodi.

Sed sufficere haec putamus de prima, quam commendabimus, orationis virtute; id est, de *puritate*: proximum est, ut de **CONCINNITATE** dicamus. Hanc orationi conciniant *periodi* \*). Unde tota illa ars periodica, quam tam pauci recte norunt, paullo diligentius hic videtur inculcanda.

Vide Cel. c. G. SCHWARZII *diss. de oratione concinna*, *Alterphi c1510ccviii*. 4. [Idem argumentum tractavit V. Cl. Theoph. Guil. Irmisch, Plaviae 1760. 4. *Positam esse, dicit, concinnitatem, in quadam conformatione orationis, partiumque eius inter se convenientia, sive acquabilitate, sive similitudine sive quasi conspiratione concentuque*. Qui vero hanc de periodis materiam, a vulgari intelligentia, in quantum ars est, remotiorem, & in qua ipse auctor noster non satis temper accurate versatus est, plane vult animo suo comprehendere, illum adeat oportet IO. STURMII *de periodis libellum*, explicatum a Val. Erytraco, qui a. 1727. 8. *longe recurus est cura FRID. ANDR. HALLBAVERI*, sed sine Erytraci notis. Debent autem simul conferri ARISTOTELIS locus paullo post indicatus, & inprimis, quae HERMOGENES L. IV, 3. *περὶ ἐυρέσεων*, de hac re praecepit, ubi p. 166. *ed. Sturm.* agit *περὶ περιόδου*; sed adhibeantur, quae ad illum locum commentatus est idem STURMIUS, quo viro in re oratoria nihil habemus subtilius, nihil accuratius. Multa quoque praeclara habent DEMETR. PHALER. & eius interpretes Victorius atque Caselius. N.] [Solent etiam ii, qui artem tradunt rhetoricam, hanc eloquentiae partem non omittere, & hic quoque princeps est VOSSIIUS N.]

\*) Unde periodis conclusa oratio **CONCINNA** vel *dimensa* dicitur, cui opponitur oratio **FUSA**. Graecis illa dicitur *κατεγραμμένη*, haec vero *ἑρομένη*. Utriusque discrimen luculenter exponit ARIST. *Rhet.* III, 9.

## XVIII.

Quid perio-  
dus?

*Est vero periodus, ut ait CICERO* \*), *oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quoad persistat in singulis perfectis absolutisque sententiis* \*\*).

\*) Ita CIC. *de Orat.* 3. Paullo aliter ARISTOTELES L. III. *Rhet.*

*Rhet. c. 9. §. 4. Λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὐτὴν καὶ μέγιστος εὐσύνοπτος. Voco periodum orationem habentem principium, & finem ex se ipsa, & conspicuam magnitudinem. Utraque definitio eodem redit, ut paullo post adparebit. [Hermogeniana definitio infra §. 30. illustratur. N.] (Ratio appellationis haec est. *Periodus, ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circumscriptio, orbis*, Gr. *νομή & συζοφή, πρόπαισις & ἀπόδοσις*, & similia nomina haec nobis similitudinem insinuant: Quemadmodum in circulo principium & finis connectuntur ipsa figura atque circumducta lineae; ita in periodo principium & finis connectuntur constructione grammatica, ut sentiat lector vel auditor, finem nondum adesse, donec subiiciatur illud, quod prima verba nos expectare iubent. Haec etiam atque etiam tenenda, & exemplis aliquot Ciceronis familiaria reddenda: ne cum Auctore putemus *ambitum* in periodo idem esse, quod verba amplificationis causa addita. Verum est, vix posse periodum dici, quae paucis tantum verbis constet: nec enim rotundum illud & circumductum potest intelligi, nisi etiam sint, quae corrotundari & circumduci possint: sicut ordo locum non habet, nisi inter plura. Sed natura periodi non est in multitudine verborum, verum in illa, quam descripsimus, conclusione. G.)*

\*\*) Praecipuas ergo periodi leges ac potiores characteres notari oportet. Ex definitionibus enim patet, I. *omnem periodum ambitu quodam seu circuitu gaudere*, qui si absit, ex periodo fit propositio logica. *cic. epist. ad divos. II, 14. ait: M. Fabio, viro optimo & homine doctissimo, familiarissimus utor.* Tolle ambitum, verba nimirum: *viro optimo & homine doctissimo*, & non periodum amplius habebis, sed propositionem logicam. (Ista verba, ut iam monitum est, non ipsa sunt ambitus, sed faciunt, ut ambitum accipiat oratio, quia flectitur ita & circumagitur. G.) Deinde ex iisdem definitionibus discrimus, II. *periodum omnem ita procurrere debere, ut sensus non nisi perfecta absolutaque sententia percipiatur*. Hinc quando *SALLUST. bell. Jugurth. c. 10. ait: concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur*: ea quidem non est periodus: quia singula membra separatim intelliguntur. Sed si ita diceret: *quemadmodum concordia parvae res crescunt: ita discordia etiam maxime dilabuntur*: haberes periodum, cuius sensus non nisi perfecta absolutaque sententia percipitur. Ex quo porro patet, III. *fusam fieri orationem, quae vel incisim, vel membratim procurrit*. *Incisim loquitur e. g. cic. post redit. in senatu G. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiops, si in foro constitisses, nihil crederes interesse. Sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhu-*

manum, neglectum, Cappadocem modo abreptum de grege venalium dices. (Haec sunt *περιδικά*. Incisum oportet sensum absolvere. Incisim CIC. *orat.* 67. dixit haec quatuor: *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas.* G.) Membratim idem CICERO in *Pison.* 40. *Occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem desertus ab amicis, nullae ad senatum e provincia litterae, nulla ex trinis aestivis gratulatio, nulla triumpho mentio.* In primis huc pertinet locus CICER. *ad Q. Fratrem Lib.* III. ep. 9. *Pomponius abest: Appius miscet: Hirrus parat: multi intercessores numerantur: populus non curat: principes nolunt: ego quiesco.* (In hoc ultimo exemplo non membratim, sed incisim loquutus est Cicero. Aliud substituitur ex illius *Orat.* 67. *Incurristi amens in columnas: in alienos insanus insanisti.* Haec sunt paullo proponenda disertius. Incisum s. Comma in hac rhetorum doctrina est oratio intra VIII. circiter syllabas comprehensa: Vid. CIC. *pro Plancio* c. 4. *pro Domo* c. 35. *de harusp. resp.* c. 15. *ad Q. fr.* 3, 9. *Colon* s. *Membrum* ad XVII syllabas procurrit: ita ut *Comma maius* paullo possit minus *Colon* videri & vice conversa. Vid. *pro Planc.* c. 6. *pro Sext.* c. 39. *Catili.* 2. c. II. *Verr.* I. c. 10. *de harusp. resp.* c. 27. Iam incisim loqui est ita loqui, ut sensus & constructio grammatica finiatur intra incisum, h. e. octo syllabas aut pauciores: *membratim* loqui vel scribere adeo, ut finiatur intra VIII & XVII syllabas. Alioquin *periodus* ipsa suis *membris* s. *colis* constat, *membra* autem *incisis*, in quantum nempe *colon* est maior pars. *periodi*, a qua *δικαλος*, *τρίκωλος*, etc. dicitur, ut mox docebitur. G.)

## XIX.

Quotuplex?  
Quid periodus simplex?

Ceterum periodus vel SIMPLEX est vel COMPOSITA. *Simplex* est, quae uno constat membro vel colo, unde & *μονόκωλος* vocatur \*).

\*) Ut periodus simplex possit a propositione logica distinguui, accedere debet *ambitus* vel *circuitus* quidam. Hinc adici solet quaedam descriptio vel *περίσσεια*, ut numerosior perfectiorque fiat oratio. Ubi tamen recte monet NIC. CAUSSINUS *de eloquent.* *Lib.* VII. c. 5. *cavendum esse vehementer, ne iustae periodi explendae gratia, quo melius cadat aut volvatur oratio, inania quaedam verba inculcemus, quasi complementa numerorum. Nihil enim frigidius esse, puerilius, & a vera germanaque eloquentia magis alienum, quam ubi materia non patitur, sed res est presse & rotunde efferenda, periodorum tractu inanem distendere orationem.* Parum a propositione logica abirent illa: *hortatus es, ut epistolas*

*las meas colligere.* Ut periodus inde fiat, PLIN. *epist.* I, 1. addit ambitum quemdam vel circuitum: *frequentur hortatus es, ut epistolas, si quas paullo curatius scripsissem, colligerem publicaremque.* Propositio logica esset: *epistolam tuam conscidi.* Ast ambitu addito, hanc inde periodum formavit CICERO *epist. ad divers.* VII, 18. *Epistolam tuam, quam accepi ab L. ARUNTIO, conscidi innocentem.* (Insigne in primis exemplum suppeditat CIC. *Cat.* 3. princ. Addi etiam potest eiusdem *Cat.* 4. fin. G.)

## XX.

*Composita* periodus est, quae constat pluribus *colis* \*); duabus autem *partibus*, quarum alteram *πρότασιν* alteram *ἀπόδοσιν* vocare solent \*\*). Ea iterum vel *bimembris*, vel *trimembris*, vel *quadrimembris* est.

Quid composita?

\*) *Colon* sive *membrum* periodi (hic non attenditur ad numerum illum syllabarum, sed tantum ad relationem, G.) est propositio, quae tamen, (hic in periodo, ob particulam, a qua velut suspensa est, G.) sensum non absolvit, sed eundem ad reliquae usque partis subiectionem suspensum relinquit, v. c. apud CICERONEM *pro A. Caecin.* I. prima orationis periodus quatuor constat *colis* sive *membris*.

*Si quantum in agro locisque desertis audacia postest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret: non minus nunc in causa cederet A. Caecina S. Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda cessit audaciae.*

En quatuor propositiones, quarum nulla per se & seorsum sensum absolvit, universae vero coniunctim absolunt periodum, quae ideo quadrimembris vel *τετράκωλος* vocatur. (Re autem vera harum propositionum unaquaeque habet suum sensum; 1. Multum potest audacia; 2. non tantum impudentia; 3. nuper cessit Caecina; 4. nunc non cedit. G.)

\*\*) A *colis* sive *membris* differunt *partes*, periodorum compositarum, quarum duae sunt, *πρότασις* & *ἀπόδοσις*, vel, ut philosophi vocare solent, ANTECEDENS & CONSEQUENS. v. c. apud CIC. *epist.* V, 12. hanc reperimus periodum bimembrem: *qui semel veracivilitatis fines transierit: eum bene & naviter oportet esse impudentem.* Hic prior pars, duobus punctis notata, est *πρότασις* vel *antecedens*, posterior, puncto notata, *ἀπόδοσις* seu *consequens*. De his duabus periodorum compositarum partibus haec notamus. I. *Eas non semper esse aequales.* Saepe enim *protasis* tribus, aut duobus *colis*, *apodosis* unico constat; saepe etiam haec illa maior atque uberior est. v. c. CIC. *epist. ad divers.* XV, 3.

Quum

Quum ad me legati, missi ab Antiocho Commageno, venissent in castra ad III. Non. Septembres,

iique mihi nuntiassent, regis Parthorum filium, quocum esset nupta regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis, multarumque praeterea gentium magna manu venisse, Euphratemque iam tum transire coepisse, dicitque Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum: putavi pro nostra necessitudine me hoc ad te scribere oportere.

Quum quatuor hic sint cola sive membra; tria priora, eaque satis proluxa ad πρότασιν pertinent; postremum idque brevis ἀπόδοσιν absolvit. Ast paulo ante epist. XV, I. CICERO ita inchoat epistolam:

Etsi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos transiisse Euphratem cum omnibus fere copiis:

tamen, quod arbitrabar, a M. Bibulo procos. certiora de his rebus ad vos scribi posse,

statuebam mihi non necesse, publice scribere ea, quae de alterius provincia nuntiarentur.

Hic πρότασι uno; ἀπόδοσι duobus membris constat. Observandum II. ἀπόδοσιν nonnumquam antecedere πρότασιν, v. c. CIC. pro Millon. 3.

Negant, intueri lucem, esse fas ei, qui a se hominem occisum esse, fateatur.

Hic ἀπόδοσι, inverso ordine, priorem, πρότασι posteriore loco occupat. Ad haec illud quoque observari meretur, III. alterutri parti accedere nonnumquam veluti laciniam, quam ἐπισύνταξι vocant antiqui rhetores, v. c. CIC. Verrin. V.

Si potest ista pecunia sine aratorum iniuria detrabi: habeat hoc populus Romanus, PRAESERTIM IN TANTIS AERARII ANGSTIIS.

Etiamsi postrema huius periodi verba tolleres, absoluta tamen futura esset & perfecta sententia. Ergo haec accedunt, tamquam ἐπισύνταξι. Denique IIII. observandum, ad finem προτάσεως DUO PUNCTA; ad finem totius periodi UNICUM PUNCTUM; ad finem reliquorum membrorum, si integris propositionibus constant, COMMA; sin aliquid ad perfectionem propositionis desit, SEMICOLON esse ponendum. Id quod fundamentum est totius interpunctionis \*). v. c. CICER. pro Mil. cap. I.

Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere,

minimeque deceat, quum T. Annius Milo ipse magis de reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad eius caussam parem animi magnitudinem adferre non posse:

tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos,

qui,

qui, quocumque inciderint veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt.

Hic ad finem secundi membri colon ponendum; ad finem postremi punctum; reliqua membra, quia perfectas propositiones continent, commatibus, notantur. Verum si ita diceres:

Si quantum in me amoris ac diligentiae; tantum in te fidei prudentiaeque fuisset: neuter iam nostrum laboraret.

primum membrum exigeret semicolon, quia non continet propositionem perfectam: secundum colon, quia ibi finitur πρότασι: tertium punctum, quia eo clauditur periodus.

\*) Non iam disquiremus, antiqua sit haec interpungendi ratio, an a grammaticis excogitata? Ipse enim ARISTOTELIS Rhet. III, 5. 17. adducit locum HERACLITI: τὸ λόγῳ τῶν ἐόντων αἰεὶ ἀζήντοι ἀνδρῶποι γίνονται, quem ideo obscurissimum esse ait, quod sit μὴ ῥαδίως διαλέξαι, interpunctum difficile, nec constet ante αἰεὶ, an post illud distinctio sit facienda. (Haec ratio cum antiqua non est, sed aliquamdiu post instauratas litteras inventa; tum non ita communi consensu recepta, ut non passim ab ea discedi videas: quod apparebit, si quis hoc ipsum Milonianae initium inspicere velit. Deprehendet enim nemini adhuc editorum hanc rationem, quam Auctor probat, placuisse. Et non diffiteor, mihi in hoc certe aliter videri, quod putat hos esse quasi gradus interpungendi: I. Comma, quo se iungi possunt, quaecumque verba non proxime unum ab altero reguntur. II. Semicolon; ubi maiorem seiunctionem, maius intervallum, oppositorum praesertim, indicare volumus. III. Colon: ad protasin & apodosin maiorum periodorum disiungendas. IV. Interpunctum minus, quod littera maiuscula non sequitur, ubi grammatica constructio finitur, continuatur idem argumentum. V. Interpunctum maius, post quod vel littera maiuscula, vel novus plane versus, novum initium novi argumenti, vel partis maioris indicat. Haec conveniunt cum ALDI MANUTII praeceptis, orthographiae subiectis, cum titulo, Interpungendi ratio. G.)

### XXI.

Periodus bimembris est, quae protasi aequae ac apodosi unimembris absolvitur. Eam formabis facile, si logicae propositioni vel caussam \*), vel conditionem \*\*), vel contrarium \*\*\*), vel comparisonem \*\*\*\*), vel aliud quiddam huiusmodi adieceris \*\*\*\*\*).

Periodus bimembris.

Sic



\* ) Sic enim *caussa* vel *aetiologia* protâsin , ipsa *propositio* dabit apodosin. V. c. Esto *propositio* logica : *mitto tibi librum promissum*. Si *causam* vel *rationem* addideris , nascetur inde *periodus* bimembris , qualis est apud PLINIUM *epist. I, 2.*

*Quia tardiozem adventum tuum prospicio ;  
librum , quem prioribus epistolis promiseram , exhibeo.*

Ita & *propositio* logica : *multas ob causas Romae me esse opto*, addita *ratione* facile in hanc *periodum* bimembrem commutatur a CIC. *epist. ad divers. XV, 13.*

*Maxime mihi fuit optatum , Romae esse tecum multas ob causas :*

*sed praecipue , ut & in petendo , & in gerendo consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses.*

\*\* ) Addita *conditione* nascetur *periodus* *conditionalis*. Tali est illa CICER. *epist. ad divers. VI, 16.*

*Si mihi tecum non & multae & iustae causae amicitiae privatim essent :*

*repetere in initia amicitiae ex parentibus nostris.*

\*\*\* ) Esto *propositio* logica : *eruditionis perpetua est possessio*. Adde *contrarium* , exemplo PLIN. *epist. I, 3.* & eiusmodi habebis *periodum*. *Reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur , hoc numquam tuum desinet esse , si semel coeperit*. Ita & CIC. *de Orat. I, 1.*

*Nam qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur ,*

*in eo maximae moles molestiarum & turbulentissimae tempestates exstiterunt.*

Ceterum hic observari meretur , eas demum *periodos* huius generis esse omnium elegantissimas , in quibus alterius membri verba singula verbis singulis prioris coli opponuntur. Ita PLIN. *Paneg. 4.*

*Ille quaesitam domi gloriam in publico ;*

*Hic in publico partem domi perdidit.*

Eodem exemplo dicere possis :

*Malus princeps civis imperii sui causa natus :*

*Bonus imperium civium causa institutum existimat.*

Hic sibi opponuntur : *princeps bonus & malus ; imperii causa & civium causa ; natum & institutum*. Eiusdem generis etiam haec *periodus* est :

*Neronis scelere nascentem Christi ecclesiam innumbris vexari suppliciis ;*

*Constantini virtute supplicii vexatam veluti renasci vidimus.*

\*\*\*\* ) *Comparatio* non solum inter *contraria* atque *opposita* , verum etiam *similia* institui potest. Unde *periodos* *compara-*

*rativas* a *contrariis* merito distinguimus. Exemplo esto *periodus* PLINII in *Paneg. c. 5.*

*At , sicut maris coelique temperiem turbines tempestatesque commendant :*

*ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumultum praecessisse crediderim.*

Saepe quidem & *contraria* inter se comparantur , sed ideo *periodus* non desinit esse *contraria* , sed simul *comparativa* est. Ita COLUMELLA *lib. I. de re rust. praef. comm. 17.*

*Ut enim , qui in villis intra consepta morarentur , quam qui foris terram molirentur , ignaviores habitos ; sic eos , qui sub umbra civitatis inter moenia desides cunctarentur , quam qui rura colerent administrarentve opera colonorum , segniore visos.*

\*\*\*\* ) Eodem enim pertinent *periodi concessivae* , *disiunctivae* , *copulativae* , *aliaeque* huius generis , quarum exempla passim exstant.

*Concessiva* est illa CICERONIS *epist. IX, 8.*

*Etsi munus flagitare , quamvis quis ostenderit , ne populus quidem solet , nisi concitatus :*

*tamen ego exspectatione promissi tui moveor , ut admoneam te , non ut flagitem.*

*Disiunctiva* illa ORAT. *Carm. III, 28.*

*Vel nos in Capitolium , quo clamor vocat , & turba faventium ; vel nos in mare proximum gemmas mittamus.*

*Copulativa* denique illa CICERONIS *epist. ad divers. X, 1.*

*Et abfui proficiscens in Graeciam :*

*et postea , quam de medio cursu reipublicae sum voce revocatus , numquam , per M. Antonium , quietus fui.*

( Ubi vero adhiberi possit unumquodque genus *periodi* *compositae* , quantum satis est , demonstratur in I. M. G. *primis lineis artis oratoriae* Gottingae 1735. 8. recisus p. 19. sqq. quem locum *exercitationibus* *scribendarum periodorum* tamquam regulam adhibuisse neminem poenituerit G. ) [Hinc , ut istum tanto magis in promptu haberent illi , quibus offertur haec editio , excerptum inde exhibuimus hic in fine Heinecciani libri *Excursu I. N.*]

## XXII.

*Connectendi* formulas , quae in his *periodis* adhibendae videbuntur , ipsa suppeditabit *materiae* *natura* , ut adeo de illis non multum videatur *laborandum* \*).

\* ) Sic ipsa sane *ratio* dicitur , *periodos* *causales* incipere posse a *quum* , *quia* , *quandoquidem* , item a *si* : *conditionales* a *si* : *con-*

*Particulae connectendi in illis usitatae.*

contrarias a *quum*, aut sine connexione statim a re ipsa: *comparativas* a *quodsi*, quemadmodum, sicuti: *concessivas* ab *etsi*, *tametsi*, *quamvis*, *ut*, *utut*, *equidem*, *quidem*: *disiunctivas* ab *aut*, *vel*: *copulativas* denique ab *et*, *cum*, sequente *tum*, *non tantum*, sequente *verum etiam* *cet*.

## XXIII.

Periodi trimembres.

Ex periodis bimembribus facile fiunt *trimembres* sive *τρίκωλοι*, si vel *πρότασις* vel *ἀπόδοσις* duplicetur \*). Unde possunt totidem esse periodorum trimembrium, quot bimembrium, genera \*\*).

(Auctor fluctuat circa significationem *κώλου*: qui *τρίκωλον* periodum dicunt, ii logicum etiam & grammaticum membrum intelligunt. G.)

\*) Sic supra adfuit periodus bimembris conditionalis: *Si mihi tecum non & multae & iustae causae amicitiae privatim essent: repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris*. Iam sive *πρότασις* sive *ἀπόδοσις* in duo membra diduxeris, habebis periodum trimembrem v. c.

*Si mihi tecum non & multae & iustae causae amicitiae privatim essent, neque iam ab ineunte adolescentia complura inter nos mutua officia exstitissent: repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris.*

Vel duplicata *ἀπόδοσις*:

*Si mihi tecum non & multae & iustae causae amicitiae privatim essent: repeterem causas amicitiae nostrae a parentibus nostris, inter quos magna semper atque arcta inprimis familiaritas intercessit.*

\*\*) Dantur ergo & periodi trimembres *causales*, *adversativae*, *comparativae*, *conditionales*, *concessivae*, *disiunctivae*, *copulativae* etc. Dabimus quarumdam exempla: Concessiva est illa CICERONIS *epist. I, 5*.

*Tametsi nihil mihi fuit optatius, quam ut primum abs te ipso, deinde a ceteris omnibus gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam perfectionem consequuta esse, ut & meam & ceterorum erga te fidem & benevolentiam absens experirere.*

Copulativam habet idem CICERO *de senect. c. I*.

*Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit,*

ut

*ut non modo omnes abstergeret senectutis molestias, sed & effecerit mollem & iucundam senectutem.*

Contrariae exemplum IDEM suppeditat *epist. V, 17*.

*Non oblivione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae, superioribus temporibus ad te nullas litteras misi: sed quod priora tempora in ruinis reipublicae nostrisque iacuerunt, posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis atque acerbissimis incommodis retardarunt.*

Huic eodem loco statim subiicit *causalem*:

*Quum vero & intervallum iam satis longum fuisset, et tuam virtutem magnitudinemque animi diligentius essem recordatus:*

*non putavi alienum institutis meis, haec ad te scribere.*

Subiungit huic copulativam:

*Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in invidiam absens & in crimen vocabare, defendi:*

*et, quum in tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum nomen coniungeretur, quam potui, accuratissime te tuamque causam tutatus sum:*

*ex proxime recenti adventu meo, (quum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si adfuissem,) tamen nulla re salutis tuae defui.*

Ex his, qualia reliqua sint periodorum genera, facile intelliges.

## XXIV.

Sed absolutissima omniumque magnificentissima est *periodus quadrimembris* vel *τετράκωλος*, quia & perfectam plerumque ratiocinationem continet \*), & ob numerum propositionum auribus, quarum superbissimum est iudicium, quam maxime probatur. Constat ea, ceu ex ipso nomine adparet, quatuor membris, quorum duo plerumque ad *πρότασις*, ac totidem ad *ἀπόδοσις* referuntur \*\*).

Periodus quadrimembris.

\*) Non temere ullum est periodorum genus, quod totam ratiocinationem facilius capiat, quam quadrimembre. Quod vel unico exemplo ostendi poterit. MURETUS *Part. I. Orat. 22*. ita disserit:

*Si pro cuius quisque propugnatione ac defensione plura pericula subit, plus exceperit acerbisimum, pluribus quasi procellis ac tempestatibus agitato est,*

*eo plus gaudii ex iis, quae ad retinendam atque amplificandam*

il-

illius dignitatem pertinent, ad eum pervenire credendum est: dubitare non potes, beatissime pater, quin Carolus rex, te pontifice creato, tanto ceteros reges eximia quadam percepta ex ea re gaudii magnitudine superaverit, quanto non huius modo memoriae, sed omnium aetatum ac saeculorum reges gravi ac diuturna susceptorum pro sedis apostolicae auctoritate laborum ac discriminum perpassione superavit.

Uberrima haec est periodus, sed facile tamen includenda huic syllogismo:

Qui plus pro pontifice periculi subiit, is plus laetitiae ex eius felicitate percipit.

Carolus VIII. plus periculi subiit pro pontifice;  
Plus ergo laetitiae ex eius felicitate percipit.

Iam confer periodum, & adparebit, propositionis subiectum in primo; praedicatum in secundo; conclusionem in tertio; adsumtum in quarto membro contineri.

\*\* ) Quum difficillimum sit hoc periodorum genus: regulas quasdam de illis componendis suppeditare iuvabit. Primo ergo tales periodi fiunt ex quovis syllogismo, maxime si accedat maioris propositionis probatio. Hinc MURETUS P.I. Orat. I. laudaturus theologiam ita ratiocinatur. (Attende, lector, an invenias hoc ratiocinium in Mureti periodo? G.)

Quae scientia homines ad fruitionem Dei perducit, illa est reliquis praeferenda,

Ratio:

In fruitione enim Dei posita est perfectio illa, ad quam naturali quodam desiderio ferimur.

Theologia homines ad fruitionem Dei perducit;  
Est ergo reliquis scientiis praeferenda.

Inde effingit periodum quadrimembrem, in qua primum membrum probationem maioris: secundum ipsam propositionem, tertium conclusionem, & postremum denique adsumtum continet Ἐξέγχασις eius talis est:

Nam si eorum omnium, quae in immensa hac rerum universitate cernuntur, unumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur,

et animus noster, ad similitudinem divinitatis effectus, tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus est, exemplar accedit:

dubitari profecto non potest, quin ea sit omnium praestantissima facultas,

quae, quoad eius fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devincit.

Se-

Secundo & tunc nascetur periodus quadrimembris, si duo membra opposita inter se compares, addasque discrepantiae rationem. CICERO pro A. Caecina 1. has inter se contendit propositiones:

A Caecina cessit in vi facienda audaciae S. Aebutii.

Non autem in causa eiusdem cedit impudentiae.

Ratio:

Non enim in foro tantum valet impudentia, quantum in agro locisque desertis audacia.

Ἐξέγχασις eius talis est:

Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret: non minus in causa cederet A. Caecina S. Aebutii impudentiae, quam in vi facienda eius cessit audaciae.

Eodem exemplo dicere posses:

Si quantum in effringendis carceribus astutia potest, tantum ad effugiendam furcam audacia valeret: non minus iam hic fur carnifices deluderet audacia, quam liethoribus olim illisit astutia.

Tertio & illa periodus quadrimembris est longe elegantissima, in qua duabus propositionibus totidem redditiones respondent, & contra. Talem periodum rhetores vocant *χιαζόμενν*. Vid. CAUSSIN, de eloquentia sacra & profana VII, 6. p. 363. Dicitur autem *χιαζόμενν*, quasi decussata, a *χ* littera, quae crucis in modum intersecantibus se ipsis duabus obliquis lineis figuratur. Unde & *χιασμός* figura, quando, quatuor propositis, tertium secundo respondet, & convenit quartum primo. Ita CAUSSINUS *ibid.* p. 363. Sed ego [cum Schwarzio de oratione concinna §. 27. N.] existimo, tertium primo; quartum secundo respondere debere. Id enim docet exemplum DEMOSTHENIS, ab ipso CAUSSINO adlatum.

Talis est illa DEMOSTH. in Olynth. II.

Equidem Philippus quanto plura praeter dignitatem fecit, eo plus apud omnes admirationis gloriaeque consequutus est:

Vos autem, cives Athenienses, quo immoderatus imprudentiusque rebus vestris usi estis,

eo maiorem vestram oportet esse turpitudinem.

Quarto quoties vel protasis vel apodosis duobus tribusve membris constat, novum inde nascetur periodi quadrimembris genus. Sic trium membrorum protasis est apud CICERONEM *epist.* IX, 18.

Quum essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipulos obviam miseram, ut iidem me quam maxime conciliarent familiari suo:

F

ac-

accepi tuas litteras plenissimas suavitatis.  
 Duorum apud eundem : *epist. IX, 2.*  
*Caninius idem tuus, & idem noster, quum ad me pervesper-*  
*venisset,*  
*et se postridie mane ad te iturum dixisset:*  
*dixi ei me daturum aliquid mane,*  
*et, ut peteret, rogavi.*  
 Nec non *epist. IX, 14.*

*Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria,*  
*satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam:*  
*tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio,*  
*quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus.*

## XXV.

*Membra pe-*  
*riodorum non*  
*sint nimis in-*  
*aequalia.*

Multa vulgo addi solent a rhetoribus de singulo-  
 rum membrorum magnitudine. Bimembres enim pe-  
 riodos vel *aequales* esse aiunt, si idem fere in utra-  
 que parte sit syllabarum numerus, vel *inaequales*, si  
 partes dissimili syllabarum numero constant \*). Sed  
 & trimembres aliae *ισόπλευροι* \*\*) dicuntur, aliae *ισοσκε-*  
*λεις* \*\*\*). Sed quum magna ea in re libertate usi sint  
 veteres: praecepta illa omnia supervacua videntur.  
 Unicam ergo observari velim regulam: *dandam esse*  
*operam, ne membra periodorum compositarum sint nimis*  
*inaequalia \*\*\*\*).*

\*) Et has iterum vel *μείζους* vocant, si antecedens vel *πρό-*  
*τασις* sit longior; vel *μακροκόλως*, si consequens numero syllaba-  
 rum excreseat. Aequalis est haec periodus *CICER. post redit. aa*  
*Quirites 2.*

*Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt:*  
*Vos spectatum incredibili pietate cognitum reddidistis,*  
 (Ita aequalis est apud *CIC. pro L. Manil. 12. s. 34.*

*Atque haec, qua celeritate gesta sint, quamquam videtis:*  
*tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. G.)*

*Μακροκόλως* illa apud *CIC. pro Arch. 9.*

*Neque enim quisquam est, tam aversus a musis,*  
*qui non mandari versibus aeternum laborum suorum praeconium*  
*patiatur.*

(Talis est etiam in eiusdem *orat. pro L. Man. 23, pr.*

*Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis; exercitus re-*  
*gios superare posse videatur:*

*tamen nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eo-*  
 rum

*rum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque*  
*oppidorum, qui ab auro gazaque regia, manus, oculos, ani-*  
*imum cobibere possit; non erit idoneus, qui ad bellum Asia-*  
*ticum regiumque mittatur. G.)*

*Μείζους* denique exstat apud eundem *CICER. pro Milon. 5.*  
*Neque enim est ulla defensio contra vim umquam optanda:*  
*sed nonnumquam est necessaria.*

(Eiusmodi est haec *CICER. pro L. Manil. 10. s. 27.*

*Cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui*  
*nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtu-*  
*te superavit:*

*quae res est, quae cuiusquam animum in hac causa dubium fa-*  
*cere possit? G.)*

\*\*) *Ε* geometria desumta est haec denominatio. *ἰσόπλευρα*  
 enim geometrae vocant triangula aequilatera. Quare & *periodus*  
*ισόπλευρος* dicitur, quae cola omnia habet aequalia. Talis ex-  
 stat apud *CIC. pro Rosc. 29.*

*Vereor, ne aut molestus sim vobis, iudices,*

*aut ne ingenii vestris videar diffidere:*

*si de tam perspicuis rebus diutius disseram.*

\*\*\* ) Haec quoque a geometris mutuata est denominatio,  
*ἰσοσκελῆ* enim dicuntur *triangula aequicrura*. Rhetoribus vero ita  
 vocantur periodi trimembres, quarum duo membra paria sunt,  
 tertium aut longius reliquis aut brevius. *CIC. de Offic. I, 11.*

*Nullum bellum est iustum,*

*nisi quod aut rebus repetitis geratur:*

*aut denunciatum ante sit & indictum.*

\*\*\*\* ) Si tamen ullum membrum reliqua magnitudine ex-  
 cedere debeat: illud maxime convenire videtur postremo. Qua  
 de re *DEMETR. PHALER. de eloquit. n. 18. In compositis*, inquit,  
*periodis postremum membrum longius esse oportet, & tamquam con-*  
*tinens atque amplectens alia: sic enim magnifica erit & honesta*  
*periodus, in honestum & longum desinens membrum. [ Contrarium*  
*tamen videor observasse in CICER. id est, plures μείζους. G.)*

## XXVI.

Sed ut ad periodorum genera redeamus: nec illud  
 videtur omittendum, ultra quatuor membra non ex-  
 crescere debere earum magnitudinem. Recte enim  
*DEMETR. PHALEREUS*, vel quisquis sub eo nomine la-  
 titare voluit, in aureo libello *de eloquit. num. 16.*

*αἱ μέγιστα δὲ ἐκ τεττάρων τὸ δὲ ὑπὲρ τέσσαρα, οὐκ ἐστὶν ἄν ἐντός εἰν πε-*

*Periodi qua-*  
*tuor membris*  
*maiores in vi-*  
*tio ponuntur.*

ῥιοδικῆς συμμετρίας. *Maximae periodi sunt quadrimembres. Quod vero supra quatuor est, non amplius intra iustam mensuram periodi manet.* Occurrunt quidem passim apud oratores periodi prolixiores, quas tamen excusandas magis, quam laudandas arbitramur. Eae si certo colorum numero absolvantur, (melius, si intra V ad VIII cola periodi similitudinem, id est circumductionem illam servant, G.) περιοδικὰ \*): sin sine certo (maiore quam dictum est, G.) membrorum colorumve numero pro vigore spiritus ferantur, πνεύματα \*\*); si denique eo usque producantur, ut spiritus, quantumvis longus, eas ferre haud posse videatur, τάσεις \*\*\* ) dicuntur.

Tales sunt periodicon, pneumonia & tasis.

\*) Περιοδικὸν ergo est periodus e quinque vel pluribus membris conflata. (i. e. περιοδικὸν est omnis periodus ultra τετρακόλων, sed circumductio tamen adesse debet. Itaque quod exemplum Auctor mox pro πνεύματι, afferet, est περιοδικὸν, habet enim ambitum, protasin & apodosin. G.) CICER. pro Mil. I.

*Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, quum T. Annius Milo ipse magis de reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem adferre non posse: tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum minime vident.*

\*\* ) Πνεῦμα, definiente HERMOGENE (περὶ εὐρέσεων IV, 4. G.) est σύνθεσις λόγου διάνοιαν ἀπαρτίξον ἐν κόλοις καὶ κόμμασι μετρίμων πρὸς τὴν διάρκειαν τῆ πνεύματος κατὰ τὴν φωνὴν τῆ λέγοντος, id est, structura orationis, quae sensum membrum incisive definitum ad orationis spiritum & vocem accommodat. Quare tot esse possunt membra τῆ πνεύματος, quot fert oratoris spiritus. Praeclarum est pneuma illud apud CICER. pro S. Rosc. 4. 9.

*Rogat, oratque te, Chryso gone, Roscius, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit, si nulla in re te fraudavit, si tibi optima fide sua omnia concessit, annumeravit, adpendit, si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tibi tradidit, si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque praeterea quidquam, excepit:*

*ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere.*

(Hoc exemplum τῆ περιοδικῆς s. periodicae dictionis mensuram, quam supra dedimus, nondum excedit. Sed termini ita accurate constitui non possunt. Commodiora interim peti possunt exempla ex CIC. pro L. Manil. c. 8. G.) Eiusmodi pneumata sane non inelegantia sunt, si in loco adhibeantur, ut paullo post (§. 26. \*\*\*) ostendemus pluribus.

\*\*\* ) Τάσις, id est, *extensio*, periodus est omnium diffusissima, quae plura accumulata membra, quam vel robustissimus quisque uno spiritu eloquatur. Unde semper in vitio ponitur tam enormis circumductio. Exstat tamen monstrosae eiusmodi τάσεως exemplum apud CIC. Verrina ultima, sub finem, cuius initium est: *nunc te, Iupiter optime maxime, cuius iste domum regale, et.* [Proprie, secundum Hermogenem certe, non τάσεως hoc exemplum esse dici potest, sed καταφορᾶς. Nimirum ex illius disciplina πνεύματος τεταμένι, producti spiritus, duo sunt genera. Si productio orationis ultra spiritum fiat in *accusando*, ut hic, tum vocatur καταφορὰ, *impressio*, quia oratio ibi debet cum celeritate & impetu provolui, καταφέρεσθαι: si autem fiat in *defendendo*, tum est τάσις, *dilatatio*; hic enim oratio sedata & quasi cunctans esse solet. Quod autem hanc circumductionem semper in vitio esse positam vult Auctor noster, errat sine dubio vehementer. Suo loco pro condimento orationis habuerim, sed nempe condimenta non plena manu & ubique affundi, verum rara esse & apta debent. Scilicet pertinet haec sive τάσις, sive καταφορὰ, ad artificium oratoris. In *accusando*, in enumerandis sceleribus & flagitiis, ubi clamat & tumultuatur orator, ubi se posse exclamare satis & satis dicere de rei immanitate negat, quid magis conveniens est, quam spiritum ducere, anhelare, etiam in medio cursu orationis, & cum nondum adsit finis periodi. Hic non observare decorum, ipsum decorum est. Ita in *defensione*, continua oratio interrumpi potest interspirando anhelandoque, ad dolorem indicandum, quem ex iniuria patimur, ad ostendendam indignationem, ad misericordiam movendam etc. Neque vero est, quod mihi quis obiciat, oratorem etiam tum, cum hoc agat, posse, quae dicenda sint, iustis periodis includere. Nempe orator aut commotus est re vera, aut commotionem animi & affectum simulare certe debet. Qui autem commoti sunt vehementer, hos observamus, si quae vel contra alium, vel pro se dicere velint, ea velle uno impetu effundere, & concludere ambitu uno orationis, spiritum autem, quamdiu possint, contingere. Sed iidem etiam plerumque tam multa habent dicenda,

ut unus spiritus non sufficiat, adeoque respirare cogantur, ubi, extra turbidum inprimis animi motum, turpe est & indecens, in medio saepe commate. Dignae sunt Sturmii scholae in hunc Hermogenis locum, quae adaeantur, ubi plura egregie in hanc rem disputat. N.)

## XXVII.

Orationi *periodicae* sive *versae* opponi diximus *fusam*, qua uti dicuntur oratores, quotiescumque vel *incisim*, vel *membratim* dicunt. Et huc pertinent SCHOENOTENES \*), & quam iam supra descripsimus, PERIODICA CIRCUMDUCTIO \*\*).

Quid schoenotenes & periodica circumductio?

(Accuratius ita dixisset Auctor. *Fusa* oratione utuntur oratores, non tantum, quam *incisim* vel *membratim* dicunt; sed inprimis etiam, quum verba naturali modo ratione, sine cura illa ambitus connectunt. Ceterum medium quoddam genus sunt *Schoenotenes*, & de quo modo (§. 26.) diximus, *περιόδου* s. *periodica circumductio*. G.)

\*) *Schoenotenes* est, quando interiectis propositionibus incidentibus, vel una idea generali in speciales quam plurimas soluta, longius ac instar funis extenditur oratio. Inde enim nomen τῆ σχοινοτένης, id est, funis extensi accepit hoc dicendi genus. CICER. *contra Rull. I*, 15.

Hoc capite, *Quirites*, omnes gentes, nationes, provincias, regna, decemvirum ditioni, iudicio, potestatique permissa & condenata esse dico.

\*\* ) De *periodica circumductio* iam supra actum. (De *periodica circumductio*, quae huc pertineat, non actum est, sed de periodo ipsa, quae circumductio vocari potest: item de periodico, h. e. maiore V membris periodo. Hic intelligitur complexio verborum paullo longior, quae plures propositiones complectatur, sed non ita circumductas, ut non possit una pars sine altera intelligi, etc. Exemplum subiecit Auctor. G.) Hic addimus, ea *periodica* omnium esse pulcherrima, quae e membris oppositis conflantur. CICER. *pro Milon. 4*.

Est haec non SCRIPTA; SED NATALEX, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus; expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.

## XXVIII.

## XXVIII.

De usu periodorum ut quaedam dicamus, illud praecipue notandum, non ferendam esse orationem, quae tota sit periodica \*). Miscenda ergo oratio *versa* & *fusa*, ita tamen miscenda, ut singulorum generum periodi suo quoque loco adhibeantur \*\*).

Usus periodorum.

Quamvis enim splendida inprimis sit oratio versa vel circumducta, & hinc ab ARISTOTELE *Rhet. III*, 9. laudetur, tamquam ἡδέια, εὐμαθής καὶ εὐμνημόνευτος, iucunda, perceptu ac retentu facilis: parum tamen a carmine differret oratio, si ea integra constaret periodis. Quare parum iucundae sunt orationes ISOCRATIS, quae paene totae periodis constant. PLIN. *Hist. nat. VII*, 30. Idem collocationis & numeri studium in GORGIA, Isocratis praeceptore, reprehendit DEMETR. PHALER. *de eloquit. 15*. qui etiam praeclare observat, orationem nec totam periodicam, nec totam dissolutam esse debere.

\*\* ) Incisim ac membratim dicimus in dialogis, epistolis ad familiares, narrationibus, maxime, si ea, quae intra breve tempus gesta sunt, referre velimus. Pneumate ad excitanos vehementiores affectus; periodis quadrimembris in exordiis proponendisque enthymematibus; reliquis denique promiscue utimur.

## XXIX.

Solent vulgo rhetores etiam de numero oratorio multa praecipere, quippe quem sonoram iucundissimamque reddere orationem existimant \*). Sed satisfacisse nobis videbimur, si auribus hic obsequamur, quarum superbissimum est, teste CICERONE; iudicium. Hoc vero docebit, in clausulis periodorum elegantissimos esse *dichorem* \*\*), *antispastum* \*\*\*), & *paena tertium* \*\*\*\*). In principiis periodorum pedes & numeros sectari absonum videtur, multoque magis in medio, ubi sufficit, si longae brevesque syllabae inter se misceantur \*\*\*\*\*).

Quid sentendum de numero oratorio?

\*) De numero oratorio copiose disserit CIC. *de orat. III*, 44. (& *orat ad Brut. c. 54*. usque ad finem, G.) & ea in re plerique eum sequuntur rhetores. Sed multi tamen totam illam de numerosa oratione doctrinam vanam iudicant, maxime,

quum tota illa res cuiusque stet iudicio. Enimvero negari nequit, multum gratiae accedere orationi, si periodorum clausulae certo quodam numero absolvantur. Dixerat aliquando GRACCHUS: *abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet.* Latine sane id dictum est & perspicue, sed parum numerose. Itaque CICERO verbis iisdem concinnius collocatis hanc effinxit periodum: *abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.* Quis neget, iam ob numerum, qui accessit, multo graviorem elegantioreque factam esse periodum? Adde CHRIST. SCHRAEPER de rhetor. Aristot. sensu & usu III, 8. p. 529. sq.

\*\*\*) *Dichoreus* est trocheus duplex - v - v. Hinc apud CICERONEM tam frequentia periodorum clausulis sunt verba eiusmodi: *comprobavit, existimavit, audeamus.*

\*\*\*\*) *Antispastus* ex iambo & trocheo conflatus est v -- v. Hinc saepe CICERO periodos eiusmodi claudit vocibus: *fatere-tur, haberemus.*

\*\*\*\*\*) *Paeon tertius* duabus brevibus, tertia longa & quarta itidem brevi constat vv-v. Hinc in CICERONIS operibus tam frequens est clausula: *esse videatur*, ut iam QUINCTILIANI tempore multi se existimarint illam CICERONIS ubertatem adsequutos, si plerisque periodis illud ESSE VIDEATUR adiungerent, QUINCTIL. *Inst. orat. X, 2.*

\*\*\*\*\*) Cavendum etiam hic est, *ne quid nimis*, insanire nonnullos in consecrandis numeris periodorum, erudite, ut solet, ostendit CAUSSIN. *de eloquentia sacra & profana, VII, 10. p. 167.*

## XXX.

Et hactenus quidem de CONCINNITATE dictum \*) . Iam porro quid ORNATAM reddat orationem; curatius ostendendum est. Et hic quidem primas partes TRANSLATIONI deferimus \*\*) , quae si apta \*\*\*) , & moderata \*\*\*\*\*) sit, incredibilem orationi conciliat elegantiam.

\*) Sunt & alia, quae rhetores recensent, periodorum genera, veluti πνεῦμα καὶ κλεῖς, *spiritus & clavis*, itemque σρογυλάς ἀποτετορνευμένη, ἐπιτιμητική, γνωμική, ἀποφαντική, ἐρωτηματική, ἐλεγκτική, δεικτική, ἀρνητική, ἀπαγορευτική, periodus *rotunda, increpatoria, sententiosa, enunciativa, interrogativa, redargutoria, demonstrativa, negativa, prohibitiva.* Sed *spiritus & clavis* non aliter differre videntur, quam oratio *dimensa & fusa.* (Plane aliter HERMOGENES l. c. apud quem *clavis est periodus proprie dicta totam argumentationem complexa.* G.) Nempe ponit

pe-

periodi definitionem hanc: ἔστι περίοδος κυρίως ἢ τῶ ὄλῳ ἐπιχειρήματος ἀναγκασιῶς συνοδος, καὶ κλεῖς, τρόπον τινά, καὶ ἀληθινὴ περίοδος, τῆσδε ἔστιν, ἢ ἀπαρτιζόμενα τὸ ἐπιχείρημα καὶ συνάγωσα. Vult igitur, veram periodum, comprehensionem argumenti & conclusionis, esse debere. Argumentum scilicet cum conclusione ambitum efficit, & cogitur in orbem. Haec vero natura est periodi, ut ambitum habeat, & in orbem coëat. Iam vero per similitudinem periodum comparat cum clavi, cuius officium est non solum, ut aperiat ianuam, sed etiam, ut claudat. Periodus itaque, cuius materia est ἐπιχείρημα, quae sententiam habet ἐπιχειρηματικὴν, argumentando aperit quasi mentem hominum, & facit, ut illa pateat rei dicendae; sed eadem etiam argumentatione tamquam includit mentem, atque eo adigit, ut non possit non assentiri conclusioni. Conf. STURM. ad hunc locum. Est vero, omnis periodus quasi clavis, quia sententiam tamquam aperit atque claudit, h. e. integram perfectamque sententiam ita claudit iusto verborum ambitu, ut initium & finis cohaereant orbemque conficiant atque circulum. N.] *Rotunditas* omnium elegantium periodorum generale nomen est. Reliquae denominationes a materia fere desumptae sunt, adeoque huc non pertinent. Quin si ad materiam respicimus, innumera erunt periodorum genera. Itaque his Graeculorum minutiis immorari nolumus.

\*\*) *Translatio* vocatur, quod vox a propria ad alienam significationem similitudine quadam transfertur. Ut si fortunam *vitream* dixeris pro inconstanti: *advolare* pro celeriter accedere: *confluere* multitudinem pro concurrere. Eam necessitatis atque inopiae causa initio inventam, posteaque frequentatam ob ornatum ac dignitatem, (ut in veste, in tecto, in caminis, in aliis rebus, G.) observat CICERO *de Orat. III, 38.* (Ita necessitas peperit haec: *dens clavis, pes lesti, sellae etc. tripes in poculo*, & infinita alia. Inprimis autem huc pertinent & nomina & verba de rebus non corporeis adhibita: quod ex origine idearum derivandum est. Ut *animus, anima, spiritus, motus, perturbatio animi; appellere, advertere animum; appetere, aversari, excandescere, acquiescere, abstrahere, videre, idea, gustus*, Gr. κερνεῖν, etc. Unde etiam quaedam metaphorae adeo receptae sunt quotidiano usu, ut magis significant propriae, quam propria ipsa. e. g. *oculus vel gemma vitis, pes navis, sinus maris, incendi vel inflammari ira, labi errore.* Nescio an non & huc referam *IMBIBERE* pro consilium capere, sibi aliquid proponere, & ita in mente ac cogitatione defigere, ut evelli non possit. Ita sane non modo poëtae loquuntur, veluti *LUCRETIUS Lib. III, v. 1010.*

Qui

Ornatam orationem reddunt translationes.

IMBIBIT,  
et Lib. VI.

*Qui petere a populo fascēs, saevasque securas*

*non quod violari summa deūm vis*

Possit, ut ex ira poenas petere IMBIBAT acres.  
verum etiam CIC. pro P. Quinct. & LIV. Lib. II. quae loca debemus MURETO var. lect. I, 6. Add. TURNB. Advers. XVIII, 21. Nihil enim, inquit QUINCTILIANUS instit. orat. VIII, 6. suis verbis, quam his arcessitis, magis proprium erat.

(Antequam vitia cognoscantur translationum, unum alterumque canonem praemittamus. α) Sunt quaedam metaphorae reciprocae. Dies oritur & occidit; Homo nascitur & moritur: sed haec possunt invicem permutari. Sidera vocantur a poetis flores coeli, & flores sidera horti. Oculos hominum vocamus soles; & solem oculum mundi. Vidimus metaphoras Varronis a rebus aliis ad rusticam: sed ex rustica etiam plurimae transferuntur ad alias, v. g. colere, plantare, rigare, fructus ferre, tua messis in herba est, larga seges gloriae. β) Iucundissimae sunt a rebus animatis translatae ad inanimas, a rationalibus ad brutas. Tales maiorem partem sunt Varronianae. Ita Cicero orat. pro Ligar. 3. s. 9. Quid enim, Tubero, destitutus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? Suavissima est descriptio apud Virgiliana, qua sequitur rationem reipublicae, Georg. IV. inde a. v. 149. γ) [Maiorem ut plurimum habent dignitatem, quae sunt a re maiori ad minorem, quam quae contra. N.] δ) Fontes metaphorarum sunt incredibiliter multi. Sumat aliquis v. g. IV. elementa, & transferat ad regem, ingenium, ut hoc utar. Sumat III. regna medicorum, & sequatur subdivisiones.

\*\*\*). Ut aptae sint metaphorae vel translationes, observandae sunt aliquot regulae. I. In translationibus cavendum, ne inter se conferas dissimilia. (Dissimilia sunt omnia quoque similia: quae similitudo inter vultum virginis ridentis & pratium? Terrae pila dissimile est, sed ad contemptum eleganter de Menippo Varro apud Nonium:

*Menippus ille nobilis quondam canis*

*Hic liquit omnes homines in terrae pila.*

Tale est umbilicus terrae, ut poeta vetus Delphos dixit. Sed nempe ad proportionem hic respicitur, quae non semper reciproca est. Coelum, ἔρανον, vocant palatum, nostri lecto tribuunt, baldachino etc. sed non contra. Ita fluctuat quidem phalanx, sed phalangem undis tribuere, non convenit. G.) Hinc frigida sunt illa: ulmorum greges apud PLAUTUM Pseud. I,

I.

I. v. 99. coeli fornices, phalanx undarum, fossa ponti, apud PRUDENT. κἀδμη. hymno IX. v. 14. Studio tamen talia nonnumquam adfectant comici, ut risum moveant. Sic PLAUT. Curcul. II, 3. v. 39. dixit lippire dentes, quum fame madent. Et Pseudol. I, 1. v. 74. lacrimas exspuere pro lacrimare. (Sic exspuere miseriam, Terentianus Gnatho ad irridendum Gnathonem dixit Eum. III, 1, 16. Iupiter hibernas cana nive conspuat Alpes, In Furio Bibaculo Horatius deridet Serm. II, 5. 41. & reprehendunt antiqui rhetores, ut Quinct. 8, 6, 17. De nubibus Varro, aquam vomentes inferam mortalibus, sed in satyra dixit. Saepe etiam acerbitatis & mordendis causa adhibentur. Ita mordax est, cum volumen vomuisse aliquis dicitur, ut in sacris iudicia. Sic Cicero ad invidiam faciendam Pisoni, eum inquit adhiniisse ad philosophiam Epicuream, Orat. in Pis. 28. G.) II. Cavendum, ne translationes in frigidas hyperbolas evadant. Talis est translatio illa IUVENALIS Sat. VI. v. 423: qui de sono, qui sit inter ungendum, loquuturus, ait:

*Et summum dominae femur EXCLAMARE coëgit.*

(Nempe ridiculus esse voluit poeta. G.) Nec magis ferenda illa FLORI Hist. IV. II. qui descripturus naves M. ANTONII: castellarum, inquit, & urbium specie non sine GEMITU maris & LABORE ventorum ferebantur. Quae iam castigavit BUCHNERUS de commut. rat. dicendi I, 2, 6. p. 38. III. In laude a melioribus; in vituperatione a deterioribus petendae sunt metaphorae. Hinc recte CICERONEM laudaturus, eidem tribus flumen orationis, os coeleste: at parum iudicii ostenderet, quisquis eidem tribueret asininos labores. (Sic CIC. de harusp. resp. 3. s. 5. Quid hunc persequar, pecudem ac belluam, pabulo inimicorum meorum & glande corruptum? Ita pus ac venenum vocat Horatius Rupilium Sat. I, 7, 1. & Cicero philosophum ex hara productum Pisonem, Orat. in Pis. 16. s. 37. Plura vide apud Buchnerum l. l. Illud vero de animalibus meretur otiosi hominis considerationem: insignia principum praebent occasionem ludendi. In sacris lupus, asinus, ursus etiam honesti sunt. De asino vid. Falsteri Amoenitat. T. III. p. 118. sq. G.) [Nempe distinguere debemus gentes & tempora. Sic Homerus ἰλ. λ. 557. 568. Aiakis describens fugam, sed deliberatam, sed tardam, in qua multa fortitudinis daret specimina, comparat eum asino, quem in agro segetes depascentem pueri baculis verberantes fustibusque, vix propulsant, nec nisi pabulo probe saturatum. Non credo in tota rerum natura inveniri posse imaginem, quae hanc Aiakis virtutem magis exprimat & vividius. Sed hodie sic laudare heroa non suaserim, quia hoc animal nos despectui habemus ac ludibrio, quod olim. contra fuit. Vid. Ges-

ne-



neri defensio asini in *Comment. Societ. Goetting.* T. I. Sic & Genes. XLIX. 14. propter fortitudinem & constantiam Issachar vocatur *asinus robustus*. Apud Aegyptios vero hoc animal non minus, quam apud nos, fuit infame. N. ]III. *In stilo grandi a rebus grandioribus; in tenuiori a tenuioribus petendae sunt metaphorae.* Sic decora est translatio BUCHNERI *orat. paneg. V. p. 126. Ego perinde, dum nuncupata verborum vota incipio solvere, inde potissimum ducam initium, unde INTERCEPTI SIDERIS nostri LUX primum PRORUPIT.* At si quis in describendis ludii magistri natalibus hac translatione uti vellet, risum profecto deberet lectoribus. V. *Translationes desumi debent a rebus notis & honestis.* Sic eleganter CIC. *de orat. III, 41. dixit scopolus patrimonii, vorago honorum: obscuriores fuissent Scylla & Charybdis.* (Quin vid. CIC. *de harusp. resp. 27. s. 59. ubi cum Charybdi & Scylla comparat Clodium.* Horatio *Ep. I, 15. 31. vorax vocatur perniciis & tempestas barathrumque macelli.* G.) Parum honestae translationes sunt illae, quas ipse notavit CIC. *de Orat. III, 41. castrata respublica, stercus curiae, pro quibus castius dixeris eneruata respublica, purgamentum curiae.* (Ita reprehendit Buchnerus l. l. Prudentii illud de Christo dictum, *sermone carnem glutinans.* G.) Nec ferenda illa *cacatae chartae, verba vomere, ructare verba, & huius generis alia, qualia graviter reprehendit BUCHNER. de commutata ratione dicendi, I, 2. p. 44.* (De verbo tamen *ructare* notandum est, non ita turpe fuisse veteribus, Ebraeis inprimis & Graecis, ubi nihil est sollemnius, quam *eructat os meum sapientiam.* VI. *Danda est opera, ut genus translationis servetur, id quod allegoriam vocant.* Sic insulse quis diceret: *fortuna VITREA est, dum ridet, mutatur.* Quid enim *vitro* cum *risu* & *mutatione*? Elegantius P. SYRUS: *fortuna VITREA est, dum SPLENDET, FRANGITUR.* Elegantius quoque CURTIUS VII, 8, 24. *Fortunam tuam PRESSIS MANIBUS tene, LUBRICA est, nec invita teneri potest.* Qua allegoria etiam utitur SENECA *epist. CI.* Vides ergo, absonas esse loquutiones, *haurire fructum* †, *adgredi rem illotis manibus.* Fructus enim non *hauriuntur*, sed *capiuntur*, nec manibus rem *adgredimur*, sed *atingimus*. Est tamen, ubi & veteres hac in re lapsi. BUCHNERUS sane l. c. p. 49. notat versus illos HORATII *epist. I. v. 1.*

*Nemo adeo FERUS est, ut non MITESCERE possit,  
Si modo CULTURAE patientem accomodet aurem.*

In una enim sententia ter mutavit genus translationis: *Feritas* animalium est, *mitescere* frugum, *cultura* agrorum. Elegantius ita concinnasset versus:

Non

*Non adeo FERUS est, ut non MANSUESCERE possit,  
Si DISCIPLINAE patientem accomodet aurem.*  
(Etiam Catullus in Phaselo tres metaphoras coniunxit:  
*Nec ullius NATANTIS impetum trabis  
Nequisse PRAETERIRE, sive palmulis  
Opus foret VOLARE sive linteo.* G.)

† Attamen REDUNDARE quid ad fructum dixit CICERO *pro Ligar. cap. 3. Laudem adolescentis existimo ad meum aliquem etiam REDUNDARE FRUCTUM.* Quod sane elegantissimum est. Id enim vult CICERO, laude adolescentem tam veluti abundare, ut ad suum commodum aliquid redundare inde possit. (Cogitandum, *fructum* esse verbale a *fruor*, nec semper cogitandum de baccis arborum etc. G.)

\*\*\*\*) Cavendum, ne nimio & immodesto translatorum usu in aenigma degeneret oratio. (Ut *nigellae Cadmi filiae*, pro litteris; ita XXIV. *fratres*, pro iisdem. Ita XII. *filiis, quorum quisque habet XXX. filias, dimidia parte nigras, altera candidas*, pro XII mensibus & XXX diebus cum totidem noctibus. G.) Est enim & hic, ut in omni vita, apprime hoc utile, *ne quid nimis.* Castior Ciceronis aevo erat Latinitas, quum ea metaphoris tamquam gemmis quibusdam, distingueretur. Ast saeculo quarto castitas illa parum placuit AMMIANO MARCELLINO, SIDONIO APOLLINARI, ENNODIO, aliisque huius commatis scriptoribus, qui nihil satis Latinum putabant atque elegans, nisi quod esset allegoricum. Qua de re CAUSSIN. *de eloqu. sacra & profana, II, 9, 92. Floruit Ennodius illo tempore, quo illa insania metaphorarum vel potius allegoriarum dulcedo cuncta pervaserat, & iam FERRUM CICERONIS Tulliana dictio vulgo dicebatur, contra aurea putabantur frigida quaeque acumina & allegoriae, quibus illi scriptores sua refererunt.* (Tales queiraelae iam apud Quinctilianum sunt & auctorem *de causis corruptae eloquentiae.* (G.) Ut exemplo res fiat clarior, considera mihi, quaeso, illa ENNODII: *diu salum quaeris, verbis in statione compositis, & incerta liquentis elementi placida oratione describis, dum sermonum cymbam inter loquela scopulos rector diligens fraenas & cursum artificem fabricatus trutinator expendis; pelagus oculis meis, quod aquarum simulabas, eloqui demonstrasti.* Bone Deus, quam frigida haec sunt, & aenigmatice quovis obscuriora! sed talia ferrea illa aetas ferebat ingenia. Parum comtum videbatur, quod non erat allegoricum hinc non sufficiebat oratio, sed dicendum *orationis vel sermonis cymba*, nec placebat *loquela*, nisi adderentur *scopuli*. Adeo etiam illa, quae parce adhibita plurimum elegantiae conciliant orationi, eandem frigidam & ridiculam reddunt, si nimis frequen-

quententur, maxime ubi non necessarium est, has ampullas proiici. (Quod si veremur, ut probari possit metaphora paulo audacior, licet addere particulas excusandi vim habentes, *tamquam, velut, quasi, & similes, quae μακίματα*, id est, *emollitiones* vocat LONGINUS 32, 2, ubi de tota re pulchre agit TOLLIVS p. 173. In universum notandum, usum etiam hic tyrannum, & delicias quasdam regnare, ut quae modestiora sunt & minus dissimilia, minus inhonesta, damnentur, probentur audaciora v. QUINCT. 8, 3, 18. Ut in moribus quoque, *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*, v. g. *Invebi in aliquem* ita frequens est Latinis, & paullo alio sensu Germanis, ut vix metaphoram esse sentiamus. *Inequitare* volunt MACROBIUS & ARNOBIUS, importuni putantur & intolerabiles. Sic *euro volare* licet, *agere licet mare, equitare per undas Siculas* non licet, ne per HORATIUM quidem. G.)

## XXXI.

An etiam metonymia & synecdoche?

Reliqui tropi, imprimis METONYMIA & SYNECDOCHE non tam ad elegantiam orationi conciliandam, quam ad aptius explicanda veterum auctorum loca comparati videntur \*). Nec tamen laude sua defraudandae loquutiones quaedam metonymicae \*\*) & synecdochicae \*\*\*), iam dudum veluti civitate donatae. Verum & hic adhibenda est cautio, ne, dum elegantes esse cupimus, vel *profani*, vel *obscuri*, vel *κακόζηλοι* appareamus \*\*\*).

\*) Duriuscule etiam veteres nonnumquam loquuti sunt, imprimis poëtae, quod ut explicarent rhetores, *tropos* invenerunt. Quis umquam a vitio atque *ἀκρολογία* absolverit illa HORATHI *Carm. IV, 4.*

- - - vel *Eurus*  
per *Siculas equitavit undas*?

Equidem MURETUS *Var. lect. I, 10.* eodem modo loquutum observat EURIPIDEM in *Phoenissis*, (v. 220.)

*Ζεφύρου πνοαῖς ἰππέυσαντος ἐν ἕρανῶ.*

Sed & ipse tamen fatetur vir doctissimus, *audacem esse hanc metaphoram*, & HORATIUM fecisse more suo, ut persequendis Graecorum vestigiis τὸ τῆς λέξεως καινὸν τε καὶ ξενικὸν quaereret, *seque quam longissime a trita & plebeia loquendi consuetudine abduceret.*

Nec melior est translatio CATULLI: (*Argon. s. 63, 9. de Pallade Argus auctore. G.*)

*Ipsa levi fecit volitantem flumine CURRUM,*  
quamvis eam apud AESCHYLUM & EURIPIDEM repererit idem MURET. *Lib. I. cap. 11.*

Quis non duriuscule loquutum CICERONEM dixerit pro *Marcello* 6. dum ait; *gladium vagina vacuum in urbe non vidimus, (Id est sine vagina.* Neque enim *vacuus* semper ad *cavum* quoddam inane refertur; sed absentiam tantum eius rei, qua quid vacuum esse dicitur, indicat. Vid. IUVENAL. 8, 90. STAT. Theb. 1, 593. Pertinet hoc exemplum ad Hypallagem Virgilio sollemnem figuram, v. g.

*Ibant obscuri sola sub nocte per umbras.*

conf. VOSS. *instit. orat. IV, 13. 9. G.*)

\*\*) Sic non ineleganter dicitur: *vario Marte pugnare.* QUINCTIL. *Instit. orat. 8, 6, 24. Sera iuvenum Venus,* TACIT. *de moribus Germ. 20. Hoc cum gratia quadam ac venere dicitur,* QUINCT. l. c. (Nempe *Venus* non tantum pro *diverſa*, sed etiam pro iucunditate & venustate ponitur. G.) *Silent diutius musae Varronis,* CIC. *acad. quaest. I, 1. Comedere quem,* pro *eius bona consumere,* PLAUT. Et quid elegantius, quaeſo, illis PLIN. *Epist. I, 6. Experieris, non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare.* Eodem pertinent & notissima illa: *toga* pro pace, *purpura* pro regno, *fasces* pro magistratu, *laurea* vel *laurus* pro victoria, *scelestus* pro scelestio, *servitia* pro servis.

\*\*\* ) Receptissimae sunt loquutiones synecdochicae, *eternum* pro domo, *micro* pro gladio, *mortales* pro hominibus, *probrum* pro stupro vel adulterio, *miles* pro militibus, *sexcenta* pro plurimis. (Haec tamen omnia non simpliciter & ubique, sed certis locis cum cautione sunt ponenda. G.) Imprimis notari meretur, *veteres*, ubi de se ipsis in plurali loquuntur, non hoc iactantiae, sed modestiae causa facere, quasi omnia cum aliis communicare vellent. Hinc quum canit VIRGILIUS *Aeneid. II. v. 89.*

- - et nos aliquod nomenque decusque  
Gessimus.

SERVIVS ad eum locum addit: *nos*, inquit, *dixit, ad evitandam iactantiam. Nam si singulari dixisset, EGO GESSI, exclusisse ceteros videretur.* Conf. BUCHNER. *de commutat. rat. dicendi I, 5, 2. p. 88.* (CIC. *de Orat. III, 15. s. 56. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones, fuerunt. i. e. ipsi & eorum similes, eodemque nomine digni. Sic STAT. Silv. V, 2, 53.*

*Aliis Decii reducesque Camilli*  
*Monstrentur, tu discite patrem.*

Galliae, pulmones, cervices etc. ad plura respiciunt. Sic *aedis* sing. & plur. *aedes* differunt etc. G.)

\*\*\*\*) Cavendum ergo I. *ne profani videamur*, dum promiscue consecramur tropos. Frigidissimum est, ubique inculcare Vulcanum, Iovem, Iunonem, Mercurium, & huius generis alia. Ab his enim *noxiiis figuris*, ut vocat AUGUSTINUS, merito abstinet Christianus, nisi constanti usu veluti in nomina adpellativa transierint. Sic nemo, nisi nimium supersticiosus, damnabit phrases: *suo Marte aliquid facere, aequo Iove iudicare*, G.) & similes alias huius generis. (Quantum ad deorum nomina, & veteres quidam & recentiores idololatriae speciem putarunt. Et sane illud ethnicismum saperet, si quis de S. eucharistia *Cererem & Lyacum* seu *Bacchum* diceret, aut baptismum *Acheloia pocula*, aut *Orgia sacramenta*. Sed *Iunonem* dicere pro muliere imperiosa: *Mercurialem*, item *Iovialem*, *Venerem*, *Martium*, pro moribus, non videtur ethnicum, neque proprie huc pertinet. G.) Verum nemo sanus probabit illas iurandi formulas, *mecastor*, *mehercle*, *aedepol*, a quibus non abstinuerunt MANUTIUS, BEMBUS, aliique viri ceteroquin doctissimi. Conf. IAC. THOMASII *dissert. de stili ethnicismo* (circa *adverbia iurandi*.) Cavendum porro II. *ne tropos adfectantes vel obscuro vel κακόζηλοι* *fiamus*. Id vero iis maxime contingit, qui poëtas sequuti longius a vulgari significatione deflectunt. Sic obscurius est illud CLAUDIANI *de raptu Proserp.* II, 16. *sudata marito fibula*, pro fibula a marito elaborata. (Sudare pro elaborare frequens poëtis. vid. BUCHN. l. c. p. 70. *Evigilata suis cogitationibus consilia* ipsius CICERONIS sunt. G.) Obscuriora etiam sunt *vulnus* pro sagitta apud VIRGIL. *Aen.* II. v. 529. & VII. v. 533. (Primo loco *Persequitur Pyrrhus Priamum infesto vulnere*: posteriore *Haesit sub gutture vulnus*: Recte utrumque. Verum enim est. *Vulnus* Priamo intentabat Pyrrhus. Ubi telum haeret, ibi etiam *vulnus*. Sed si ita sumas *vulnus* pro gladio, ut dicas aliquem *vulnere lapides cecidisse*: vel *muconem*, ut puerum iubeas *muconem tibi afferre*, stultitiae notam metonymiae & synecdoches excusatione non effugeris. G.) *Hospes ardet*, pro hospitis domus ardet, apud HORAT. *Satyr.* I, 5. (coll. VIRG. *Aen.* II, 311. G.) Talibus qui in prosa utitur, obscurus fiet.

## XXXII.

Haec de tropis: non minus orationem ornant *figurae*, sed selectiores. Plures enim sunt, quae vix quidquam venustatis habent. Aliae ad dignitatem potius, quam elegantiam orationi conciliandam; aliae ad af-

*Figurae etiam orationem ornant.*

fectus tantum excitandos comparatae sunt. Nos eas tantum, quae ad ornatum pertinent \*) , recensebimus.

\*) Elegantissima e. g. est I. ANTANACLASIS, quum vox eiusdem adpellationis, non vero significationis, repetitur. CIC. *ad Attic. ep.* XIV, 14. *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem: sed aliorum brutorum.* Ita eodem exemplo dixeris: *Malis me oneras, haud malis.* Elegans quoque (& vehemens) II. ANAPHORA: quae eandem vocem in principio repetit. e. g. CIC. *Catil.* I, 1. *Nihil te nocturnum praesidium palatii, nihil urbis vigiliae, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimum habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt.* Commendanda III. EPANODOS, quum sententia acute convertitur. CIC. *pro Plancio* 28. *Gratiam qui refert, habet, & qui habet, refert.* VELLEI. PATERC. II. *Quam provinciam pauper divitem ingressus, eam dives pauperem reliquit.* Epanodos etiam in illo Lucilii apud GELL. XVI, 9. *Verum hic ludus, ibi susque omnia & deque fuerunt. Susque deque fuere, inquam, omnia ludus iocusque.* G.) IV. PARONOMASIA, quando voces eiusdem paene aut non admodum dissimilis soni coniunguntur. TERENT. *Andr.* I, 3. *Inceptio haec est amentium, non amantium.* Et eodem modo dixeris: *tibi parata erunt verba, huic homini verbera.* *Museum liberis magis, quam libris refertum.* Non *adversus hostem, sed aversus processit.* NEP. *Attic.* c. 17. *Philosophorum ita percepta habuit praecepta.* (VELL. II, 5, 1. *Aditis, quae vix audita erant.* G.) Eodem pertinet V. IMAGO, de qua iam DEMETR. PHALER. observavit, nullam esse figuram, quae plus elegantiae adferat orationi. Est vero imago adsimilatio, protasi aequae ac apodosi destituta, facta per particulas *veluti, tamquam, instar*, & huius generis alias. NEP. *Hannib.* c. 1. *Hic autem veluti hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut prius animam, quam id, deposuerit.* FLOR. *Praef. A Caesare Augusto in saeculum nostrum haud multo minus anni ducendi, quibus inertia Caesarum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Traiano principe movet lacertos, & praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuventute revirescit.* VI. PARADIASTOLE, quum distinguuntur, quae confundi vulgo solent. SENEC. *epist.* II. *Non qui parum habet, sed, qui plus cupit, pauper est.* (CIC. *pro Ligar.* 9. s. 26. *Quae fuit umquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico; nescio, an melius patientiam possem dicere.* G.) VII. ANTIΘETON, quum contraria contrariis opponuntur. CIC. *Catil.* II, 3. *Ex hac enim parte pudor pugnat; illinc petulantia: hinc pudicitia; illinc stuprum: hinc fides; illinc fraudatio: hinc pietas; illinc scelus: hinc*



respersam. Unde recte monet CAUSSINUS de eloquentia sacra & prof. III, 4. p. 189. Erit in his adagiis observandum, ne crebra & obscura admisceantur orationi: quod puerile est, & vitiorum. Sed, ubi res feret, commode quasi gemmulae purpurae insestantur: maxime vero in epistolari stilo, qui paroemiarum amoenitate cultius entescit. Ut exempla quaedam subnectamus: quid pulchrius est illis CICER. ad divers. lib. VII. epist. 24. Habes Sardos venales, alium alio nequiores? Quid elegantius illis TERENCE Eum. II, 3. v. 89. At enim isthaec in me cudetur faba? Ita eleganter CICERO de legib. III, 16. utitur proverbio fluctus in simpulo movet. Immo & veteres aliquando initium tantum adagii, si notum & pervulgatum esset, observamus adscripsisse, itemque factitasse in HOMERI aliorumque poetarum dictis, quae inprimis celebrabantur, adducendis. Exemplum ex CIC. lib. XIII. ad Attic. epist. 23. attulit MURETUS Var. lect. lib. X. cap. 14. Sed, quaeso, epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit? Male mihi sit, si umquam quidquam tam INVITA, scilicet Minerv. Sic & lib. VII. ad divers. epist. 28. Et hoc tempore non solum sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus, quamquam quis, qui aliquid sapiat, nunc esse beatus potest? Sed quod tu, cui licebat, pedibus es consequutus, ut ibi esses, UBI NEC PELOPIDARUM, nosti cetera: non idem propemodum consequimur. Integer enim locus poetae veteris, quem in animo habuit, talis est: ubi nec Pelopidarum facta, nec famam audiam. CICER. lib. VII. ep. 30. & lib. XV. ad Attic. epist. II. (Etiam ad probandum adhibentur proverbia a CICERONE pro Flacco c. 27. G.)

\*\*) Adagium scilicet est dictum acutum vulgari omnium sermone tritum, quod plerumque ad factum aliquod amoenum aut ritum veterem, aut simile quid respicit. Adagia non sunt, I. quae nihil habent acuminis, v. c. bene compositum par; similis simili gaudet. Nec II. hoc nomen merentur unius vel alterius auctoris dicta, quantumvis acuta. Sic SÆT. Octav. c. 87. notavit, Augustum quotidiano sermone usurpasse illa: Ad Kalendas Graecas, id est, numquam. Contenti simus hoc Catone, id est, contenti simus praesentibus. Velocius, quam asparagi coquantur, id est, cito. Sed haec quum Augusto fuerint propria, vix adagia dixeris. (Interim proverbiorum omnium origo inde repetenda, quod primus aliquis commode aliquid dixisse visus est, quem deinde vel saeculi simplicitas, vel certa ratione imitati sunt alii. Si quis Auctoris circumscriptiones adhibere omnes velit, pauca relinquentur proverbia. G.) Idem censendum III. de linguae idiotismis, aut veterum poetarum sententiis. e. g. actum agit; fluctus numerat; festina lente. Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? Magno conatu maximas

nu.

nugas agit. Elegantia haec non carent, sed non tamen sunt in proverbiiis ponenda.

\*\*) Multas poetarum sententias, multos idiotismos proverbiiis adscripsit ERASMUS ROT. qui maiorem dedisse operam videtur, ut chiliades, quam ut selectiores paroemias colligeret. MURETUS Var. lect. XII, 16. & seq. (Nempe non ea tantum colligit Erasmus, quae in proverbio iam essent, sed quae apta essent ad recipiendam notam proverbii. Si illa ponere sola fuisset consilium, de quibus constat, fuisse in proverbio: altero vel tertio tanto minor fuisset suscipiendus labor. Thesaurus est, non liber, in quo quum pluscula sint liberius dicta & inquisitoribus notata, sine nomine auctoris, vel P. Manutii nomine iussu concilii Tridentini ediderunt. Ceterum habemus Zenobium, Diogenianum, Michaellem Apostolium & Gregorium Cyprium, qui Graeca proverbia collegerunt. vid. FABRIC. Bibl. Graec. T. III. p. 280. qui p. 296. sq. dedit notitiam scriptorum, qui proverbia collegerunt. G.)

(Ceterum nisi bene prudens quis sit, plebeium quid habent proverbia, quod pulchre expressit Petronius in coena Trimalchionis, Cervantes in Quixoto suo, & interpretis eius Wolfius. G.)

## XXXV.

Denique & sententiae acutae suo loco adhibitae maximopere ornant orationem \*). Sed hic quoque cavendum, ne quid nimis \*\*), aut ne vulgaria quaedam de moribus praecepta subinde inculcando, egregii quidquam dixisse nobis videamur \*\*).

Et sententiae.

(Auctor ad Herem. IV, 17, 1. Sententia est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit. G.)

\*) Sententiarum virtutes sunt, I. acumen, II. rotunditas, i. e. si concinna periodo conclusae sint, III. & sapientia, ut aliquod praeceptum complectantur. Tales sunt illae SENECAE de vit. beat. c. 30. Sententiam semper unius sequi, non vitae est, sed factionis. Et de benefic. III, 17. Gratum hominem semper beneficium delectat; ingratum semel. Ast si dixeris: omnium rerum primordia a precibus fieri debent, vix hoc sententiae nomen merebitur. Sapiens quidem est hoc praeceptum, sed nec acutum, nec rotundum. (Sed erit sententia: a love principium, a love finis erit. G.)

\*\*) Recte ait Auctor ad Herem. IV, 17. Sententiae in oratione non debent frequentari, ne magis vivendi praeceptores, quam

rei actores videamur. ( De iudiciali oratione loquitur. G.) Add. BUCHN. de commut. rat. dicendi, II, 7. II. p. 450. (Ridiculi sunt, qui ubique sententias loqui volunt. Ita apud TERENT. Hec. III, 5, II. Pamphilum pater, qui de hereditate interrogatus cognati, vixit, dum vixit, bene, dixerat, deridet: Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia? G.)

\*\*\* ) Nescio quid vulgare sapit sententiosa eiusmodi, quam vocant, eloquutio. Vulgus enim quam saepissime utitur sententiis, quamvis parum acutis. Unde & comici personis villisimis sententias quam plurimas tribuere solent, v. c. TERENT. Andr. I, 1. Sosiam inducit, libertum frugi, qui paene ubique domino respondet, adhibitis sententiis. Recensente domino beneficia, respondet: isthaec commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficii. Referente deinde illo filii sui institutionem & genium, nulli rei admodum addictum: iterum respondet Sosias: id arbitror, adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis. Laudante dehinc filii in parandis colendisque amicititiis sollicitiam: denuo philosophatur Sosias: sapienter vitam instituit, namque hoc tempore obsequium amicos; veritas odium parit. Narrat inde Simo, quomodo occultos filii amores deprehenderit, rationemque reddit, cur eum tum haud obiurgarit. Quid hic Sosias? Denuo philosophatur, & ex ingenio suo depromit sententiam. Recte putas; nam si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum aut malum? Talia vulgo semper in ore sunt. Unde stilus eiusmodi sententiosus parum placet accuratioribus dicendi magistris. Vid. QUINTIL. Instit. orat. VIII, 5, qui etiam X, 1. Senecam reprehendit, quod rerum pondera minutissimis sententiis frangerit. (Hic sententiae sunt potius ipsae periodi & brevia effata G.)

(Observandum diligenter discrimen inter gnomen, i. e. sententiam generalem, & noëma s. sententiam applicatam. Saepe magnam hoc habet venustatem, ubi illo vix ac ne vix quidem uti licet. G.)

## XXXVI.

Mirifice quoque sibi nonnulli placent versibus & hemistichiis poëtarum, quae ubique orationi inferciunt \*). Sed quemadmodum horum usus & periodorum concinnitatem perimit, & ipsius stili gravitati repugnat: ita vix laudem mereri videntur versus pro sae admixti, nisi vel testimonii causa\*\*), vel ob insigne sententiarum acumen \*\*\*) inserantur, quod & ipsum tamen rarius fieri debet \*\*\*\*). In elegantio-

An etiam versus & hemistichia?

re sermone rectius feceris, si dicta eiusmodi poëtica solutiore stilo exprimas \*\*\*\*).

\*) Talis est recentiorum quorundam stilus, inprimis LIPSII, BAUDII, & e theologis DANHAVERI, FR. SPANHEMII, aliorumque, qui dici non potest, quantum sibi frequentissimo illo versuum atque hemistichiorum usu placeant. E veteribus DIO CHRYSOSTOMUS hoc dicendi genere delectatus est. (I. LIPSIIUS versus & testimonia poëtarum raro; nonnumquam tamen inseruit epistolis ad eos, quos illa re delectari putabat. Deinde antiquitatum & doctrinae politicae libros studiose contexit alienis dictis, auctoritatis causa. Sed ubi eloquentia opus est, plane abstinet: minime proinde in hac classe abutentium versibus collocandus erat. G.)

\*\*) Testimonii causa quosdam poëtarum versus saepe adhibet CICERO in libris philosophicis & rhetoricis, maxime ex ENNIO & EURIPIDE. (Bonam partem suorum Arateorum intexit libris de nat. deor. & Consulatus sui libris de divinatione. G.) Nec in epistolis desunt exempla. Vid. epist. ad divers. I, 9. ubi sex versus integros e TERENTII Eunucha inserit, ut & epist. VIII, 26. XIII, 16. Eodem exemplo poëtarum testimonia ad partes saepiuscule vocant SENECA & PLINIUS, sed non nisi in scriptis didacticis & epistolis. In litterario enim pulvere, & inter amicos, haec locum inveniunt. Sed in orationibus, ubi gravitas stili utramque paginam facit, non temere eiusmodi flosculis utendum. DEMOSTHENES sane, CICERO & PLINIUS in orationibus suis a poëtarum testimoniis vel plane abstinerunt, vel ea mutato orationis genere protulerunt. Pauculi versus leguntur in orat. in Pison. c. 19. & pro Muraen. c. 14. (Add. pro Caelio c. 16. Etiam apud Demosthenem pro Coron. c. 89. inveniatis epigramma, & apud Aeschin. contra Ctesiph. versiculos plusculos. v. g. c. 36. oraculum, c. 43. Hesiodi aliquot versus, c. 62. & 63. Homerica epigrammata. G.) [Ita Aristides κατὰ τὸν ἔφορχυμένον s. 35, ex Homeri in Apollinem hymno quaedam attulit. Lycurgus in oratione sua non solum plura veterum poëtarum monumenta habet, ut cap. 21. 26. 29. 33. sed illi etiam Euripidis & Tyrtaei tota carmina intexit c. 25. & 28. Omitto Graecos oratores reliquos. Uno verbo: Solent Philosophi, Historici, & Oratores Graeci poëtarum suorum versiculos non raro usurpare, vel pro testimoniis eos proferentes, vel tanquam sententias laudantes, vel ad illos venuste alludentes. De usu versuum in soluta oratione praecipit Hermog. Meth. c. 30. & istos orationi conciliare suavitatem, docet de Id. II, 4. p. 406. Latinis hoc non placuisse,

loquuntur exempla; neque Quinctilianus versibus locum dedit in declamationibus suis, sed Seneca tamen illis non abstinent in controversiis. Scilicet ante Ciceronem Epicos quidem poetas paucos tulit Italia, & quos tulerat, illorum dignitas defloruerat iam, maximam partem, vetustate, verba obsoluerant, & poemata ista vix intelligebantur nisi ab eruditioribus, certe non placere valde poterant. Graeci vero Romanis erant incogniti & invisibiles. Comici versus Plautini, Terentiani, Naeviani etc. infregissent dignitatem orationis, gravitatemque. Suos interponere semper habitum est invenustum. Iam vero cum Cicero constituisset legem dicendi, & sequentes ad eius exemplum tanquam ad normam oratoris ac regulam se componerent; eieci sunt ex oratione seria versiculi, aut potius nunquam in eam admissi, & merito etiamnum exulant. N.]

\*\*\* ) Inest enim nonnumquam poetae cuiusdam dictioni aliquid acuminis, quod mutato versu periturum videbatur. Hic non indecorum erit, ipsum versum inserere, si cum iis agimus, quorum ad palatum sunt eiusmodi lautitiae. Sic SENECA *de ira II*, 16. *In frigora septentrionemque vergentibus immarsueta ingenia sunt, ut ait poeta.*

— — suoque simillima coelo.

Et *epist.* 82. *Facile provocabis mala absentia: ecce dolor, quem tolerabilem esse dicebas: ecce mors, quam contra multa animose loquutus es: sonant flagella, gladius micat.*

Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.

\*\*\*\*) Utendum ergo his versiculis rarius, & maxime I. in epistolis ad familiares, non aequè in elaborationibus, quales sunt v. c. dedicatoriae, ad viros magnos scriptae; II. in scriptis didacticis, si cum eiusmodi hominibus nobis res est, qui auctoritati permultum deferunt. (III. In satyrico & ludibundo genere dicendi, ubi delectatio ex ipsa varietate, & doctrina antiquaria petitur. G.) Abstinentum autem ab iis in panegyricis, & in omni oratione gravi, quales sunt theologicae & civiles. Certe parcius & modestius his inspergendi sunt versus. (Excipiantur tamen orationes & disputationes doctorum, ubi delectare eruditos volunt. Quaeritur hic etiam, an consultum sit, pro concione provocare ad sententias rhythmicas & cantionibus publicis? Distingue personas loquentes & audientes. G.)

\*\*\*\*\*) Ut exemplo rem illustremus: CUNAEUS in *Satyra Menipp. Sardi venal.* p. 411. haec habet: *Profecto hospes, nec quidquam Deus haec spatia sedesque ab orbe vestro abscedit, si tamen vos terrae fines transilitis, & haec ignota ac peregrina visitis. Nihil deinceps mortalibus arduum erit, coelum ipsum adhibitis tandem, & quidquid praeterea homini, dum in terra vitam agit, ne-*

ga-

*gatum est.* Nemo ignorat, HORATII haec omnia esse, qui *lib. I. Carm. od. III.* ita canit:

*Nec quidquam Deus abscedit*

*Prudens oceano dissociabili*

*Terras: si tamen impiae*

*Non tangenda rates transiliunt vada.*

Et paucis interiectis:

*Nil mortalibus arduum est,*

*Coelum ipsum petimus stultiitia.*

Quanto concinnius haec omnia solutiore stilo protulit CUNAEUS? (Ut hoc facere possimus, utendum paraphrasibus, sed non iis, quae in usum Delphini factae, sed Frischlinianis, quae masculae sunt. G.) Sic & ipse CICERO aliique auctores veteres saepe usi sunt poetarum testimoniis, alia veluti veste indutis, ceu pluribus exemplis in Variis Lectionibus passim demonstravit M. ANT. MURETUS. Elegans inprimis est exemplum in *Cic. Cat. mai. cap. 2.* ubi eum verba EURIPIDIS:

*τὸ δὲ γῆρας ἄχθος αἰεὶ*

*βαρύτερον ἄστνας σποπέλων*

*ἐπὶ κρατὶ κείται.*

ita videmus expressisse: *Senectus plerisque senibus tam odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere.* Vid. MURETUS *Var. lect. VII*, 15. & *XI*, 12. ubi locum SOPHOCLIS a CICERONE expressum producit. (De *Satyra Menippea*, cuius exempla debemus VARRONI, SENECAE in ludo in Claudium, MARTIANO CAPELLAE, BOETHIO *de consol. philos.* P. CUNAEO. etc. Character eius versus plures sententiarum similium floridarum, pro-sae interpositi. G.)

### XXXVII.

Sed sufficient haec quidem de ornata oratione. Reliquum est, ut quomodo APTE dicendum sit, doceamus. Quum enim aequè absonum sit, omni orationi eundem characterem, ac omni personae easdem vestes aptare: nostra omnino interest, varias dicendi formas vel characteres in numerato habere, maxime quum ita plerumque de illis disserant rhetores, ut quid sibi velint, scias cum ignarissimis \*).

\*) Exemplo esse poterit DIONYSII LONGINI tractatus *περὶ ὑψους*, sive *de sublimitate*, cuius nitidissima & optima editio nuper prodiit cura ZACHAR. PEARCE, *Amstelod. MDCCCXXXIII.* 8. mai. (Conf. IO. GUIL. BERGERI *de naturali pulchritudine oratio-*

*Apte dicimus, si varios dicendi characteres distinguimus.*

tio-

tionis ad excelsam Longini disciplinam illustri continentique C. Iulii Caesaris exemplo exacta, liber commentarius, cui chrestomathia Longiniana accessit. Lips. c180cccxx. 4. Add. eiusdem BERGERI Dissertationum academicarum ex auctoritate publica scriptarum, Viteb. & Lips. c180cccxvii. 4. nonam praef. edit. 6. G.) Quum ergo ita comparati sint plerique rhetorum libelli, de formis stili, ut perfectis illis, repetere cogaris illa Demiphontis apud TERENT. *Phor. II*, 4. v. 18.

- - - *Fecistis probe,*

*Incertior sum multo, quam dudum:*

dabimus operam, ut rem omnem, quam fieri potest, dilucidissime proponamus. Et quidem ex genuinis fontibus, quos ubique bona fide indicavimus, non ex praelectionibus MSSC. SCHURZFLEISCHII, cui nos haec obtigisse (*sublegisse* voluit) ea, qua solet, modestia scripsit REINHARDUS quidam, qui homo nescio utrum ex suo ingenio alios aestimet, an sibi persuaserit, praeter se neminem aliquid, nisi quod ex illis schedis haustum sit, tradere posse. Equidem SCHURZFLEISCHIIUM tanti facio, ut me non puderet, per eum profecisse, si mihi licuisset, esse tam felici. At Deum testor, me nec eo tempore, quo hunc libellum scripsi, nec postea umquam, schedas istas MSSC. vidisse, adeoque insignem esse illam, quam REINHARDUS mihi fecit, iniuriam. Sed occallui iam ad istorum hominum vuculas, qui magnam laudem in obtreptione positam putant, neque quidquam cupidius faciunt, quam ut quidquid possunt, quacumque ratione possunt, ex aliena laude deterrant, sperantque tantum suae famae accessurum, quantum alienae detraxerint. At nostra scilicet refert, quid REINHARDUS de nobis iudicet. Immo iudicet, fingatque, quidquid velit.

*Si livor obtreptare curam voluerit:*

*Non tamen eripiet laudis conscientiam.*

### XXXVIII.

*Stilus Laconicus.*

Primo itaque, quod ad breviteriam vel ubertatem sermonis attinet, stilus in LACONICUM, †) ATTICUM, RHODIUM, & ASIATICUM dispesci solet \*) Stilus LACONICUS iusto brevior, ac veluti abruptus est, in eoque consistit, quod plura intelligi, quam legi, iubeat \*\*). Hinc, nisi inter amicos, vix laudem aliquam meretur \*\*\*).

†] (Lacones alieni fuerunt a litterarum studio, *Brut. 13. ora-*

oratorem, dicat, *Lacedaemonium usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem*; Sextus vero Empir. *Mathem. II.* cives tradat punitos esse, qui dicendi arti foris operam dedissent. Igitur *Laconica brevitatis non ponenda erat in orationis generibus. N.]*

\*) Omnes haec gentes Graece loquebantur, sed ita, ut mirifice inter se discreparent. *Laconibus*, genti ambitiosae ac suspicaci, (litterarum ac doctrinae omnis experti, prudenti tamen, caetae & parcae, G.) brevis atque abrupta placebat oratio: *Atticis* (philosophantibus τῆς παιδείας καὶ τῆς πειρίας συντρόφοις, G.) brevis quidem & simplex, sed acuta: *Asiaticis*, (luxuriantibus in omni re, G.) ventosum diffusissimumque dicendi genus. *Rhodii* denique (inter utrosque interiecti situ & moribus, G.) Atticis paullo uberiores, at multo adstrictiores Asiaticis erant, adeoque prudenter orationis habitum efformarunt, inter Atticam macilentiam & Asiaticam pinguedinem medium. Vid. *QUINCTIL. Instit. orat. XII*, 10. & *NIC. CRAIGIUS de republ. Lacedaem. III*, 6. 5. (De ICTis ita magnus vir *BYNCKERSHOECKIUS* observatt. *VIII*, 15. *Stilus ICTorum Atticus perit cum libertate Rom. Successit Rhodius, quo plerique ICTi utuntur: postea Asiaticus, quo utitur Constantius M.* Hoc forte optimum exemplum, quo triplex illa stili differentia illustrari potest. G.)

\*\*) *DEMETR. PHALER. de eloquut. n. CII. p. 66. Καὶ οἱ Λάκωνες πολλὰ ἐν ἀλληγορίαις ἔλεγον ἐυφοβῶντες, Lacones multa allegorice dicebant metum incussuri.* Eadem vero ratio, quae eos allegoriis occultare iussit sensa animi, etiam breve illud atque abruptum dicendi genus suasit. Hinc idem *DEMETR. PHAL.* auctor est, eos aliquando ad verbosam Philippi Macedonis epistolam ita rescripsisse: *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ Dionysius Corinthi.* Plura hic intelligenda erant Philippo, quam legebat. Dicere volebant Lacones, non esse, quod se iactaret, Spartaque minaretur *Philippus, fulgur e pelvi dari. Non diuturna esse solere tyrannorum imperia. Dionysium quoque, Siculis olim metuendum, nunc Corinthi vivere, in tanta rerum omnium penuria, ut ludimagistri munere fungatur. Forsan in fatis esse, ut eadem fortuna Philippum maneat, nisi cautior sit adversus bona sua, & opprimeretur, cuius exitum perharresceret.* Vide, quantum idearum tria ista verba *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ* contineant? Non minus breves sunt epistolae Laconicae, quas collegit scholiastes *DIONIS CHRYSOST. ad orat. LXIV.* veluti: *τοὶ Πέρσαι δαλέοντι· ἐαλόναντι τὰ Ἀθάνα. Ξενοφὼν ἐφυγαδεδῆθη, & similes.*

\*\*\*) Hinc Laconice nonnumquam cum Attico agit *CICERO*; cum amicis *PLINIUS* & *LIPSIUS*. Sed quum Lacones seni-



semper habitus sint ἀμύσοι, nec ulla umquam eloquentiae laude floruerint: absurdum esset, abrupto illo dicendi genere laudem consecrari velle.

## XXXIX.

Magis commendandum ATTICUM dicendi genus, in quo multae ideae paucis acutisque verbis proferuntur \*) . Talis est stilus THUCIDIDIS XENOPHONTIS, ARISTOPHANIS. Ast, quum LYSIAS, & ISAEUS exile, quoddam atque exsuccum dicendi genus invenerint \*\*): factum est, ut plures eorum imitarentur exilitatem, & sibi ipsis Athenis magis viderentur Attici, si siccam, atque ab omni ornatu alienam dicendi formam sequerentur, quos graviter reprehendit CICERO \*\*\*).

\*) Virtutes ergo Attici stili sunt I. brevitas, (non simpliciter tamen: sed in quantum argumento ea convenit. Vid. omnino CIC. Brut. c. 82. ubi dedita opera errorem eorum refutat, qui brevitate censerent stilum Atticum, quum DEMOSTHENES non minus Atticus fuerit, quam LYSIAS. G.) II. omnis tumoris atque adfectionis fuga, III. acumen, IV. elegantia. Hinc praeclare monet CIC. de opt. gen. orat. c. 3. non sufficere, ut in verbis nihil sit inquinatum, abiectum, ineptum, durum, aut longe petatum: nec satis esse, si nihil in sententiis absurdum, aut alienum, aut subinsulsum sit: sed exigi etiam vires, lacertos, sanguinem, id est, acumen & elegantem gravitatem, (aut potius digna rebus verba, copiosa, ubi opus est, etc. G.) Sic Attica sunt illa PLIN. epist. I, 3. Tu modo enitere, ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris. Brevia enim haec sunt, recta, acuta, elegantia. Attica etiam illa epist. I, 9. O rectam sinceramque vitam! o dulce otium honestumque, ac pacne omni negotio pulchrius! o litus, verum secretumque μετειον! quam multa invenitis? quam multa dictatis? Proinde tu quoque strepitum istum, inanemque discursum, & multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut Attilius noster eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Sic pleraque apud PLINIUM sunt breviter, ab omni tumore aliena, acuta, ac pclita, id est ἀττικώτατα. Tali etiam dicendi genere in epistolis ad Atticum non infeliciter utitur CICERO, in historia SALLUSTIUS, Thucydidis imitator; nonnumquam etiam SENECA, quamvis is ob nimiam sententiarum frequentiam paullo tumidior videatur.

\*\*) Sunt

\*\*) Sunt quidem LYSIAS, eiusque discipulus ISAEUS venusti scriptores, subtiles, puri, sed tenues admodum & inornati, (sine amplificatione. G.) Unde QUINCTILIANUS, praeclarus ingeniorum censor (lib. X. instit. cap. I.): Lysias subtilis atque elegans, & quo nihil, si oratori satis sit docere, perfectius, nihil enim in eo est inane, nihil arcessitum, puro tamen fonti, quam magno flumini propior. Duas itaque priores, ut & postremam stili Attici virtutem in hisce oratoribus mirati sunt veteres: ast tertia illis plane defuit. Omnia enim simplicia sunt, exilia, sicca, ut vix quivis ex plebe aliter potuerit loqui. (Nempe sic scribebat causas LYSIAS, quasi haberentur ab ipsis litigatoribus, quibus nimirum eas ediscendas daret. G.) Quum tamen multi maximam stili Attici virtutem, id est acumen, non animadverterent: factum est, ut non paucis magis placerent LYSIAS & ISAEUS, quam ipse DEMOSTHENES, alique scriptores ἀττικώτατοι. Atque hi demum Atticum dicendi genus in siccitate atque exilitate sermonis quaesiverunt.

\*\*\*) CIC. Orat. 7. seq.

## XL.

Attico dicendi generi e diametro opponitur ASIATICUM, quod omnium est uberrimum \*) . Pauca enim ideas multis verbis exprimit, ita, ut, si copiam atque ubertatem tollas, vix quidquam admiratione dignum relinqui videatur \*\*).

\*) Initio Athenis tantum florebant eloquentiae studia. Postea etiam in Asia coli coeperunt. CIC. Brut. cap. 13. Ut semel e Piraeo, eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis, quasi sanitatem, perderet, ac loqui paene dedisceret. Hinc Asiatici oratores, non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, sed parum pressi, & nimis redundantes. Add. c. 95. Postquam vero semel redundans illa orationis ubertas in deliciis esse coeperat: ipsas etiam Athenas inquinavit. Unde PETRON. Satyr. cap. 2. Nuper ventosa isthaec & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque invenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit, simulque corruptae eloquentiae regula stetit, & obtinuit. Denique & Romanos oratores Asiaticae copiae studuisse novimus, maxime CICERONEM, qui saepe vix dicendi finem reperit. Unde nec olim defuerunt, quibus iste orator inflatus & tumens, nec satis pressus, supra modum exultans & superfluens, & parum Atticus videretur. AUCT. de caus. corrupt. eloqu. cap. 18.

(Haec

Stilus Atticus.

Stilus Asiaticus.

(Haec in CICERONEM adolescentem ex aliqua parte conveniant. Vid. ipsum *Orat.* c. 30. Postea enim apud Molonem Rhodium praecipue, hoc emendavit. Itaque Asiatici stili specimina forte suppeditaverit *Oratio pro Roscio Amerino*; aliae non temere. G.)

\*\*) Ait CIC. *pro Mil. cap. 4. Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum e natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela, aut latronum, aut inimicorum, incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.* Quantum hic verborum! Et tamen paucissimae haec ideae tot verborum phaleris teguntur: *ius naturale permittit moderamen inculpatae tutelae.* Asiatico ergo stilo haec expressit CICERO. E recentioribus in orationibus suis plane Asiaticus est M. ANT. MURETUS, qui ipsum nonnumquam CICERONEM copia videtur superare.

(Vocet aliquis, si ita volet Asiatica. Dummodo Demosthenem Atticae eloquentiae exemplar ita loquutum, idem agnoscat. Ridiculus fuisset CICERO, si illam philosophicam enunciationem, *Ius naturale permittit moderamen inculpatae tutelae*, in conventum iudicum & populi attulisset. Utrum aliquid abundet, iudicandum est ex conditione audientium; Si ita instituire velis oratorem, ut ad paucissimas ideas referat orationem: perierit e rebus eloquentia & humanitas: praelegatur in templis Decalogus & Symbolum Apostolorum. Facessant Chrysostomi. Sed nimirum ad hoc valet illa quondam domina rerum eloquentia, ut ab omni parte, & omnibus quasi ansis suis, res offeratur auditoribus: ut omnes velut aditus ad illorum animos tententur, ut pugnetur contra negligentiam, & quibusvis machinis excitetur & conservetur attentio. Non qui hoc recte facit, eo minus Atticus est, si copiosus est. Sed hoc Atticum est, sive multis verbis dicas, sive paucis, nihil dicere, quod sanum non sit, quod non ad rem, ad causam, ad consilium dicentis, ad persuadendum, faciet. Potest permitti Auctori nostro, ut Asiaticum dicat genus dicendi copiosissimum. Modo meminimus, veteres vitii nomen hoc voluisse & luxuriei, a quo CICERONEM post reditum a peregrinatione, postquam honores gerere coepit, liberant, qui iudicare de oratione sine invidia possunt. G.)

## XLI.

Pressius Asiatico, Atticoque paullo plenius est genus dicendi RHODIUM, adeoque mediocritatem servat, & similitudinem quamdam inter verba atque ideas

*Stilus Rhodius.*

ideas \*). Unde & maximam meretur laudem \*\*). Ceterum non melius hos eloquutionis characteres distinguas, quam si unam eandemque propositionem diversis dicendi formis expressam, tibi ob oculos ponas \*\*\*).

\*) Talis plerumque est stilus CORN. NEPOTIS, C. IUL. CAESARIS, T. LIVII, (inprimis vero M. TULLII. G.) quorum lectio ideo maxime commendanda est adolescentibus. Quam iustum orationis habitum conspicimus in illis CORN. NEP. *Attic. c. 13. Usus est familia, si utilitate iudicandum est, optima, si forma, vix mediocri.* Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagrostae optimi, & plurimi librarii, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset. Nihil hic abruptum, nihil redundans, nihil, quod addi aut demmi, salvo stili nitore, possit. Et talem quidem esse oportet stilum RHODIUM.

\*\*) Laudat stilum Rhodium CIC. *Brut. c. 13. Rhodii oratores Asiaticis saniores, & similiores Atticis, (i. e. iudicio TULLII perfectissimis. G.)* Et sane, quum Lacones iusto sint breviores, Asiatici nimis redundantes: facile adparet, *Atticum Rhodiumque* dicendi genus esse ceteris omnibus longe anteponendum. Origo scholae rhetoricae, quae Rhodi diutissime floruit, ab Aeschine est, qui exsul ibi docuit, & teste PLUTARCHO *de X. orat. σχολὴν ἐκεῖ προσκατέλιπε, τὸ Ῥοδιακὸν διδασκαλεῖον κληθὲν, reliquit ibi scholam, quae Rhodiaca adpellata.* Add. QUINCT. *Inst. orat. lib. XII. c. 10.* Hinc & principes Romani, quos dicendo valuisse novimus, Rhodum ad audiendos rhetores, inprimis APOLLONIUM MOLONEM, confluebant, veluti C. Iulius Caesar, SUTTON. *Iul. c. 4. M. Tullius Cicero.* [PLUTARCH. *vit. p. 862. F. N.*] AUREL. VICTOR. *de vir. illustr. c. 4. M. Iunius Brutus id. ibid. c. 5. Cassius, APPIAN. de bello civili lib. III. Conf. 10. MEURS, de Rhodo lib. I. cap. 11.*

\*\*\*) Esto propositio: *studia optimarum artium perpetuo nobis prosunt.* Hanc Attice ita exprimit PLIN. *epist. I, 3. Reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse, si semel coeperit.* Item Asiaticae eloquitur CIC. *pro Arch. c. 7. Nam ceterae res neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum; haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernecant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Jam si ita diceres: *quum reliquarum rerum omnium non admodum sit diuturna*

*possessio: sola optimarum artium studia omnium temporum ac locorum esse videntur; Rhodius hic stilus esset futurus. (Ita Laconice dictum erit: Fur est, qui mandato in suam rem utitur: Attice vero: Non minus fur est, qui mandatum sibi negotium in rem suam vertit, quam qui pecuniam, quam alii ferre iussus fuerat; in suos loculos recondit: Rhodius aliquis forte erat dicturus: Qui alienam rem invito domino contrectavit, eum furem esse, totus iureconsultorum chorus adfirmat: de eo vero quid dicamus, qui negotium alienum suae permissum fidei ita tractat, ut ipse inde utilitatem capiat, damnnum vero, qui mandavit. Hunc talem furum consortio quis exemerit? Quod Asiatice sic enunciat CIC. pro Rosc. Ann. c. 38. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis, officio simulato, officis & obstas? recede de medio: per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem, nam neque mandat quisquam fere, nisi amico: neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. G.)*

## XLII.

*Quis horum  
praeferendus?*

Si quaeras, quodnam horum dicendi generum maxime probandum sit: iam monere me memini, nec Laconicum, nec Asiaticum multum laudis habere. † Danda tamen opera, ne quid invita Minerva tentemus. Alia ingenia ad CICERONIS ubertatem, alia ad PLINII pressiores stilum, alia ad CORNELII NEPOTIS, aut CAESARIS medium characterem natura feruntur. \*). Multum vero in cultiore Latinitate proficiet, quicumque naturam sequetur. Deinde in adolescentibus magis laudanda orationis redundantia, quam in viris, quos decet sensim amputare luxuriantem illam verborum silvam, & vel ad Atticam, vel Rhodiam, dicendi formam sensim adspirare \*\*).

†) [Ad quaestionem hanc respondit iam Quintil. XII, 10. 63. N.]

\*) Quo vero tendat ingenium, facillime colliget ex ipsa auctorum lectione. Solent enim ea nobis legentibus quam maxime sese probare, quae genio nostro conveniunt. (Cautione hic

hic maxima opus est, ne fiat, quod in moribus, ubi deteriora placent plerisque. Optimum est, initio bono se praeceptorum committere, & iudicio verborum optimos diligenter legere. Isocrates apud CIC. de Orat. III. c. 9. plane contrariam viam ei, quam hic Auctor suadet, ingressus est. Add. QUINCT. 2. 8. 9. sq. G.)

\*\*) Adolescentiam non dedecet illa verborum redundantia: sed senectus aliquid gravius desiderat. Et profecto ipsa natura ita comparatum est, ut ingravescente aetate cum rerum omnium, tum verborum, paulatim reddamur partiores. Notatu dignum est exemplum HORTENSII, de quo CICERO in Bruto cap. 95. Sed si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior, causas reperiemus verissimas duas. Primum, quod genus erat orationis Asiaticum, ADOLESCENTIAE magis concessum, quam senectuti. Et, paucis interiectis: Haec autem, ut dixi, genera dicendi aptiora sunt ADOLESCENTIBUS: in senibus gravitatem non habent. (Sic LIPSIUS non prius sequutus est illud concisum dicendi genus, quam cum Professor iam fuisset, Senecam & Tacitum edidisset. G.) Quemadmodum scilicet in puellae ornatu multa tolerantur, quae matronarum decent: ita in adolescentia laudem aliquam habet diffusum illud orationis genus, quod parum probatur in senibus.

## XLIII.

Quemadmodum vero hi orationis characteres ad stili *qualitatem* pertinent: ita, quod ad eiusdem *quantitatem* attinet, aliud est MAGNIFICUM, aliud MEDIOCRE, aliud TENUE dicendi genus \*), cui totidem opponuntur dicendi formae vitiosae, stilus videlicet FRIGIDUS, vel TUMIDUS, INCONSTANS vel INAEQUALIS, ac denique SICCUS \*\*). Multa de his praecipiunt rhetores, sed, quibus perlectis, vix capies horum characterum differentiam \*\*\*). Operam ergo dabimus, ut, quoad fieri poterit, dilucidissime & hanc doctrinam explicemus. \*\*\*\*)

*Altera stili  
divisio.*

\*) Ita plerique rhetores, & ipse etiam CICERO, Orat. ad Brutum lib. I. & e poetis etiam AUSONIUS in Grippho: *Trinum dicendi genus est, SUBLIME, MODESTUM, Et TENUI filo.*

Nec rei natura repugnat. Quidquid enim pulchrum videtur, aut grande, aut mediocre, aut tenue est. DEMETR. PHAL. tamen de eloquio. 36. paullo aliter inquit rationem, quatuorque

ponit dicendi genera, quorum primum vocat ἑσχρόν; sive *tenuis*, alterum μεγαλοπρεπές, sive *magnificum*, tertium γλαφυρόν, sive *ornatum*, & ultimum denique δεινόν, sive *grave*. (Sunt haec varia epitheta orationis & adiuncta pro diverso respectu & affectibus diversis. Non potest oratio, ut alia, in quibus arbitrium & gustus quidam regnat, sub accuratas leges & intra terminos exquisitos redigi. Simile quid observes in epithetis vocis humanae, colorum, habitus, mentis & corporis. G.) Sed & EMPORIUS de *ethopoeia* (p. 278. edit. Pith. G.) hanc & superiorem divisionem confundit, dum scribit: *Tres figurae, VASTA, HUMILIS, TEMPERATA, quos characteres Graeci vocant ASIATICUM, ATTICUM, RHODIUM.* Ex quo patet, ipsis olim rhetoribus parum inter se convenisse. Sed quum oratio magnifica etiam gravis atque ornata; ornata vero etiam magnifica esse possit: primam divisionem huic alteri merito praeferimus. [In alia omnia abit idoneus harum rerum iudex, IO. GUILBERGERUS, qui in disputatione de σημῶν in *oratione Corn. Taciti*, §. VI. utramque hanc, in tres & quatuor dicendi formas, divisionem, tamquam imperfectam, reiiciens, Hermogeni, qui septem numerat, totus assentitur. Operae pretium esse puto, quaedam inde huc transferre: *Tullius*, inquit, *doctrina saeculi sui non contentus, eodem libro, quo triplicem orationis characterem copiosus describit, hanc divisionem efformandis tot dicendi generibus parum optant esse, docet, cui oratio instar cerae est, mollis, tenera, flexibilis, ut sequatur, quocunque torqueas, varieque tractari possit. Hinc; ubi de claris oratoribus incipit tradere, eorumque in dicendo virtutes commemorat; non tantum grandes, tenues, temperatos producit in scenam, sed alii praeterea asperi, alii vehementes, concitati alii & volubiles; floridi alii, alii alio nomine, vocantur. Immo in partitionibus oratoriis, aliam docendi viam ingressus, orationis quinque quasi lumina efficit, dilucidum, breve, probabile, illustre, suave, docetque haud ineleganter, quid in quoque optimum sit & observatu dignum. Sed nimirum potest responderi, esse has, quas vel Cicero, vel Hermogenes commemorant, dicendi species, non tam formas, aut characteres, quam virtutes orationis.*

\*\* ) Vid. GELL. Noët. Attic. VII, 14.

\*\*\* ) Quam parum veteres rhetores hanc stili differentiam ipsi videantur intellexisse, vel ex iis adparet, quae DEMETRI PHALEREUS de his characteribus, & DIONYSIUS LONGINUS de stilo sublimi disserunt. Ille eam demum orationem putat magnificam, quae habeat numeros accurate dimensos, membra proluxiora, dictionem circumductam, verba asperiora, figuras sonoras, vocales concurrentes, sententias graves. Sed quis

quis haec omnia stilum magnificum efficere dixerit? Paulo melior DIONYSIUS LONGINUS: sed ita, ut nec ipse omnia exhaustire videatur. Verum quidem est, ex praeceptis rhetorum & exemplo optimorum poetarum Iovis imperantis orationem brevem & concitatam esse debere, talemque breviter summis personis dignissimam esse, ceu elegantibus testimoniis atque exemplis ostendit v. c. PETR. BURMANNUS ad *Valer. Flacc. Argonaut. lib. IV. v. 78.* Sed aliud est genus dicendi breve & concitatum, aliud sublime. Breve est illud VIRGIL. *Aeneid. III. v. 237.*

*Naviget, haec summa est, hinc nostri nuntius esto.*  
Sed nihil ego hic sublime aut magnificum video.

## XLIV.

TENUEM ergo, ut ab hoc ordiamur, illum vocamus stilum, qui Latinus quidem & concinnus, sed minime ornatus est \*). Nuda ergo haec oratio est, recta, & venusta, omni ornatu orationis tamquam veste detracto. Contra, si vel Latinitas parum pura, vel oratio parum concinna sit, nec sententiae quidem admodum graves subsint; nascitur inde genus dicendi SICCUM \*\*).

*Stilus tenuis, eique oppositus siccus.*

\*) Talis est stilus PHAEDRI, C. IUL. CAESARIS, (hunc supra §. 41. ad Rhodium retulerat. Ergo non simpliciter sunt synonyma *mediocris* & *Rhodium*: sed alioquin falsum est, stilum Caesaris esse tenuem. G.) nonnumquam etiam CICERONIS in epistolis ad diversos. (In his dixerim plerumque, semper autem in iis, quae ad Atticum dedit. Etiam saepe in orationibus, ubi τὸ πιδανόν sequutus narrat, notationem morum habet. In philosophicis fere semper, nisi in amoenioribus locis communibus. Ex hoc genere sunt TERENCEUS, quoque plerisque locis, PLAUTUS etc. G.) Sic & SÜETONIUS raro ultra stilum tenuem adsurgit. Ait hic *Iul. I. Iulius Caesar divus annum agens sextum decimum patrem amisit, sequentibusque flammis destinatus, dimissa Cossutia, quae familiae equestris, sed admodum dives praetextato desponsata fuerat; Corneliam Cinnae, quater consulis, filiam duxit uxorem, ex qua illi mox Iulia nata est.* Omnia hic Latina sunt & concinna: sed nullum vides ornamentum, nihil, quod ingenium prodat. Atque ita fere semper humi serpit (certe pedibus incedit, cum privatam fere vitam sibi scribendam sumserit. G.) SÜETONIUS. (Vocatur uno verbo hic character ἰδιωτισμός, vid. LONGIN. 31. & ibi TOLL.

v. g. ex *SÉN. controu.* 3. praef. De reliquo illum pulcherrime pinxit *CIC. orat.* 23. s. 75. sq. de quo breviter *HORAT. A. P.* 240.

*Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quisvis  
Speret idem; sudet multum, frustra que laboret*

*Ausus idem.* (G.)

[Peculiaris *περί ἀφειδῆς λόγος* libellus exstat *ARISTIDIS. N.*) At tenue tamen dicendi genus *CAESARI* tribuendum esse negat vir celeberrim. *IO. GUIL. BERGERUS de naturali pulchrit. orat.* p. 64. Sed id fortassis de eius orationibus olim verum fuerit. Quod enim ad commentarios de bello civili & Gallico attinet, quos superstites esse voluit fortuna, de iis iam recte iudicavit *Brutus* apud *CIC. in Brut. cap.* 75. *Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem, inquam, probandos. Nudi enim sunt, reſti, & venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detractō.* Quae sane non est, nisi tenuis orationis descriptio. (Regeret illustr. *BERGERUS*, posse corpus nudum esse, & tamen non tenue aut iunceum, sed habitius, solidum & succi plenum, quale est apud *Terentium*. Ceterum illud etiam hic observandum, fieri posse & solere, debereque adeo, ut unius orationis pars sit stilo tenui scripta, alia mediocri etc. G.)

\*\* ) Non opus est exemplis. Plura quotidie prela typographorum fatigant scripta, quovis pumice sicciora. Modo enim Latinitas iis deest, modo concinnitas; modo sententiae tam absonae sunt, ut sine indignatione legi vix possunt. (Sicca quoque sunt *PETRONII* quaedam, v. g. de *Lycanthropo* c. 62. etc. G.)

#### XLV.

*Stilus mediocris, eique oppositus inaequalis.*

**MEDIOCRE** dicendi genus adpellamus, quod & concinnum, & praeterea (mediocriter, G.) ornatum est \*). In quo si quis sibi parum constans, puris impura, concinnis dissoluta, ornatioribus incomta misceat; nascitur inde stilus **INCONSTANS** vel **INAEQUALIS**, quo vix ullus poterit reperiri absurdior \*\*).

\*) Dabimus exemplum mediocris stili ex *PETRONII Satyrico* cap. 3. *Adolescens, quoniam sermonem habes non publici saporis, & quod rarissimum est, amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint, quod adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquuntur; sicuti ficti adulatores, quum coenatum*

*tum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratissimum auditoribus fore, (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint:)* sic eloquentiae magister, nisi, tamquam **PISCATOR**, eam imposuerit hamis **ESCAM**, quam scierit adpetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo. Et cap. 4. *Quid ergo est? parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos SEVERA LEGE proficere. Primum enim, sicut omnia, SPES quoque suas AMBITIONI donant: deinde, quum ad VOTA properant, CRUDA adhuc STUDIA in forum PROPELLUNT, & eloquentiam, qua nihil esse maius confitentur, PUERIS induunt adhuc nascentibus.* Haec **PETRONIUS**. Vides, omnia non solum Latina & concinna, verum etiam ornatissima esse. Si enim tot elegantes translationes, tot praeclara epitheta, tot insignes imagines ac similitudines, aliaque, quae litteris maiusculis expressimus, consideraveris, non negabis, totam orationem tersam esse atque ornatissimam. (Ex hoc genere sunt narrationes multae in **CICERONIS** orationibus, descriptionesque, exordia librorum, digressiones amoeniores, ut in *Catone* laus agriculturae: **LIVII** orationes quaedam & descriptiones: **SALLUSTII**, **LIVII**, **CAESARIS** historia paene tota, & multa **PLINII** iunioris. G.)

\*\* ) Solet hoc illis contingere, qui hanc vel illam dictionem elegantiorē, aut integras etiam sententias ornatiores bonis auctoribus sublegunt, atque huic purpurae deinde suas adtexunt lacinias. Sic enim fit, quod ait *HORATIUS A. P.* 22. *Amphora coepit institui, currente rota cur urceus exit?* Exemplapassim prostant. (Praesertim apud imitatores, qui illud imitari putant, quum centones suunt ex pannis diversi generis, & imperite utuntur apparatus eloquentiae alienis. Tales libri prostant exercitatis, vel certe prudentem monitorem habentibus. G.)

#### XLVI.

**MAGNIFICAM** †) denique orationem non solum Latinam, concinnam, & ornatam, verum etiam sublimem esse decet. Sublimis vero fit oratio, si & verba selectiora \*) & sententiae graves atque acutae \*\*), [& affectus magni generosique \*\*\*). N.]. & figurae denique adfectibus ciendis idoneae \*\*\*\*), frequentius adhibeantur, [& his omnibus accedat insuper magnitudini rerum conveniens verborum collocatio.\*\*\*\*\*). N.]

†) [Grande, robustam, vocat *Quinctil.* XII, 10. 59. Nomina plura recenset *Voss. II, 6, 2, I. N.*]

*Stilus magnificus.*

[Maiore cum fructu suo, quae hic dicuntur, leget is, qui antea cognoverit & examinaverit, quae *Excurs. III.* sunt observata. N.]

\*) Sublime ergo tum in *verbis* quaero, tum in *sententiis*, [tum in *affectionibus*, N.] tum in *figuris*, tum denique in *struttura verborum & numero*. N.] Fatendum equidem est, altitudinem illam, quam LONGINUS ὕψος appellat, magis, (certe non minus, G.) in ipsis sententiis grandibus, quam verbis, sitam esse: BERGER. *de natur. pulchritud. orationis* p. 347. (Sermo ibi est non de ὕψει in genere, sed de genere ὕψος, quod sit verbis Mosis: *fiat lux, & facta est lux.* Alioquin Longinus de verbis & eorum sublimitate praeclare multa praecipit. G.) Sed ideo non existimandum est, verbis nihil magnificentiae inesse. Observat sane hoc dicendi magister optimus, QUINTIL. *Instit. orat. Lib. VIII. cap. 4.* (s. 130. de oratorio numero agens.) *Nam quis dubitat, alia lenius, alia concitatus, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? Gravibus, sublimibus, ornatis, longas magis syllabas convenire? ita, ut lenia spacium; SUBLIMIA & ornata CLARITATEM quoque vocum possent potius, quam his contraria?* Ad sublimitatem aliquid conferunt I. *Verba prolixiora*, maxime *decomposita*, dummodo non sint poetica & dithyrambica. Sic stilo sublimi aptiora sunt *allevamentum*, quam *solatium*, *effeminatus*, quam *muliebris*, *contumacissimus*, quam *contumax*. (Talia etiam sunt v. c. *Dii immortales*, *orbis terrarum*, *conspiratio*, *consequentium saeculorum perpetuitatem*, *innumerabilia*, *incredibiliter*, *immortalitati consecrare*, etc. G.) II. *Verba ἐμφατικώτερα* (quae pingunt & oculis spectandam quasi repraesentant rem, ut *de gradu deicere*, *in caelum tollere laudibus*, *spirare & anbelare caedem*. G.) Sic pro desperatio *incessit animos*, sublimius dixit BUCHNERUS: *desperatio LYMPHAVIT animos, & veluti furiiis quibusdam INSTINXIT.* III. *Verba a rebus grandibus translata*. [His principatum defert in hoc orationis genere Demetr. Phal. S. LXXVIII. ita tamen, ut translationes sint, neque longe petitae, neque crebrae; tum enim oratio in Dithyrambum degenerare. Caeterum novae & interdum audaces hic maxime sunt commendabiles. N.] BUCHN. *orat. paneg. III. p. 63.* *Neque ignoras, PROVIDENTISIME PRINCIPUM, quae inimici fati TRUCULENTIA, quae impotentis TURBINIS vis incubuerit adhuc, quantumque malorum invexerit nobis contumacissimus belli FUROR.* Ergo quum iam redire nobiscum in gratiam iratum videatur numen, quum EVANESCERE incipiat NUBES, quae paullo ante tot tristia circum FULMINA eiaculabantur, tranquilliorque FULGERE SERENITAS, cet. Sublimia haec omnia ac magnifica, quia translata a rebus grandibus.

bus. Porro huc pertinent III. *Epitheta ἐμφατικὰ καὶ ἀνετηνὰ*, qualia in superiore BUCHNERI loco sunt *inimici fati truculentia, impotentis turbinis vis, contumacissimus belli furor, tranquillior serenitas, vagata late ruina*, cet. (De his ad §. proximum 47. dicetur. G.) [V. Raro habet etiam in oratione poeticum ali-quod verbum dignitatem. Cic. *de orat. III, 38.* ubi ipse exempla posuit. N.]

\*\* ) Non verba solum sublimem efficiunt orationem, sed maxime etiam sententiae. (Hic regnat Longinus & interpret eius Tollius. G.) Eas esse oportet I. *acutas*. (Vid. infra 1, 2, 63. Hic illud modo teneamus acutum esse, ad quod inveniendum & intelligendum celeritate quadam cogitandi opus est. G.) Recte DEMETR. PHAL. n. LXXVII. observat, extra consuetudinem esse debere orationem magnificam. *Ἡ γὰρ κρισις, καὶ συνήθης σαφὴς μὲν αἰεὶ, τῇ δὲ καὶ ἐυκαταφρόντος.* *Propria enim, & ex consuetudine loquutio plana quidem semper erit, sed hac de causa etiam abiecta.* Iam vero maxime extra consuetudinem sunt sententiae acutae, atque hinc magnifico characteri convenientissimae. Regnat in eo genere PLINIUS in *Panegyrico*. Nos iam pauca exempli loco adducemus ex *cap. 19.* *Est haec natura sideribus, ut parva & exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione maior: eandem auctoritatem praesente te quisque, quam absente, retinebat: quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. Itaque perinde summis atque infimis carus, sic imperatorem commilitonemque miscueras, ut studium omnium laboremque, & tamquam exactor intenderes, & tamquam particeps sociusque relevares. Felices illos, quorum fides & industria non per internuntios & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probantur! Consequuti sunt, ut absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi, crederes. Nulla hic periodus, quam non acumen commendet. Eodem pertineat II. *sententiae graves* de rebus divinis, civilibus, naturalibus, quae ipsae per se grande quid & magnificum prae se ferunt. (Si nempe argumentum postulat vel patitur. Sed possunt etiam minute & scholastice tractari haec omnia. G.) [δῆι γὰρ ἐ τὰ κληόμενα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς λέγεται ἔστι γὰρ καὶ μεγάλα μικρῶς λέγοντα ἀπρεπὲς ποιεῖν τῷ πραγματι, verba sunt DEMETRII, S. LXXV. & talem fuisse oratorem dicit Theopompum δεινὰ ἐ δεινῶς λέγοντα. N.] Quam gravis v. c. est illa sententia PLINII *Paneg. cap. 45. §. 5.* *Flexibiles quaecumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. Huic enim cari, huic probati esse cupimus: quod frustra speraverint dissimiles: eoque obsequii continuatione per-**

venimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Et interiectis quibusdam: nam vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Eiusmodi loci communes dici non potest, quantam sublimitatem concilient orationi. Eodem pertinent III. similitudines a rebus grandibus petitae, exempla heroica, testimonia atque apophthegmata virorum maximorum. Sic quando BUCHNERUS orat. paneg. IIII. p. 79. tractat locum communem de salute principis, qua communis omnium salus continetur: primo adfert exemplum Augusti, (Sueton. c. 98. G.) cui Puteolos praetervehentes nautae acclamarint: per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui; (ostenditque, haec non simpliciter esse adulationi vernili tribuenda, sed aliquid veri habere. G.) Deinde similitudinem addit, petitam a divina providentia, quae omnia foveat ac tueatur per universum orbem. Utraque amplificatio grandis ac sublimis est. (Conf. Pompeii de TULLIO testimonia apud hunc Attic. I, 14. & Philipp. 2. c. 5. G.)

\*\*\*\*) [Non potest grande aliquid & supra caeteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet a solito, & offeratur, & mordeat fraenos, & relictorem rapiat suum: eoque ferat, quo per se tenuisset ascendere. Senecae verba haec sunt de Tranquil. fin. Exempla passim extant apud poetas, Tragicos potissimum & Pindarum. N.]

\*\*\*\*\*) Grandem orationem reddunt schemata cum omnia, tum ea cum primis, quae vel splendorem conciliant orationi, vel ad affectus excitandos sunt comparata. Talia sunt interrogatio, συμπλοκή (seu πλοκή, per quam intelliguntur αναφορά & finalis repetitio. G.) exclamatio, apostrophe, prosepocia, sermocinatio, [diatyposis, N.] cet. quamvis in his quoque tenendus sit modus, ne in parenthyrsum evadat sublimitas.

\*\*\*\*\*) [Compositionem verborumque positum omisit auctor. α) Multum ad magnificentiam conferre numerum aptum rei subiectae, tardum in re gravi, celerem, ubi fertur quasi torrens oratio; verba productiora, sonantioraque; periodos longiores; austeras etiam ubi opus sit, in clausulis potissimum graviter cadentes, docent Demetr. Phaler. S. XXIX. sq. Dionys. Halicarn. de struct. orat. S. XVII. sqq. Hermog. ID. I, 6. Longin. S. XXXIX. seq. β) In primis vero, dici non potest, quantum maiestatis hic habeat, grata negligentia, quae contemnit leges artis, inserviens naturae, & diligentiae suspicio-

ncm

nem vel minimam fugiens studiose; contra vero non raro locum dat asperitati constructionis, concursui litterarum auribus alias molesto, hiatibus, periodorum inaequalitati, aliis, quae prava forent & indecora, in reliquis dicendi generibus, hic autem sunt virtutes, si caute & prudenter adhibeantur, cuius rei exempla sunt complura apud Thucydidem, Aeschylum & in primis Pindarum. Scilicet orator tum ita intentus esse debet rei dicendae magnitudini, & mente adeo commota, ut obliviscatur rerum aliarum omnium, ornatus praecipue exquisiti. Videantur omnino praeclare apud Demetr. Phal. S. XLVIII. sqq. Dionys. Hal. S. XXII. & Longinum l. I. in hanc sententiam dicta. Unde apparebit, quam frustra sint vel Critici nostri, qui in carminibus patriis nunquam ferre volunt quod auribus videatur duriusculum; vel poëtae, qui illorum gratia saepe malunt, etiam ubi dedecet vel maxime, muliebriter canere, quam viriliter. N.]

(Hic sumi in manus debet oratio pro lege Manilia, post reditum ad Quirites, pro M. Marcello, de barusp. responsis, pro Sextio bonam partem, aut similis, & quae hic praecepta sunt, observata a TULLIO esse, ostendi. De cetero ita tractare hoc de sublimitate, [quam vulgo vocant, N.] argumentum, ut illi vel ullo modo satisfiat, libri hoc opus est, non huius brevitas. Ne Longinus quidem, quantus exstat, haec exhaustit omnia, G.) [utpote qui aliud plane propositum sibi habuisse videtur. Si quis vero hoc agat, ei, ut Demetrium, Hermogenem, Halicarnassensem Dionysium, aliosque taceam, non praetermittendus est Aristides, Longino, quidem & Hermogeni longe impar, at qui tamen multa praeclare praecipit in libello περί πολιτικῆ λόγῃ, cuius σημώτης non respondet quidem τῷ ὑφεί Longini, sed huic fere, quam noster vocat, magnificae orationi. Et in eo potissimum commodus est, quod singulis praeceptis veterum Demosthenis praecipue, subiicit exempla. N.]

#### XLVII.

Sublimi characteri opponitur FRIGIDUS, [vel tumidus. † N.] Frigus †† vero oboritur, quoties quis vel de rebus exilibus grandi ac phalerato orationis genere disserit \*), vel ineptis hyperbolis \*\*), acuminibusque parum argutis \*\*\*) vel epithetis denique absurdis \*\*\*\*) utitur.

Eique oppositus frigidus.

† [Tumor orationis quid sit, facile apparebit consideranti vitium quod in corporibus sic vocatur, ubi partes externae ma-

ma-

magnae quidem videntur, sed nihil, parum certe, subest solidi. Ita hic tumor est, quando oratio speciem externam sublimitatis & magnitudinis, verba tragica, dithyrambica, figuras, translationes, duras praecipue, audaces nimis atque poëticas, etc. habet, sed verae solidaeque sublimitatis, quae ex animi sensuumque altitudine gignitur, nihil est subiectum, adeoque sufflata est, & inaniter turget. N.]

†† (Frigus in universum oboritur, quoties conatus movendi risum, dolorem, admirationem etc. verbo incendendi irritus est & effectu caret, vel plane habet contrarium. Sublimis oratio incendere debet. Orator igitur, quoties excidit proposito suo, frigidus est. Acerbos de frigore sales vid. ad PLAUT. *Poen.* 3, 5, 15. & illud MARTIAL. III, 25.

*Si temperari balneum cupis fervens, - -*

*Rogo, laet uti Rhetorem Sabineum.*

*Neronianas is refrigerat ithermas. G.)*

\*) Commune id vitium fuit auctoribus sequioris aevi. Stylum sublimem adfectarunt CASSIODORUS, SIDONIUS APOLLINARIS, SYMMACHUS, etiamsi de rebus exilibus dissererent. E patribus maxime frigidus videtur TERTULLIANUS, inprimis in libello *de pallio*. Tam tenuem enim caussam acturus, tantis incedit cothurnis, ut in Philippum invecit DEMOSTHENES non gravius sublimiusque loqui potuisset. (Frigus esset, si serio scripsisset: sed satyra est, ut IULIANI MISOPOGON. v. ad §. 54. extr. G.) Conf. SAM. WEHRENFELS *diatribe de meteoris orationis, & de logomachiis eruditorum*.

\*\*\*) DEMETR. PHAL. n. CXV. p. 72. Ἐκ γὰρ τῆς ὑπερβεβλημένης τῆς διανοίας καὶ ἀδυνάτου ἢ ψυχρότης. Ex eo enim, quod superat modum in sententia, quodque item effici non potest, exoritur frigus. (Ut nimirum etiam eiulatus nimis ridiculus est. G.) Ipse DEMETRIUS exemplum adducit locum auctoris nescio cuius, qui lapidem descripturus, a Cyclope in navem Ulyssis proiectum: φερομένη, inquit, τῆ λίθου αἰγες ἐπέμοντο ἐν αὐτῶν, quum lapis ferretur, caprae in ipso pascebant. Nihil est hac hyperbole frigidius. (Huc pertinent celeritatis descriptiones poëtarum, de segete & undis etc. G.) Talia etiam haud raro apud FLORUM. Iam supra (in metaphora §. 30. \*\*\* G.) frigidam eiusmodi ὑπερβολὴν de navibus M. Antonii adducere me memini. Iam aliam addo ex lib. II. cap. 17. Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque, & omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis, peragratoque victor oceani litore non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu & horrore deprehendit. Quis haec legens non mera sibi prodigia narrari putet? Et ta-

men

men nihil in Hispania vidit Romanus miles, tantis ampullis dignum. Cur enim formidassent Limaeum fluvium, (Straboni *Lethe* dictum? G.) cur sine horrore non adspexissent solem occidentem? Nihil ergo hac Flori hyperbole frigidius. Eleganter QUINCTIL. *Instit. orat. lib. VIII. cap. 6. Huius quoque rei* (hyperboles) *servetur mensura quaedam. Quamvis enim est omnis hyperbole ultra fidem: non tamen esse debet ultra modum: nec alia via magis in ναυοῦνδῶν itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, quum praesertim minime sint ignota & obscura. Monere satis est; mentiri hyperbolae, nec ita, ut mendacio fallere velit. Quo magis intuentium est, quousque deceat extollere, quod nobis non creditur. Pervenit haec res frequentissime ad risum: qui si aptus est, urbanitatis: sin aliter, STULTITIAE nomen adsequitur.* [Ita sane est, sed quae de hyperbole dicta sunt, non sic debent accipi, quasi illa semper frigida sit. In poësi enim hyperbolae saepe sublimitatis quoddam genus pariunt, praesertim si non nimis sint immodestae; quin ipsi divini poëtae audacissimas interdum non reformidarunt. Unam ex multis indicabo, quae animum meum semper magna cogitatione implevit. Ps. LXII, 10. Davides, hominum describens fragilitatem vanitatemque, eos ipso nihilo praeponderari canit. Cogita, in lance altera suspendi omnes homines, in altera vero τὸ nihilum tamquam pondus imponi, quod ad illos ita grave sit, ut elidat istam cum levi sua merce in altum. Interim quae orationem volunt intrare hyperbolae, valde debent esse verecundae, quarum aliquae etiam in vulgi ore sunt, nimis enim impudentes prosa eloquentia non tolerat, quia nihil ibi maius efficit frigus, quam illae, hinc Fabius VIII, 6. eas audacioris ornatus summo loco posuit. Sed non minus caussa frigoris fieri potest illa secunda mater ornatus & magnificentiae, metaphora, si nempe, ut Aristoteles *Rhet.* III, 5, 17. sqq. monet, ineptae sint aut obscurae translationes. Plura hac de re egregie praecipit CASELIUS in Phalereum c. 43. coll. c. 42. ubi de frigore generatim, ut illo dignum est, disputat. N.]

\*\*\*\*) Talia sunt frigida illa acumina, quae Thrasoni suo tribuit TERENT. *Eun.* III, 1. v. 22. Illi invidere misere: verum, unus tamen impense, elephantis quem Indicis praefecerat. Is, ubi molestus magis est; quaeso, inquam, Strato, eone es ferox, quia habes imperium in belluas? GNATH. pulchre me hercle dictum & sapienter. PARM. papae! iugularas hominem. Quid ille? THRASO. mutus illico. GN. quidni esset? - TH. quid illud. Gnatbo? Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio, num quid tibi dixi? GN. numquam: sed narra, obsecro. - TH. una in convivio erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus. Forte habui scortum: coepit ad id alludere, & me irridere. Quid ais, inquam, homo impudens? Lepus



pus tute es, & pulpamentum quaeris. GN. Ha, ha, he! TH. quid est? GN. facete, lepide, laute: nihil supra. Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? Vetus credidi. TH. audieras? GN. saepe, & fertur imprimis. TH. meum est. Quid quaeso frigidius est hisce Thra-sonis acuminibus? Haec si frequententur, oratio profecto ipsa hieme Gallica fiet frigidior.

\*\*\*\*) Epitheta quoque ut ornant, ita & frigidissimam reddunt orationem. Illud fit, si loco & cum delectu; hoc, si confertim & promiscue adhibeantur. Loco & cum delectu adhibentur. I. Si aliquid efficiunt, ut ait QUINCTIL. Instit. orat. VIII, 6, 40. id est, si sine illis, quod dicitur minus esset. CICER. Catil. I, 1. *Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Deme epitheton, inermis ac veluti imbellis erit oratio. (Talia sunt plura in principio orationis pro Milone: *Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere, etc.* -- novi iudicii nova forma terret oculos, qui veterem consuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum requirunt. -- non usitata frequentia stipati sumus. -- praesidiis salutaribus & necessariis septi sumus etc. Ita ridiculus mus Horatii alio omni loco erit ineptus. G.) II. Si adponuntur discretionis causa, v. c. *fortuna secunda, adversa, (malum virus, malum carmen accantassit, Africanus maior, fittae fabulae. G.)* III. Si rei cuidam sint propria, e. g. *alma Ceres, pius Aeneas, augustissimus imperator, (sapientissima dea, pro Minerva, CIC. pro Mil. 3. s. 9. Sic apud Homerum fere omnia propria sunt. Ita magnus Alexander, Pompeius, Carolus, etc. dirus Annibal. Cultus poetarum est epitheton. Huc tituli pertinent, clarissimus consul, interdum etiam regum; egregii, perfectissimi, spectabiles. Ita hodie non ex sermone metienda sunt epitheta honoris, sed ex possessione quadam & proprietate, ut Wohlgebohren, etc. G.)* Alia sunt epitheta, quae propria vocat QUINCTIL. lib. VIII. instit. orat. cap. 2. veluti *dulce mustum, & cum dentibus albis, de quibus recte v. c. BURMANNUS ad Quinctilian. p. 673. Talia epitheta, ad finem ipsi rei & propria saepe apud poetas occurrunt, ut demens furor, taciturna silentia, pavidus metus, moestus dolor: antiquiores magis adhuc in his lascivierunt, ut Lucretius dixit sonitum sonantem, & Aristophanes βῖον βιωτόν. Sed in his omnibus acri opus est iudicio, nec extra carmen facile usurpandum, ne inepti videamur. At nos propria vocamus epitheta, quae rei, tamquam cognomina quaedam tribui solent, & de quibus idem QUINCTIL. ibid. Interim autem, quae sunt in quoque genere praecipua, proprii locum accipiunt, ut Fabius inter plures imperatorias virtutes cunctator est adpellatus. IV. Si ornatus & descriptionis causa adhibeantur. Sic. CIC. de senect. cap. 15. herbescentem segetum viriditatem di-*

dixit. (Et ibidem de vite, serpentem multiplicitate lapsu & erratico, ferro amputans. ID. pro Mil. c. 5. Huius ambusti tribuni plebis intermortuae conciones. Talia sunt illa VIRG. I, 57. *Luctantes venti tempestatesque sonorae;* & HORAT. I, 36, 20. *Puella lascivis hederis ambitiosior. G.)* Mirus in his epithetis artifex est PETRONIUS. (Ut ab initio statim, *melliti verborum globuli, & omnia dicta factaque quasi papavera & sesamo sparsa: grandis & pudica oratio, non est maculosa nec turgida: ventosa & enormis loquacitas animos veluti pestilenti quodam sidere afflavit. G.)* V. Si rem, de qua loquimur, deminuant, e. g. PETRON. Satyr. cap. 2. *Nondum UMBRATICUS doctor ingenia deleverat. Et cap. 7. Delectata illa urbanitate tam STULTA. TERENT. prolog. in Andr. v. 20. Quorum aemulari exoptat negligentiam potius, quam istorum OBSCURAM diligentiam. (VIRGIL. Georg. IV, 201. PARVOS Quirites, lepide de apibus; & PLIN. hist. nat. VIII, 36. s. 54. de ursis, nec alteri animalium in maleficio stultitia SOLERTIOR. G.)* Sic adhibita epitheta in laude ponuntur. At frigidam ea reddent orationem, I. si sint poetica, dithyrambica, sesquipedalia. Talia sunt illa PACUVII, LUCILII, LABERII: *luctificabile cor, monstrificabile facinus, repandirostrum incurvicervicum pecus, avis pietaticultrix, gracilipes, crotalistria. II. Si sint otiosa, vel ut ARISTOTELES [Rhet. III, 3, 5. N.] vocat ἀναίρετα, v. c. album lac, sudor humidus. [Semper tenendum est, hic sermonem esse de eo, quod in oratione conveniat vel non, nam in poësi non ἀναίρετα sunt vel otiosa, sed pingunt, adeoque, ut ipse Aristoteles monet, poetae debent concedi. N.]* Conf. DEMETR. PHAL. de eloquut. n. LXVI. III. Si sint crebra ac densa. Ineptit in his APULEIUS, qui vix substantivum sine epitheto audet ponere. Quam frigida illa *de asin. aur. III. Commodum punnicantibus phaleris aurora roseum quatiens lacertum, coelum inequitabat. Conf. de epithetorum usu BUCHNER. de commut. rat. dicendi I, 13. p. 214. seq. [cum ARISTOTE. I. l. ex quo de cauto usu epithetorum multa discuntur. Denique frigus etiam inest compositioni, quando oratio vel plane numero caret, & longae continuantur syllabae; vel numeris illigatur ineptis, h. e. rei tractandae alienis. Demetr. Phal. S. CXVII. N.]*

## XLVIII.

De usu horum characterum sola notanda est regula DEMETRII PHALEREI de eloquut. n. CXX. τὸ δὲ πρό-πον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον τριῖσι, προσφόρων ἐρμηνευτέον τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ δὲ μεγάλα μεγάλως. *Decorum in omni re servandum est, hoc est, apte & accommodate ipsis singu-*

*Horum usus.*

lae res sunt verbis exponendae, exiles exiliter, & amplae ample \*).

\*) Tenuis ergo stili locum habet in colloquiis, epistolis ad familiares, in scriptis didacticis, in historiis minus pragmaticis: mediocris in epistolis elaboratoribus, declamationibus scholasticis, dialogis elaboratoribus, satyris & historiis paullo maioris momenti: sublimis denique in panegyricis, historiis pragmaticis, & si quando principi adfingitur oratio. Praecipue opera danda, ut ne diversos dicendi characteres temere atque imprudenter misceamus. Ex instituto hoc praeceptum illustrat QUINCTIL. *Instit. orat. lib. XI. cap. I.*

(De quibusdam paullo mihi aliter videri, fidei meae non est dissimulare. v. g. Quo magis est historia pragmatica, id est, rebus, consiliis, caussis eventuum interdum parvis & tantum non contemptibilibus, explicandis intenta; tanto magis tenuem illi stilum convenire, arbitror. Principis orationi nihil minus, quam oratorium illum ornatum, qui ad sublimem characterem ante relatus est, convenire puto: sed tum demum vere sublimem esse principis orationem, si quam simplicissimis verbis res maximas enunciet, similemque adeo in suo genere, illi sublimitati, quam LONGINO auctore, Deo Moses tribuit in principio Geneseos. Nempe hic distinguere possumus inter sublimitatem cogitandi & rerum, atque inter verba magnifica. Quae ex his oritur sublimitas, principi non convenit, sed decet illum ἄσος cogitationum verbis paucis inornatis prolatarum: ut enim non decet principem esse artificem magnum, summum saltatorem, musicum, pictorem, ita nostris moribus neque rhetorem. Aliud erat apud populos libertati adsuetos. Denique in eadem oratione, pro conditione argumenti, charactera nunc hunc nunc alium adhiberi non posse tantum, sed debere, existimo, si de rebus dicamus diversis, vel diversos loqui faciamus, ut in oratione CIC. *pro Caelio*. G.) [Neque vetuit Hermogenes, quo minus plures in unam confluent orationem: Quin immo natura ipsa affirmat esse vitium, orationem facere uniformem, laudatque hoc nomine Demosthenem praecipue, quod omnes formas congruenter & decore miscuerit; in quo eum regnare solum affirmat, ideoque dicit hoc dicendi genus, honoris caussa, Demosthenicum. *de Id.* I, 2. p. 248. commutationem figurarum, ut satiety varietate vitetur, suadet etiam auctor ad Heren. IV. II. & uno verbo, qui sapiunt, omnes, ipse Quinctilianus adeo, hoc ipso loco, ad quem provocat auctor. Nam dum iubet ad id, quodcumque agatur, apte congruenterque dicere, interdicit modo characterum

rum usum perversum, ne sublimes simus rebus in parvis, in grandibus tenues etc. Sed potest in eadem oratione magna esse rerum personarumque diversitas. N.]

## XLIX.

Omnes hae stili differentiae ad formam potius illius, quam ad materiam, pertinent †). Si vero hanc consideres: sex habebis dicendi formas vel ideas, PERSPICUAM, GRANDEM, PULCHRAM, MORATAM, CONCITATAM, & eam, quam DICENDI VIM adpellitare solent \*).

Tertia divisio stili.

†) (Illud semper tenendum, non esse separanda a rebus verba, sed haec illis semper attemperanda: intelligi non posse virtutem verborum aliam, nisi in quantum res, quas volumus, & qua parte & modo opus est, repraesentant. Id quod etiam ad utramque hanc divisionem referendum est. G.)

\*) Non hi sunt dicendi characteres, sed certe priorum characterum [orationis potius dixerim, N.] adfectiones vel virtutes, quae quam maxime ornant orationem. (Hic aliter ego pronuntiandum censeo, propterea, quod Hermogenes ideas suas non in tribus dicendi characteribus, tamquam in subiecta materia, considerat, quod tamen fieri debuit, si illorum quidem essent adfectiones, sed ex ipsis orationis partibus educit quasi & effingit. Verba sunt Bergeri ex *disp. de σφηνῶ Taciti* §. IX. Et mihi quidem recte negare videtur explicationem trium characterum, tot tamque diversas orationis formas capere. Sed ipse videatur & observatio ad §. 51. †) addita. N.) Singularis de illis exstat tractatus HERMOGENIS περὶ ιδεῶν, sive de ideis; editus [cum reliquis eius libris N.] Graece & Latine a CASP. LAURENTIO, *Genevae* c1010cxviii. 8. quem nemo praeclarius illustravit IO. STURMIO, *libris quatuor de universa ratione eloquutionis rhetoricae*, editis Argent. c1010lxxxvi. 8.

[Proprie non sex ideas; ut Auctor noster vult, sed septem numerat Hermogenes, ἀληθειαν addens, quam quidem in tractatione τῶν ἠθῶν subiicit, sed nempe §. LIII. ubi agitur hic de oratione morata, illius mentionem fecit Heineccius. Ceterum adfectiones stili oratorii, non omnes eodem modo determinant, constituunt enim alii plures, alii pauciores. In fine tamen conveniunt, nam qui paucas ab initio assumunt, illis deinde tamquam principibus comites subiungunt, & species suas assignant generi. Sunt, qui tria constituent summa genera σαφήνειαν, μέγεθος, ἦθος. Sed hos equidem non putarim sequen-

quendos, quia species omnes tribus his generibus vix poterunt comprehendi. Aristides *περί πολιτικῆς λόγος duodecim* ponit formas, quae sunt *σεμνότης, βαρύτης, περιβολή, αξιοπιστία, σφαιρότης, ἔμφασις, δεινότης, ἐπιμέλεια, γλυκύτης, σαφήνεια καὶ καθαρότης, κόλασις, βραχύτης καὶ συντομία*. Hermogenes, qui Aristidi quaedam debere videtur, *sex* suas vel *septem* ideas ita diducit in partes, ut numerentur decem & septem. Vid. Laur. Normannus ad Aristidis l. l. statim ab initio. Qui tanti non putat, aut cuius res non patiuntur, ut *adeat* ipsum Hermogenem, at summam certe eius ideas, quae ex hoc libro non satis erunt clarae, cognoscat ex Vossii *Rhet. VI, 7*. vel Scaligeri *Poët. IV, 1*. Est autem hac in parte principatus Hermogeni merito suo deferendus, nam rem admirabili acumine, prudentia & diligentia aggressus est & perfecit. Aristides multa quidem bona & ipse, sed confuse, nec accurate satis, dixit, neque hoc egit, quod Hermogenes, estque huic longe postponendus. Vocat autem dicendi formas ideas & *ἰδέα*, nomine, ut Bergero §. VII. l. l. videtur, *traducto ex arte pictoria, & ad praeceptiones rhetoricas haud inscienter accommodato*. Nam, pergit ille, *sicut artifex, qui simulacrum facit vel imaginem, ante omnia speciem pulchritudinis eximiam quamdam in mente excogitat, quam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigit, sic dantur species eloquentiae, animo conceptae, ad quarum exemplar imitando refert ea, quae sermone exprimit orator*. Has rerum formas appellat ideas ille, non intelligendi solum, sed etiam dicendi, gravissimus auctor & magister, Plato, quem Hermogenes sequutus, orationis effigiem eodem nomine appellavit. N.]

## L.

Prima dicendi idea est ΣΑΦΕΝΕΙΑ vel PERSPICUITAS, de qua multa subtiliter disputat HERMOGENES \*). Nos breviter dicimus, perspicuam fieri orationem vel verbis \*\*), vel eorumdem ordine & compositione \*\*\*), vel ipsa argumentorum dispositione \*\*\*\*). In quibus si peccatur, nascitur inde genus dicendi OBSCURUM, tanto diligentius fugiendum, quanto magis illud orationis fini repugnat \*\*\*\*\*).

\*) In singulis ideis HERMOGENES distincte considerat *sententiam, methodum, dictionem, figuram, membra, compositionem, clausulam & numerum*, sed ita, ut ipse, quid sibi velit, non satis intellexisse videatur. (Videnda & huc transferenda, quae

Stilus perspicuus & obscurus.

ad §. 43. pro DEMETRIO & LONGINO disputavimus. Intellexit profecto HERMOGENEM & illustravit VOSSIUS, intelligit, quisquis & linguae peritiam, & ingenium non obtusum, & attentionem ad illum attulerit, v. BERGERUS *de naturali pulchrit. orat.* p. 708. b. & p. 713. ubi alios quoque laudat, qui magni eum fecere. Ut dedita opera huic loco contradicere videatur. Si talia attingere non possumus, caveamus, ne vulpes simus in fabulis. Vera sunt omnia, quae prodidit Hermogenes. Sed alia quaestio est, an per haec aliquis orator fiat? Ars posterior fuit exercitatione, ut scilicet in omnibus artibus. Litteris fruamur bonis, quas habemus. [Usum certe maximum habebunt praecepta Hermogeniana ad iudicium vel formandum vel acuendum. N.] Graeca nomina apud intelligentes forte erunt clariora: *ἔννοια, μέθοδος, (σχήματα διανοίας) λέξις* (pura, poëtica, epithetis ornata, longa, brevis etc.) *σχῆμα λέξεως*, (figurae) *κῶλα* (longiora, breviora) *συνθήκη* (concursus vocalium, frequentia litterarum sibilantium, mugientium etc.) *ἀνάπαισις*, (clausula mollis abrupta) *καὶ ῥυθμός*, (numeri tardi, graves, concitati, subsilientes etc.) G.) Non praeter rem eum veteres adpellarunt *ἑστῆρα scalptorem*, quod docuerit *dictionem scalpello quasi deradere*. SYNES. *Dion.* p. 47. Sed non solus HERMOGENES tam multa praecepta accumulavit. Iam pridem enim observavit AUCT. ad HERENN. I, 1. *rhetores Graecos, ne parum multa scisse viderentur, ea conquisivisse, quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu videretur*. Quae quum ita sint, dabimus operam, ut, missis subtilitatibus, in quonam consistat unum quodque dicendi genus, dilucidius ostendamus.

\*\*) Orationem ergo perspicuam reddunt I. *verba propria*, aut certe *non longe translata*. Unde Epicuri oratio facilis intellectu fuit, quia maxime is studuit proprietati verborum, LAERT. X, 13. GASSEND. *de vita & moribus Epicuri VIII, 7*. Sic perspicua etiam sunt illa TERENT. *Andr.* I, 2, 25. *Si sensero, hodie quidquam in his te nuptiis fallaciae conari, quo fiant minus; aut, velle in ea re ostendere, quam sis callidus: verberibus caesum, te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem, ea lege atque omine, ut, si inde te exemerim, ego pro te molam*. Omnia enim verbis propriis eloquutus est senex. Perspicua etiam est oratio II. *verbis notis vulgoque receptis composita*. Ergo obscura erunt *verba obsoleta, peregrina, noviter inventa*. Sic PLAUTI dictio nonnumquam obscurior, quia utitur verbis obsoletis, aut noviter inventis, e. g. *assiduus pro divite, Amphitr.* I, 1. v. 14. *os occillare*, pro verberare, *ibid.* v. 28. obsoleta sunt. Nova contra (comica ab ipso ficta: G.): *pugnos edere*, pro pugnis accipi, *Vulcanum in cornu conclusum tenere*, pro laternam

gerere. Utraque ideo paullo sunt obscuriora. ( Alioquin summa virtus Plauti ac Terentii perspicuitas est: modo recte legantur pronuncienturque. G.) Nec multo clariores sunt loquutiones, quibus ad fabulas obscuriores aut historias secretiores aluditur. Ait PERSIUS Sat. I. v. 2. seq.

Quis leget haec? min' tu istud ais? nemo hercule, nemo?  
Vel duo, vel nemo. Turpe & miserabile, quare?  
Ne mihi Polydamas & Triades Labeonem  
Praetulerint?

Obscura haec. Quis enim Polydamas? qui Troiades? quis Labeo? Cornutus, vetus scholiastes, per Polydamanta intelligit Neronem, quod saepius nupserit, per Troiades Romanos, per Labeonem malum Homeri interpretem. Sed nisi Cornutum haberemus Oedipum, hoc quidem aenigma ignorarem.

\*\*\* ) Perspicua porro est oratio III. in qua ordo verborum non nimis est perturbatus. Hinc paullo obscuriores sunt odae HORATII, quia Lyricorum more, verba confusius collocat, e. g. (od. 4, 15, 1.)

Phoebus, volentem praelia me loqui  
Victas & urbes, increpuit lyra.

Si dixisset: Phoebus me praelia victasque urbes lyra volentem loqui, graviter increpuit, nihil obscuritatis habuisset oratio. Porro perspicuitatem gignit IV. membrorum brevitatis. Unde denuo sequitur, ut tanto obscuriores sint periodi, quanto prolixioribus membris constant. Hinc perspicua est illa periodus PLINII lib. V. epist. 16. Ut enim crudum vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: sic recens animi dolor consolationes reiciit ac refugit, mox desiderat, & clementer admotis adquiescit. Si prolixiora essent membra, facile caligo offunderetur orationi. (Sed multa addi posse salva perspicuitate, experimento declarare facile est. V. G. Ut enim crudum vulnus medentium manus reformidat, adeo quidem, ut etiam exclament saepe vulnerati, cum e longinquo medicum vident, deinde animadversa aligandi utilitate facilius patitur, atque ultro requirit: sic recens animi dolor consolationes reiciit ac refugit, solitudinem & secretum petit, mox adesse sibi amicos desiderat, & clementer admotis consolationibus & doloris sui quasi fomentis adquiescit. Multitudo verborum & notionum adeo, non parit per se obscuritatem, sed tum demum, ubi vel sine sensu est, vel male disposita: sine sensu autem ea quoque sunt verba, quae nihil novae sententiae his, quae iam expressa sunt, adiiciunt. G.) Inprimis id contingit, si parentheses, vel crebriores, vel paullo prolixiores interserantur. Observat hoc & FABIUS lib. VIII. insistit. orat. cap. 2. Etiam interiectione, (qua & oratores, & historici fre-

frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum), impediri solet intellectus, nisi, quod interponitur, breve est. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum describit, quum dixisset:

Nec vanos horret strepitus,  
compluribus insertis, alia figura quinto demum versu redit,  
Tum si qua sonum procul arma dedere  
Stare loco nescit.

Sic obscurior est PLAUTI narratio in prologo Captiv. ob prolixiores parentheses:

Seni huic fuerunt filii nati duo:  
Alterum quadrimum puerum servus surripuit,  
Eumque hinc profugiens vendidit in Aulide  
Patri huiusce. Iam hoc tenetis? optimum est.  
(Negat hercle ille ultimus: accedito:  
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules,  
Quando histrionem cogis mendicariet:  
Ego me tua causa (ne erres) non rupturus sum,  
Vos, qui potestis ope vestra censeriet,  
Accipite reliquum; alieno uti nihil moror.)  
Fugitivus ille, ut dixeram ante, huius patri,  
Demo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.

(Nihil hic obscuri. Modo id teneamus, quae parentheses inclusa sunt, ea esse expostulationem actoris cum spectatore aliquo remoto, qui ad quaestionem: Iam hoc tenetis? reuerat. Verba, qui potestis ope vestra censeriet, respiciunt ad senatores, equites, divites, qui loca sibi redimebant in spectaculis. At sunt alia illustria exempla stili, alias boni, sed per parentheses obscurati. Ex quibus sunt Ez. Spanhemii opus immortale de usu & praestantia numismatum antiquorum, propter iteratam retractationem & inculcatas multas observationes; Salmasii libri fere omnes, imprimis exercitationes Plinianae; Murreti orationes etc. G.) Quamvis vero breviora membra dilucidam reddant orationem: saepe tamen etiam V. ex membris iustae magnitudinis perspicuitas eidem accedit. Saepe enim fit, quod ait HORATIUS de arte poet. v. 25.

- - dum brevis esse laboro,  
Obscurus fio.

Sic obscurissima sunt illa PERSII Sat. I. v. 8. sq.  
Nam Romae est quis non? ah, si fas dicere, sed fas  
Tunc, quum ad canitiem, & nostrum illud vivere triste  
Adspexi, & nucibus facimus quaecumque relietis,  
Cum sapimus patruos: tunc, tunc. Ignoscite, nolo:  
Quid faciam? sed sum petulanti splene cacchimo.

Membra enim iusto breviora sunt, & meras paene hic reperimus

mus ἀποσιώπῃσι. Sensus est : nam Romae est quis non, scilicet rudis & imperitus? ( corrupti iudicii. G. ) Ab si fas dicere? sed fas omnino est dicere, etiam tunc, quum ad canitiam senum scilicet poetarum, & nostrum illud vivere triste, vel vitam tristem, adspexi, & quaecumque facimus nucibus puerilibus relictis, quum sapimus patruos, id est, veram severitatem prae nobis ferimus. Nam & tunc, tunc sumus rudis & imperiti. Ignoscite haec dicenti. Respondent, nolo. Quid faciam ergo? Num ideo omitam satyram scribere? sed sum petulanti splene cachinno. Id est, natura ad satyram factus. En, quantam caliginem membra nimis abrupta orationi offundunt?

\*\*\*\*) Si argumenta omnia sine iusto ordine miscentur, non potest sane non oratio esse obscura. Ergo VI. accuratior dispositio multum ad perspicuitatem facit. Sed cave tamen, ne, oratorum (quorundam, G.) sacrorum exemplo, membra quaevis in novas divisiones, & has iterum in subdivisiones, quas vocant, deducas. Non enim dividere hoc est, sed in pulverem secare, adeoque ad perspicuitatem praecipua coniungit QUINCTIL. lib. VIII. cap. 2. Nobis prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo & doctus probabilis, & planus imperitis erit. Haec est eloquendi observatio.

\*\*\*\*\*) Et tamen nonnulli studio obscurum eiusmodi dicendi genus adfectarunt, & in his maxime TERTULLIANUS, & e poetis PERSIUS. QUINCTIL. lib. VIII. Instit. orat. cap. 2. praeceptorem, qui discipulos suos omni studio ad obscure scribendum cohortatus est, memorat, qui non raro exclamavit: TANTO MELIUS, IPSE NON INTELLIGO. Add. MARTIAL. lib. X. epigr. 21. (Perspicuitatem discamus a CICERONE, praesertim ubi narrat, a CAESARE, ab OVIDIO; praelegamus s. recitemus scripta nostra. Redeamus ad ea post intervallum. G.)

### LI.

Stilus gravis,  
asper, vehe-  
mens, splen-  
didus, circum-  
ductus.

Secunda dicendi idea est τὸ ΜΕΓΕΘΟΣ †), MAGNITUDO, ad quam orationem GRAVEM \*) , ASPERAM \*\*) , VEHEMENTEM \*\*\*) , SPLENDIDAM \*\*\*\*) , ac CIRCUMDUCTAM \*\*\*\*\*) referre solent, (ut sit μέγεθος maius, quo plus harum rerum pro argumenti ratione inest. G.) de singulis dicendi formis nonnulla observabimus.

†) [Quod Bergerus in disputatione mox laudanda §. XI. ita

ita definit: Docet haec idea sermonem, qui perspicuitate sua, & facilitate deprimi videbatur & contemni, altius efferre, & maiorem non magis efficere, quam digniorem. Re ipsa τὸ μέγεθος simul complectitur stilum magnificentum & sublimem, de quo supra vidimus, sed hoc interest, quod μέγεθος latius protenditur & natas veluti ex se alias habet formas, quae ad magnificentum stilum revocari non possunt, v. g. σεμνότης, quae, ut statim apparet, ea requirit, quae ab aliis ad characterem referuntur tenuem, etc. Conf. Excurs. III. fin. N.]

\*) GRAVE dicendi genus (σεμνότητα vocant rhetores), illud est, quod de rebus divinis, moralibus aut civilibus harumque caussis accurate & prudenter disserit. (Auctor tantum argumentum, & ἔννοια s. sententiam, quam HERMOGENES vocat, ponit. Sed ille hic & per partes reliquas illa octo, §. 50 \* posita, considerat & applicat. G.) Incomparabilis in hac dicendi forma est CORNELIUS TACITUS, qui, quoties de eventu aliquo agit, causas & consilia tam acute prodit, ut non tam historicum, quam rerum civilium magistrum legere tibi videaris. Exemplo esse poterunt paucae periodi ex *Annal. lib. 2.* ubi dicturus, Augustum cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepisse, causas huius conversionis reipublicae ita accurate explicat: Postquam, Bruto & Cassio caesis, nulla iam publica arma; Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, nisi Caesar, dux reliquus: posito triumviri nomine, consullem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio iure contentus, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum, in se trahere, nullo adversante, quum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promior, opibus & honoribus extollerentur: ac novis ex rebus aucti, tuta & praesentia, quam vetera & periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium, & avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Quid, quaeso, paucis hisce periodis possit excogitari gravius? Tam accurate profecto omnes istius eventus causae ex istorum temporum statu, reique publicae conditione, explicantur, ut iustae dissertationi sufficerent materiam. [ Σεμνότητα in Taciti stilo agnoverunt iam & laudarunt veteres. Insignis est Plinii locus *Epist. II, 11, 17.* Respondit Corn. Tacitus eloquentissime, & quod eximium orationi eius inest, σεμνός. Quem Io. Guil. Bergero praeside, disputatione docte admodum scripta; illustravit Christ. Gottlieb. Clugius, Vitemb. 1725. Auctor quidem,

respondens, quem vocant, esse dicitur; sed nimis multa ipsius Bergeri vestigia deprehendere mihi videor, certe in illius sententiam scripta est, hinc sub Bergeri nomine aliquoties iam ad testimonium illam citare nullus dubitavi. Ita autem est inscripta: Τὸ σεμνὸν in oratione Corn. Taciti ad Plin. L. II. epist. XI. ex Hermogenis disciplina expensum. Si non aliud, veniam certe esse me impetraturum spero, fusius ibi disputata hic in paucissima conferentem, ita tamen, ut, quantum per brevitatis studium licet, ipsa auctoris verba adhibeam. Itaque σεμνῶς dicere, vi nominis est, orationem ita conformare, ut augusti quid & dignitas excellentior in ea conspiciatur. Σεμνότης, quam alii auctoritatem, dignitatem, decorum interpretantur, Cicero vocat gravitatem. Pertinent ad illam α) sententiae ἐννοιαί, (ita vocat Hermogenes, quaecunque in materiae seu argumenti tractatione adduntur), quae a rebus sublimioribus petitae, reverentiam habent & dignitatem; speciatim quatuor sententiarum genera: a) quod de Deo agit, ut Deum decet: b) quod de divinis operibus, deque rebus naturalibus loquitur ita, ut causa simul exponatur. Animus enim, si cognorit, haec non esse nostrae potestatis, sed ab altiore vi procedere, ad ipsam reverentiam statim adducetur: c) quod de rebus humanis quidem, sed tamen proxime ad Deum accedentibus, verba facit, sicut de animae immortalitate, de iustitia, de lege, de felicitate post hanc vitam exspectanda. Ea tamen hic opus est cautione, ne ad specialem tractationem descendat oratio, quum facile in adulationis crimen sic incurrat, sed generali ambitu contineatur: d) quod de rebus exponit humanis tantum, sed magnis illis ac praeclaris, ut de praeclis illustribus, aliisque, quae minime saepe usu venire solent. Quo enim haec illustriora sunt & rariora, tanto maiorem in animis relinquunt reverentiae sensum. β) Ad μέθοδον quod attinet, i. e. viam, qua insistendum est oratori in eloquendis iis, quae graviter cogitavit, a) asseveranter & sine dubitatione sententiam debet pronunciare. Viri enim gravis est, indicare, se rem certo scire, eamque accurate tenere. Aliud est, ubi modestiae causa dubitandi formulae usurpantur; sed hoc non pertinet ad τὸ σεμνόν. b) Observanda est μέθοδος allegorica, ne simplici omnibusque perspicua ratione cogitationes nostras efferamus, sed utamur luminibus, ut sententiae ornatiores, & ob reverentiam velut symbolis involutae, conspiciantur. Non tamen quaevis symbola hic locum habent, sed illa, quae gravioris sunt momenti, & natura sua altius collocata. c) In rebus sacris & velut mysteriis convenit subindicare, quasi nos ipsi rem intelligamus quidem, sed explicare non possimus evidenter, ob rei gravitatem, quae sublimior sit, quam queat enun-

enunciari. conf. Quint. VII, 3. γ) In λέξει & conformatione vocum, a) gravitas verborum inesse debet in ipsis litteris, syllabis, compositione, sono. Gravitatem habere dicit Hermogenes, quae pronunciata vel buccam implent, vel os dilatant, qualia sunt, quibus a & o frequentantur. Gravius etiam sonant diphthongi, exclusa tamen ex i generata, haec enim littera exilis nimis est, nec gravitatem habet, sed suavitatem. b) Translationes requiruntur modeste factae & verecunde. Nam vir gravis modesto utitur ornatu. c) Nomina saepius adhibenda sunt, & quae a verbis deducuntur, quod & longiora sunt plerumque syllabis, & res continent, quas persequitur vir gravis. δ) Figuras σεμνότης communes habet cum perspicuitate a) ὀρθότητα, quae recto fit casu & modo indicandi. Vir enim gravis recta incedit via, non ambages quaerit & latebras, sed animi sensa breviter exponit. b) ἐπιφύσιον, i. e. adiectum oratoris iudicium, quum procul omni haesitatione vel approbamus aliquid, vel improbamus. Si titubet sententia, mores indicat ad humanitatem compositos, non gravitatem. Contra impediunt grave dicendi genus ἀποστροφή & ὑποστροφή, figuras interruptas vocat Cicero; quae multas habent conversiones, interiectiones & interruptiones, quae inhibent liberum orationis cursum, eamque ad forenses & popularem sensum demittunt. Non in contentione se abripi, patitur vir gravis, nec statione deiicitur, sed immotus perstat & sibi constans. ε) Membra quo breviora sunt, eo ad gravitatem aptiora, licet, si res oratori subiecta, productiorem postulet sermonem, longiora quoque & instar funis extensa adhiberi posse, Hermogenes non diffiteatur. Nempe vir gravis, arduis intentus negotiis, studet brevitati. ζ) Συνθήκην, compositionem eam amat, in qua frequentes sint concursu vocalium hiatus, quod indicant non ingrati oratoris negligentiam; de re hominis magis, quam de verborum compositione, laborantis. Hiat ergo oratio gravis, & intersistit, ut laborare ipsa gravitate videatur. Deinde amat dactylos, anapaestos, paeonas, iambos, saepissime spondaeos. η) De ἀναπαύσει, seu clausulis ita praecidendam esse orationem gravem. Qui qualis sit, magna lis est inter rhetoras. Alii paeonas, alii choreas, alii spondaeos, alios alii elegerunt pedes, quibus periodos finirent. Nihil certi hic definiri posse, putat Bergerus. θ) De numero iudicat, in hac idea orationem, omnibus numeris expletam, non desiderari, quum nec aurium quaeratur oblectatio, nec venustas, multo studio quaesita, hic conspiciatur; ita tamen esse debere numerosam, ut, ratione membrorum habita, brevitatem ostendat quidem, sed illam tarditate pedum, in compositione &

clausura, satis compenset. Denique observandum est ex §. XV. non ex una forma sermonem construi, neque *σεμνήν* vocari orationem, quae in omnibus, sed quae maximam partem, ad gravitatis ideam sit composita, ita, facie graviore, velut nota quadam, insigniatur: Haec Bergerus disputavit pleraque ex Hermogene, quem hinc, tamquam ex ungue leonem, licet cognoscere. Nam quae de illius ideis Heineccius in medium attulit, non sufficiunt ista ad Hermogenem vel pernosendum, vel gustandum. N.] (De reliquo pleraque Ciceronis *pro L. Manilia*, *Verrin. Catil. pro Sextio*, in quantum pro republica disputat, *σεμνότητος* sunt exempla. Nam non una tota oratio tota est *σεμνή*, sed in quibusdam partibus, haec virtus inprimis observatur. G.)

\*\* ) ASPERUM dicendi genus Graecis vocatur *τραχύτης*, idque adhibetur in reprehendis magnorum virorum (populi item & regnantibus licet per se minora videantur, G.) vitii. Sic *cic. Verrin. 7, 71.* satis asper est in reprehenda nobilitate: *Hominum nobilium non fere quisquam favet nostrae industriae: nullis nostris beneficiis benevolentiam illorum alligere possumus: quasi natura & genere disiuncti sint, ita dissident a nobis animo & voluntate. Quare quid habent eorum inimicitiae periculi, quorum animos iam antea habueris offensos, quam ulla inimicitias susceperis.* (Asperitatis magister optimus SALLUSTIUS in orationibus, quas Mario tribuit contra nobilitatem habitas. *Asperitas* enim parva quidem vitia, ut videntur, exaggerat, mollitiem vestium, indulgentiam in liberos, potentiam nimiam, etiam bonorum virorum, luxum etc. Sed *vehementia*, *σφοδρότης*, de qua statim, sceleribus exagitandis nata. G.)

\*\*\* ) Si quis paullo acerbius in minoris dignationis personas invehitur, genus hoc dicendi vocatur *Σφοδρότης*, VEHEMENTIA. Verba in hac orationis forma sunt asperiora, nonnumquam etiam novata, figurae vehementiores, membra fere breviora. Talis idea in CICERONIS orationibus (pro domo, in Clodium, pro Milone, G.) adversus Catilinam, Pisonem, Vatinius & in Philippicis ubique elucet. (Distat ergo *ἀπὸ τῆς σεμνότητος*, quae est in iusto usu idearum orationis. G.)

\*\*\*\* ) Graecis vocatur *Δαμπρότης*, quando quis res a se ipso vel aliis gestas gloriosa & magnifica oratione collaudat. (Etiam quum de rebus divinis ac naturalibus, de virtute item, cum quadam magnificentia loquimur, & velut splendidam picturam proponimus. G.) Qua in re tamen cavendum, ne Suffenus videaris. Nihil enim molestius est ostentatione & iactantia. Maxime in defensionibus virorum magnorum locum habet haec idea. Sic P. Scipio Africanus ab obrectatoribus vocatus in iudi-

dicium brevi, at splendida, oratione causam dixit: *Hoc die, Quirites, Hannibalem Poenum in Africa felici praelio vici, Carthaginem magna spirantem leges nostras accipere coëgi. Itaque quum hodie litibus & iurgis supersedere aequum sit, ego extemplo hinc supplicatum ibo in Capitolium, diisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die & saepe alias reipublicae bene gerendae mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque, quibus commodum est, ite mecum, Quirites, & orate deos, ut mei similes cives habeatis.* LIV. XXXVIII. extr. Aequae splendida oratione sua facta nonnumquam extollit CICERO, maxime in oratione *pro P. Sulla cap. 9.* & II. ubi tam magnifice sollicitiam suam in opprimenda coniuratione Catilinaria collaudat, nihil ut possit hoc quidem loco reperiri splendidius. (Talia multa in orationibus *pro Sextio*, *pro domo sua*, *de haruspicum responsis.* G.) [Conf. Quint. XI, 1. 22. sqq. N.]

\*\*\*\*\* ) Genus hoc dicendi EXAGGERATUM & CIRCUMDUCTUM, seu, ut HERMOGENES vocat, *περιβεβλημένον καὶ περιπενομένον*, in eo consistit, quod propositiones e variis fontibus amplificentur. Fontes eiusmodi, vel, ut rhetoribus vocantur, loci amplificationum sunt I. Genus, quod ad illustrandam speciem adsumi solet. E. g. MURET. orat. I. *Quum omnes mihi singulari ac praecipua quadam laude digni videntur, qui in adsequenda honestarum artium scientia operam & industriam suam collocant: tum ii praecipue, qui veluti maiore quodam numinis adflatu percussi, ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas atque omnia studia contulerunt.* (Igitur huc pertinet thesios adsumtio ad illustrandam hypotesin, sive, ut vulgo dicunt, transitus ab illa ad hanc, si nempe illa ad hanc illustrandam praemittitur. v. c. *Quamvis bellum omne sit periculosum, civile tamen inprimis multo est perniciosissimum.* Vel: *ut, quicquid possum, tua causa facio, ita hac in re omnium minime tibi deero.* De hoc iam vidimus in periodis compositis. Vid. *Excurs. I. G.*) II. Species, quibus genus illustratur. e. g. *cic. VIII. epist. ad divers. 20.* *Nam omnem nostram de republica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abiecitimus, & in Epicuri nos, adversarii nostri, castra coniecimus.* Dicere voluit, se publicis negotiis valedixisse. Haec in species distribuit, seque nec magistratus amplius petere, nec senatui interesse, nec in foro causas agere, ait. (Huic rei apta est figura *μερισμός*. Exemplum vid. *Iesa. I, 5. G.*) III. Definitio, qua amplificatur definitum. Sic C. Aquilius a iuris prudentia laudaturus, CICERO *pro A. Caecina cap. 28.* hanc ei iurisconsulti definitionem accommodat: *quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium valere,*

cuius prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit: qui iuris civilis rationem numquam ab aequitate seiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam expositamque praebuerit: qui ita iustus & bonus vir est, cet. (Non ergo hic sermo est de definitione vel Aristotelica, vel ea, qua attributum aliquod ponitur, unde reliqua derivari possunt; sed definitio est, quidquid rei naturam per attributa, partes, effectus etc. declarat. Vid. infra I, 3, 4. Ita pro L. Manil. virtutes illas imperatorias definit idem Cicero. Sic sapientem, doctum, civilem, bonum virum finire licet. G.) [Tales definitiones fere sunt characteres Theophrasti. N.] Eodem pertinent III. Effatus, (ut, quum eloquentem laudo: hoc dicente metuebant omnes, ne desineret. Aut si dicam: iratum se fuisse negat, pallidum quidem, mox rubicundum, trepidantem etc. vidi. G.) V. Aiuucta, (sicut de bibace: plus apud illum vitrorum, quam librorum, invenias. G.) VI. Causae, (v. c. Quia miraris, placuisse tibi orationem? ingeniosissimus vir est, & in dicendo versatus, & nunc dicere meditatus est. G.) VII. Opposita, (e. g. Pulchram tibi illam visam facile credo: cum assideret iuxta, quam quartam furiarum dicas, ex hara protractam potius, quam exornatam in thalamo. G.) VIII. Comparatio, v. g. (Quantum huic decoris vestes decentissimae & ad pudorem factae attulerunt, tantum illam colli ista flavescentis & luridi pectoris nuditas deformavit. G.) IX. Testimonium, e. c. (Quantam vim habeat vestitus, Germani nostri proverbio suo indicant, quum vestibus effici homines dicunt. G.) de quibus aliisque amplificandi fontibus accurate egit VAL. THILO Rudim. Rhet. Part. II. cap. 3. (Apparet, has fere partes esse chriae Aphthonianae, exercendas quidem omnes, sed non temere in eundem locum congerendas: verum habendas in promitu, ut iam hac, iam alia parte, iam pluribus utare. G.) Quod si itaque frequentius qui utatur eiusmodi amplificationibus, nascitur inde genus dicens di CIRCUMDUCTUM vel EXAGGERATUM: cui adsuetus, nisi sibi caveat, facile in Asiaticam illam loquacitatem incidet.

## LII.

Stilus elegans,  
sophisticus, floridus.

Tertia dicendi forma est τὸ ΚΑΛΩΣ vel PULCHRITUDO, quam in ἀραιῶν vel καλλωπισμῶν\*), ἀξίωμα vel dignitatem\*\*), & τὸ γλαφυρὸν seu floridum dicendi genus\*\*\*) dispescere solent. Primum pulchritudinis genus in vitio ponitur\*\*\*\*): secundum (ut in omni oratione, ita etiam G.) in genere deliberativo, tertium

tium (inprimis G.) in demonstrativo, laudem meretur.

Vid. I. G. BERGERI de naturali pulchritudine orationis ad excelsam Longini disciplinam illustri continentique C. Iulii Caesaris exemplo exacta liber commentarius, Lipsiae MDCCCXX. 4.

\*) Καλλωπισμὸς vocatur nimia illa ac *sophistica* orationis elegantia, quae tota ad pompam ac ostentationem comparata est, qualis fuit oratio veterum sophistarum, Gorgiae Leontini, (Libanii plerisque in locis, G.) aliorumque, qui veluti calamistris intorquebant orationem, ut erudite docuit GE. NIC. KRIEGL in dissert. de eloquent. *sophist.* Inter Latinos infelicitur eiusmodi καλλωπισμὸν adfectavit APULEIUS; (infelicitus etiam Symmachus, Sidonius, Cassiodorus, Ennodius; G.) inter recentiores IO. BARCLAIUS in *Argenide* aequae ac *Euphormione*: cuius stilus adeo vix commendandus est tironibus. Nascitur hic καλλωπισμὸς I. Ex epithetis amoenioribus: v. g. ego vero tibi locum ostendam, ubi nec smaragdinum pratorum virorem, nec gemmeam florum varietatem, nec lenes aquarum susurros, nec suavissimos avicularum concentus desiderabis. (Epitheta inprimis huc pertinent, quae nihil causae continent aut rationis, unde aliquid efficitur, sed solam picturae amoenitatem, & in pictura non tam naturam, quam pulchritudinem praeternaturalem expriment. G.) II. Ex translationibus amoenis & venustis, non necessariis, nisi ad solam varietatem picturae, veluti a floribus & fructibus desumtis. III. Ex descriptionibus amoenis, quales ubique adfectat BARCLAIUS. (Descriptio & epitheta poetica & historia in eo differunt, quod illa delectare, & sensum implere cupit, haec rationes continet, cur res hoc vel alio modo gesta sit. In illo genere sunt descriptiones Curtii & Apuleii, in hoc Sallustianae, Caesaris, Livii. G.) IV. Ex figuris sonantioribus, veluti ὁμοιοπτώτῳ, ὁμοιοτελέτῳ, aliisque similibus. Laudem talia forsitan invenerint in pueris: non aequae in viris, quos virilis & gravis decet eloquentia.

\*\*) Ἀξίωμα vel dignitas ea est pulchritudinis species, quae in partium omnium decentia posita est. Hinc si omnes partes orationis, veluti exordium, confirmatio, confutatio, decore inventae atque elaboratae sint, si periodis sua constet concinnitas, dictioni sua puritas, ipsi orationi suus nitor: pulchram merito dixeris eiusmodi orationem. Et tales sunt CICERONIS orationes pro lege Manilia, pro Q. Ligario, pro Milone, (pro domo, ad Quirites post reditum, Verrinae, G.) pulchrae illae quidem, sed a *sophistico* tamen illo ac calamistrato dicendi genere remotissimae.

\*\*\*)) Τὸ



\*\*\*) τὸ γλαφυρὸν vel *floridum* orationis genus (nomen habet a γλάφω, quod idem fere est ac γλύφω, notat ergo pulchritudinem arte paratam, sculpturae similem, petita metaphora, ut videtur, ab ornamentis architectorum, columnis, ut hoc utar, & G.) medium inter sophisticam dicendi formam & dignitatem tenet locum, orationemque variis veluti floribus ac luminibus distinguit, sed ut paullo magis ostentare videatur elegantiam, quam τὸ ἀξίωμα. Et hinc aliqui iam olim floridum illud dicendi genus commendabant incipientibus, ut ad *alenda primarum aetatum ingenia magis accommodatum*, QUINCTIL. lib. II. *Instit. orat. cap. 5.* ubi TURNEBUS: *Floridum adpellat genus, sententiis argutum, verbis elegans, & metaphoris crebrum. In hac autem videtur esse sententia Cicero, qui quidem epidioticum genus, quod floridum est & sophisticum, eloquentiam nutrire scribit. Tales sunt CICERONIS oratio pro Archia poeta & pro M. Marcello, PLINII panegyricus, & e Graecis LUCIANI (quidam G.) dialogi. Saepe quoque ad floridam hanc dicendi formam propius accedunt PETRONIUS, LACTANTIUS, & e recentioribus ERASMUS, MURETUS, MAIORAGIUS. Facillime differentiam hanc intelliges, si dixeris, dignitatem similem esse pulchritudini virorum: floridum stilum venustati matronarum, τὸν καλλωπισμὸν denique fuco meretricio. (Sed non facile est, cuius hanc similitudinem in tribus pulchri in dicendo generibus applicare, & dignitatem, ut hoc utar, a fuco distinguere. Usus accedat oportet & sensus ille lectione optimorum scriptorum formatus & confirmatus. G.)*

\*\*\*\*) Iam pridem PETRONIUS *cap. 1. & 2.* risit sophisticum illud ac calamistratum dicendi genus, id est, *mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa. Qui inter haec, inquit, nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant.*

## LIII.

Quarta idea τὸ ΗΘΟΣ sive MORATA ORATIO vocatur. Eam tunc potissimum conspicimus, quum ita loquimur ac scribimus, ut ubique probitatis, veracitatis, benevolentiae, prudentiae, modestiae, omnisque virtutis significationes demus \*).

\*) Moratam ergo orationem reddunt I. *Extenuationes.* CIC. *pro Archia cap. 1.* *Si quid in me est ingenii, quod sentio, quam sit exiguum, cet. II. Officiorum oblationes, quae in CICERONIS epistolis sunt frequentissimae. III. Insectationes vitiorum. IV. Vir-*

*Stilus moratus.*

*tutum commendationes; & quae sunt huius generis alia. (Mores sunt vel primae personae s. loquentis, qui ita instituere se debet, ut auditores habeant ipsum pro viro bono, sibi benevolo, prudenti & rerum perito: huic enim tali facilius credunt homines: vel secundae, s. auditorum, ad quos accommodare orationem, viri sapientis est: vel tertiae personae, sive eorum, de quibus agimus, ubi interdum etiam argumenti docentis sive demonstrantis vim obtinent. Mores primae personae inprimis etiam negative, quod aiunt, intelligendi sunt: hoc est nihil dicendum, unde contraria his, quae diximus, conicere possint auditores. G.)*

## LIV.

Quinta idea est ἡ ΓΟΡΓΩΤΗΣ, id est, *velox & CONCITATUM* dicendi genus, quod omnia brevibus membris vel incisis, maxime vero interrogationibus, responsionibus, obiectionibus, solutionibus proponit \*). Et cavendum quidem est genus orationis ignavum; iners, remissum, & quasi supinum \*\*), sed cavendum etiam, ne in PARENTHYRSUM abeat nimia, & ex immodico adfectu profecta celeritas \*\*\*).

*Stilus concitatus & parenthesisus.*

\*) Utimur concitato eiusmodi stilo

I. In *narratione rerum*, quae celeriter se invicem sunt consequutae. TERENT. *Andr. I, 1. v. 56. seq.*

- - - *observabam mane illorum servulos*

*Venientes aut abeuntes; rogitabam: heus puer,*

*Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriae*

*illi id erat nomen. Teneo. Phaedrum aut Cliniam*

*Dicebant, aut Niceratum: nam hi tres tum simul*

*Amabant. Eho, quid Pamphilius? Quid? symbolam*

*Dedit, coenavit. Gaudebam. Item alio die*

*Quaerebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum*

*Quidquam adtinere.*

II. In *deliberatione nobiscum ipsis instituta.* TERENT. *Eunuch. I, 1. v. 1. sqq.*

*Quid igitur faciam? non cam? ne nunc quidem,*

*Quum arcessor ultro? an potius ita me comparem,*

*Non perpeti meretricum contumelias?*

*Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret.*

III. In *altercationibus oratoriis*, maxime ubi cum adversario coram nos colloqui fingimus. CIC. *pro Sext. Rosc. cap. 19.* *Illum quidem voluisse exberedare, certe tu planum facere debes. Quid er-*

go adfers, quare id factum putem? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunae & horum virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium voluit? Quam ob causam? Nescio. Exheredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? Nemini. Quid est aliud, iudicio & legibus ac maiestate vestra abuti ad quaestum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare? (Adde in *Pison.* c. 20. i. G.)

\*\* ) Graeci ignavum vel lentum eiusmodi dicendi genus vocant ὑπτιον vel ἀνεπιμένον, idque in vitio ponitur.

ΠΑΡΕΝΘΥΡΕΟΣ nomen accepit a thyrso, bacchantium gestamine. Quum enim hi furere solerent: παρένθυρον vocarunt furiosum illud dicendi genus, quod in inepta adfectuum concitatione versatur, quum scilicet tragoediae aguntur de nugis, ac in rebus parvis illae dicendi faces adhibentur, quibus auditor incendi solet atque inflammari. Quod vitium graviter reprehendunt DIONYS. LONGINUS περὶ ὕψους, sect. IV, 15. seq. & CICERO de Orat. II, 51. Lepidum exemplum est apud MARTIALEM epigr. lib. VI. cap. 19. ubi advocati, nescio cuius, παρένθυρον ita perstringit:

Non de vi, neque caede, nec veneno,

Sed lis est mihi de tribus capellis,

Vicini queror has abesse furto,

Hoc iudex sibi postulat probiari.

Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,

Et periuria Punici furoris,

Et Syllas, Mariosque, Mutiosque

Magna voce sonas manuque tota.

Iam dic, Postume, de tribus capellis.

Nihil sane hoc dicendi genere est ineptius. Accidit enim eiusmodi oratoribus, ut pro consternatione & stupore cachinnos auditorum commoveant, quippe qui furere apud sanos & quasi inter sobrios bacchari vinolentos arbitrantur, ut eodem loco observat LONGINUS. Nescio, an non huius vitii reus postulandus sit TERTULLIANUS, in *libello de pallio*, ubi in defendendo hoc habitu tantas tragoedias agit, ut libellum illum legens, non pallii honorem, sed humani generis salutem periclitari crederes. Non sane ita paratragediari ausus esset auctor, si memor fuisset *Horatiani* illius, de arte poet. v. 89.

Versibus exponi tragicis res comica non vult.

(Lusit, ut iamiam ad §. 47. no. 1. observatum est, & satyram scripsit, TERTULLIANUS. Nempe iucunditatem ex eo captant & leporem poetae & satyrici, si de rebus minutis magna oratione utantur. Hinc venustas *quarti Georgicon*, quo apum

apum velut respublica quaedam describitur. Hinc placent Anglorum *Hudibras*, *Pulpitum*, BOILAEI, *Situla rapta*, TASSONI, POPII *raptus cincinni*, dispensatorium GARTHII, *Batrachomyomachia* tum Graeca illa, tum Germanorum, *Vulpecula Reincke*; & illius generis alia. G.)

## LV.

Sextam denique orationis ideam HERMOGENES (II, 9.) ΔΕΙΝΟΤΗΤΑ vel DICENDI VIM adpellat. Ea nihil aliud est, quam aptus ac decorus reliquarum idearum usus. Quodsi enim quis suo loco perspicua, gravi, moderata, pulchra, concitata oratione uti noverit, & in omni re viderit, quid deceat, ei ΔΕΙΝΟΤΗΤΑ tribuit HERMOGENES \*). Ceterum quum non eadem omnes deceat oratio: alius stilus esse dicitur τεχνικός vel ἐπιστημονικός, vulgo *philosophicus*, alius ιστορικός, *historicus*, alius διαλογικός, vulgo *dialogisticus*, alius ῥητορικός, *oratorius*, alius πολιτικός, *civilis*, alius ἐπιστολικός, *epistoliticus*, alius denique ποιητικός, *poëticus*. De singulis pauca.

\*) Hinc ΔΕΙΝΟΤΗΣ deest auctoribus omnibus, qui Latine quidem nec ineleganter scripserunt; sed digno materia sua characteri non usi sunt. Non ergo ΔΕΙΝΟΣ est TERTULLIANUS, qui, quum docere velit, perspicuitatem negligit, nec FLORUS, qui, historiam scripturus, poëtico stilo utitur, nec e recentioribus LIPSIVS, qui etiam, ubi docet, vel rhetoricatur, vel comicum agit. (Dialogos enim scribit, eosque, quantum capit materia, exhilarat, quae ipsa ΔΕΙΝΟΤΗΤΟΣ pars est. Nempe ΔΕΙΝΟΣ Graecis proprie est metuendus, horribilis, significat autem gradum altiore & vehementiam in bonis pariter ac malis: epitheton cruciatus, ventriculi, etc. orationis ergo etiam, quum illa omnibus suis quasi muneribus praeclare fungitur, G.) Sane aequae inepti hi videntur, ac comici, qui reges tunica rustica; rusticos purpura; matronas meretricio; meretrices matronali habitu indutas producant in scenam. Elegans est praecceptum QUINTIL. *Instit. orat. lib. XI. cap. 1. Quid prodest, esse verba & Latina, & significantia, & nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quae iudicem duci formarique volumus, consentiant? Si genus sublimè dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus? Ut monilibus & margaritis ac veste longa, quae sunt*

Dicendi vis.

Quarta stili  
divisio.

sunt ornamenta feminarum, deformentur viri, nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, feminas deceat.

## LVI.

Stilus philosophicus.

PHILOSOPHICUS stilus adhibendus in omnibus scriptis didacticis \*) . Satis laudis meretur; si sit proprius \*\*) , purus \*\*\*) , perspicuus \*\*\*\*) . Elegantiam non adfectat, nec tamen sponte se offerentem negligit \*\*\*\*\*) . Praecipue tamen vitat figuras patheticas, & quidquid ad persuadendum potius, quam ad demonstrandum facere videtur \*\*\*\*\*) .

\*) In ἐπισημονικῶ hoc dicendi genere reliquis omnibus praeferendi e Graecis XENOPHON in *oeconomicis*, aliisque scriptis didacticis, inter Latinos CELSUS, qui *de arte medica*, & COLUMELLA, qui *de re rustica* pura ac tersa oratione, scripserunt. Nec plane contemnenda (quin praeferenda longe omnibus, G.) dictio CICERONIS, quam in libris *de officiis* & in *topicis ad Trebatium* adhibuit, quamvis in illis aliquando ad oratorium dicendi genus adsurgat. In reliquis scriptis philosophicis stilus TULLII propius ad genus dicendi vel διαλογικὸν vel ῥητορικὸν accedit. (Sed etiam in his sunt disputationes longiores, in quibus observatur stilus philosophicus. Maxime autem commendandus hic erat QUINCTILIANUS. G.) SENECA acutus est, sed non tam docet, quam rhetoricatur. LACTANTIUS purus in plerisque & elegans, sed nec is ab oratorio stilo abstinet. Et hoc plerorumque patrum ecclesiasticorum vitium est, ut etiam, quum docere volunt, concionentur, magisque persuadeant, quam iustis demonstrationibus convincant. (De plerisque, quae hic statuit auctor noster, paullo aliter censendum putarim. Xenophontis libellus ille dialogicus est, & multas habet digressiones oratorias. E Graecis potius hic laudari debebant Aristoteles & Theophrastus. Ille auctor est methodi, & scribendi ornate, omnibus suis scriptis exempla praebebat. Hic felicissimus imitator, in libris *de plantis* & *caussis plantarum*. Celsus est Cicero medicorum. Columella politissimus, interdum tamen etiam rhetoricatur, sed eleganter; interim minus adhibitus est a posterioribus, qui Palladium praeferebant. Magis etiam Plinius maior est oratorius. Sed Cicero hic quoque regnat, quantum ad stilum orationis & totum quasi tenorem, ut, qui Ciceronem imitetur, v. g. in libris *de finibus*, *de natura deorum*, in *Tusculanis quaestionibus*, *de fato*, ille non possit non eleganter scribere. *De officiis* multa sane praeclare: sed totum systema

ma non optime cohaeret, quod Stoicos potissimum ille quidem sequitur, sed subinde tamen ad Academiam respicit & Lyceum: hinc vocabula ipsa non satis determinata: quin ipsa lingua ab eo primum ad philosophandum translata, & quidem ab viro occupatissimo in aliis rebus, & huic negotio tantum subcesiva quaedam tempora tribuente. De Seneca bene. Multa splendidius dicta, quam verius: certe non demonstrata. Excipiendi tamen *naturalium quaestionum* libri, ubi voluit certe ratiocinari atque docere, & quaedam pulchre docet, certe dictionis exemplum praebet. G.)

\*\*) Abstinendum ergo in hoc stilo a translationibus, maxime longe petitis. Quum enim docentium sit, claras ac distinctas rerum ideas in audientibus excitare: facile patet, huic fini non convenire metaphoras, (nisi quas ipsa claritas, vel necessitas adeo postulat. G.) Hinc iam supra observavi, laudem meruisse scripta EPICURI, qui nusquam usus sit translato dicendi genere. Equidem de rebus ad mentes & spiritus pertinentibus saepe nobis desunt verba propria: sed & hic danda opera, ne metaphoris audacioribus, & rem non satis exprimentibus utamur. Sic si quis *adfectus* vocat *commotiones animi*, iisque opponit *mentis quietem* & *tranquillitatem*, metaphorice quidem loquitur; sed ferendus est. Ast si quis *adfectus* cum Stoicis *animi tumultus*, aut *perturbationes*; aut animi quietem *inducias cum mente factas* adpellaret; merito reprehenderetur. Ideae enim inde nascuntur vel falsae, vel certe obscurae ac confusae.

\*\*\* ) Cave ergo, existimes, docentium esse, stilo sicco & barbaro uti. Non magis hic character docentes decet, quam philosophum pallium & pera Diogenis. Non unguenta redolent viri sapientes, sed nec sordes amant. Non ferendi ergo in tanta litterarum luce, qui, si theologiam vel philosophiam tradunt, THOMAE AQUINATIS vel LOMBARDI: si iurisprudentiam, BARTOLI & BALDI stilo utuntur, & ubique *haecceitates*, *quidditates*, suumque illud: *nego*, *distinguo*, *limito*, *amplio*, inculcant, nec quidquam doceri posse putant, nisi ubique syllogismos, tamquam tela, vibrent. Paedantismum hoc sapit, (venia sit verbo), & ingenium barbariei adsectum, non secus ac scarabeus est sordibus suis. Docuerunt sane e nostratibus GE. CALIXTUS, NEUMANNUS, WERNSDORFIUS, BUDDEUS, MOSHEMIUS, G.) e reformatis IO. CALVINUS, (RIVINUS, BEZA, TURRETTINUS, WEHRENFELSIUS, G.) posse etiam de rebus theologis puro ac terso orationis genere disseri. Feliciter idem in iurisprudentia tentarunt CUIACII, BRISSONII, HOTOMANNI, (H. DONELLUS, FR. DUARENUS, BYNKERS-

HOECK, NOOD, VAN ECK, noster HEINECCIUS, MASCOVIUS, ut taceamus de vivis, G.) qui ULPIANUM & PAPINIANUM, quam IASONEM, vel ACCURSIUM, maluerunt imitari. Medicos CELSUS: philosophos PHIL. MELANCHTHON purius scribere docuit. (Ex medicis ob stili elegantiam laudandi etiam sunt FRACASTORIUS, SCHULZIUS, BOERHAAVE, BERGERUS; ex philosophis vero P. RAMUS, H. GROTIUS, S. PUFENDORFIUS, MOSHEMIUS in Cudwortho, iterum BUDDEUS & HEINECCIUS. G.) Quis ergo hodie in tanta litterarum luce umbratiles illos doctores imitaretur, &, fruge reperta, glandibus vesci mallet?

\*\*\*\*) Quid iuvat docere, si intelligi nolis? Perspicua e veteribus sunt scripta XENOPHONTIS, (CICERONIS, QUINCTILIANI, G.) & COLUMELLAE, e recentioribus CARTESII, quo non temere quisquam cogitationes suas dilucidius cum aliis communicavit. (Nec minus CLERICI, MOSHEMI, BERGERI Medici, BOERHAAVII. G.) Hi omnes cum voluptate leguntur. At quis sine taedio legerit LULLII somnia, aut HELMONTII & HENR. MORI meditationes? Non omnibus promiscue haec scripta, aiunt, sed initiatis, adduntque illud HORATII *Carm. III, 1.*

*Odi profanum vulgus & arceo.*

Sed, ut vera fatear, suspecta mihi semper est obscuritas, & plerumque parum sapientiae latitat in tam spissis nubibus. Nulla est veritas tam sublimis, quae non verbis possit enunciari dilucidis, alias enim ne ab ipso quidem docente concipi, adeoque nec doceri posset. Notum est, quantum antiquis obscuritatis causa vularit HERACLITUS, ea, quae volebat dicere, ἔτε λέγων, ἔτε κρυπτόν, ἀλλὰ σημαίνων, nec clare eloquens, nec occultans, sed innuens, quod ipse de oraculis pronuntiavit apud IAMBlichum *de myster. Aegypt. p. 79.* (Pulchre LUCRET. *I, 640. de Heraclito:*

*Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,  
Quamve graves inter Graios, qui vera requirunt.  
Omnia enim stulti magis admirantur amantque,  
Inversis quae sub verbis latitantia cernunt,  
Veraque constituunt, quae belle tangere possunt  
Auris, & lepido quae sunt fucata sonore.*

\*\*\*\*\*) Non solum verba elegantiora atque acumina non negligunt philosophi, si se sponte offerant, ut docent SOCRA-  
TIS *disputationes* apud XENOPHONTEM, & ARRIANI *dissertationes Epicteticæ*: sed ne iocos quidem ac facetias liberales adspernantur. Noti sunt *Socratici sales*, de quibus videndus CIC. *de offic. I, 30. de orat. II, 67.* Hi ita placuerunt antiquitati, ut si quid festivum atque urbanum vocare vellent, *Socraticum*  
ad-

appellarent. *Omne scilicet tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Unde merito ipse scurram egit, quisquis tanto fuit supercilio, ut Socratem ideo *scurram Atticum* vocaret, CIC. *de nat. deor. I, 36.* Adhibendus tamen & hic modus, videndumque, quid deceat. Quod quum non faceret DIOGENES CYNICUS, Σωκράτους μειωμένος, *Socratis furentis*, nomen accepit. [Sed non tam propter iocos illiberales, quam propter rationem vivendi reliquam. N.] Inprimis abstinendum est ab eiusmodi salibus in rebus gravibus, quales sunt sacrae & theologicae. Tentarunt etiam hac in re aliud BALTH. SCHUPPIUS & IO. VAL. ANDREAE, sed & hi multorum reprehensionem incurrerunt. Quamvis forsan eos excuset ingenium ad urbanitatem natura factum, & tempora, quibus vivebant, infelicissima, de quibus iure repetas illa IUVENALIS *Sat. I, 30.*

*Difficile est, satyram non scribere.*

\*\*\*\*\*) Aliud est *concionatorium* dicendi genus, aliud τεχνικόν vel *philosophicum*. Illud (interdum aequè ut philosophicum, G.) contentum est argumentis verosimilibus, quae tamen tantis verborum phaleris vestiuntur, ut demonstrationes videantur. Hoc nudam proponit veritatem, eamque demonstrationibus accurate suffulcit. Illud oratorias, hoc philosophicas amat connexiones, id est, veritates omnes ex genuinis ac veluti domesticis principiis ducit. Illud delectat & movet; hoc docet & convincit. (Docere & convincere vel maxime oratoris est. G.) Nec tamen figuras omnes respuit methodo paraenetica, quam vocant, quippe cuius finis itidem est *movere & persuadere*. Attamen & tunc magis illae sponte sua inter dicendum sese obtulisse, quam operose excogitatae videri debent. Sunt sane in ARRIANI *dissertationibus Epicteticis* quaedam pulcherrime dicta, sunt figurae elegantissimae, sed tanta cum simplicitate coniunctae, ut orationem naturali quadam pulchritudine adsurgere, statim adpareat. Illud fallit; hoc bona fide agit. Exemplo sit SENECA, qui, declamatorio dicendi genere usus, miram prae se fert sapientiae speciem: & tamen, si remotis involucris propius eum inspicias, non demonstrationes invenies, sed acumina quaedam parum solida, non res & veritates, sed verba sonora, id est, fulgur e pelvi. Id quod iam dudum observarunt MALEBRANCHE *de inquis. verit. II, 4.* MENAGIUS in *Menag. Tom. II.* ut & SANEVREMONTIUS in *Sanevremontianis.*

## LVII.

A philosophico seiungendus est stilus HISTORICUS \*), qui non modo puritatem \*\*), sed & con-

*Stilus historicus.*

cinnitatem \*\*\*) amat. Decet praeterea illum perspicuitas \*\*\*\*), gravitas †), pulchritudo ††), minime vero vehementia †††), parenthyrsus ††††), & hyperbole †††††).

\*) Singularis *de stilo historico* exstat tractatus CASP. SCIOPPII: sed in quo frustra praecepta quaeres. Solet enim iste homo ubique aliorum vitia, tamquam quisquillas, colligere. Non itaque docet, qualis esse debeat ista historicorum oratio, sed qualis sit apud eos, qui parum adcurate scripserunt. Paulo meliora, sed & pauciora sunt, quae de stilo historico praecipunt QUINCTIL. *Instit. orat. X, 1.* LUCIAN. *in dial. πῶς δὲ τὴν ἱστορίαν συγγράφειν.* SCHEFFER. *de stilo II, 5. p. 15.* & in *Gymn. p. 35. seq.* Addendus etiam VOSS. *de arte hist. 26. sq.* [quem potissimum secutus est noster. N.]

\*\*\*) Quemadmodum omnem in universum Latinitatem, ita & stilum historicum maxime commendat PURITAS. Abstinentium ergo a verbis poetiis: sed non utendum tamen vulgaribus ac tabernariis, ut recte monet LUCIANUS. Ceterum & historici I. suas habent *diſtiones*, quas non temere reperias apud oratores. Unde iam olim, teste ATHENAEO *Deipn. II, PARTHENIUS* quidam libellum conscripsit *περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων*, de *vocabulis historicorum*. Nos quaedam tantum, exempli causa, dabimus. Animadvertit AUGUSTIN. SATURNIUS [in Grammatica, cuius titulus est.] *Mercurius maior, l. X. c. 9.* vocem *velox* aliter fere ab historicis, aliter ab oratoribus, aliter a poetis, usurpari. Hi dicunt *velox pedes*, illi *velocibus pedibus*, isti *velox pedibus*. Sic & frequentissima historicis est constructio *profunda maris, incerta vice*, a quibus fere abstinēt oratores. Frequentissimae etiam connectendi formulae: *quo factum est, interiecto tempore*, (*dies erat dicimus, quum, inter haec; dum haec in Graecia geruntur, at Hannibal*, cet. G.) Inprimis huc pertinet formula historicis fere propria: *ceterum fides eius rei penes auctores erit*: de qua CORTIUS *ad Sallust. p. 497.* Formula propria historicorum, ubi ad praestantem scribere nclunt. SENECA *de brev. vit. c. 14.* *Neque semper pro signo verborum & neglectus rerum est habenda.* Vid. IO. CHRISTOPH. BECMANN. *Praecogn. mor. c. 3.* Immo in re dubia, difficili, & per alios cognita, fere semper adhibetur. PLIN. *Hist. nat. XXVIII, 1.* Quin immo externa quoque & barbaricos ritus indagabimus. Fides tamen auctores appellet. SENECA *nat. quaest. c. 3.* Aut quod historici faciunt, & ipse faciam. Illi quum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere, sed ad-

ii-

iiciunt: *penes auctores fides erit. Adde eundem de morte Claudii c. 1.* PLIN. *lib. IX. epist. 33.* TACIT. *Germ. c. 3.* Haec CORTIUS. Quin & II. figuras sibi veluti proprias amant historici, in quibus haud postrema est *enallage infinitivi* pro imperfecto (vel quocumque tempore praeter futurum, G.) indicativi, de qua SERV. *ad Virgil. Aeneid. II. v. 683. sq.* *Infinitus modus pro indicativo: & est FIGURA PROPRIA HISTORIOGRAPHORUM*, Conf. CORT. *ad Sallust. p. 42. sq.* Utuntur equidem etiam poetarum. Sed historiam esse proximam poetiis, & quodam modo *carminem solutum*, observat QUINCTIL. *Instit. orat. X, 1.* [Rationem, cur haec enallage propria sit historicorum & poetarum, invenire mihi videor hanc, quia carmina & historiae primum sunt & antiquissimum scripturae genus. Fuisse autem omnino tempus videtur, ubi praeter *infinitum modum* de verbis nihil fuerit in usu, ut adeo nomen suum ipsa re tuitus sit, quod indicat, non significari certam aliquam personam aut tempus certum. Nimirum ab initio linguas non fuisse verbosas, sed inopes valde & compendiarias, hominesque satis habuisse animi sensa utcumque explicare, vix potest dubitari. N.]

\*\*\* ) Formant ergo periodos historici, sed breviores. *Nihil est enim in historia, CICERONE teste, pura & illustri brevitate dulcius.* Diffusiores tamen aliquando sunt NEPOS, LIVIUS, & qui alias satis pressus esse studet, TACITUS. Nonnumquam etiam incisim & membratim scribunt, quoties vel rem celeriter gestam referunt, vel aliorum verba obliquo dicendi genere recensent.

\*\*\*\* ) *Perspicuitas* virtus historico quam maxime necessaria. Unde cavendus perturbatior verborum ordo, quem etiam in THUCYDIDE nonnulli reprehendunt. (In orationibus praesertim & iudiciis, quae viris scribebat: nam ubi narrat, perspicuus est. G.) Perspicuus maxime CORNELIUS NEPOS & IUL. CAESAR: obscuriores SALLUSTIUS & TACITUS, quorum uterque THUCYDIDEM videtur imitatus.

† ) *Gravitas*, ut iam supra diximus, maxime decet historicos pragmaticos. Et hinc eam virtutem miramur in POLYBIO, TACITO, THUANO, COMINAEIO, (Pufendorfio, de rebus Frederici Wilhelmi, G.) & nonnullis aliis, qui pragmaticas dederunt historias, & non modo eventus, sed & eorum causas, personarum characteres, consilia, similiaque adcurate enarrant.

†† ) *Pulchritudinem*, quum in *dignitatem & venustatem* supra distribuerimus, hic addendum est, illam, quam hanc, historico esse digniorem. Elegantissimus est LIVIUS, CURTIUS potius venustus videtur. Ubique enim adfectat sophisticum quod-

K 3

dam

dam ac declamatorium dicendi genus. Nimius in descriptionibus locorum, fluminum, fontium; nimius in consecrandis sententiis, quae tamen historicum non decent, nisi statim ad hypothesein transferantur. De eo nemo aequiore Iove iudicavit BERGERO *de naturali pulchrit. orat. p. 373. 451. seq. 557.* qui hic merito adhibendus in consilium. (Verbo declamator saepe nimis est magis, quam historicus civilis. G.)

†††) Abstinentum ergo ab (vehementibus G.) increpationibus hominum, quippe quae ad declamatores pertinent. Historici non est, vel in homines invehi, vel eorum virtutes collaudare, sed res gestas, procul habito odio aut amore, narrare. Ineptus ergo VELLEIUS PATERCULUS, qui ubique immiscet panegyricos: ineptus etiam FLORUS, qui nonnumquam fasces & secures in viros gravissimos expedit.

††††) Omnes figurae, quae adfectibus movendis inventae sunt historicum dedecent. Unde nec laudem in historia merentur interrogationes, exclamationes, & quae sunt huius generis aliae. Frigidum ergo est, quod FLORUS saepe exclamationes narrationibus, quasi per parentheses, interserit. Veluti *lib. I. cap. 3. Sic, (rarum alias decus!) unius manu parta victoria est. Et cap. 7. Eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc principes interficiendos esse intelligi vellet; (quae superbia!) sic respondit. Paucis interiectis: cedentibus ceteris diis (mira res dictu!) resistere Iuventas & Terminus. Talia frequentissima sunt apud FLORUM. Veluti lib. I, 10. Immane dictu! I, 11. Novum & insigne commentum! Item, quis credat? prob pudor? fidem numinum! quanta velocitate! Frequentissimae quoque apud eum sunt interrogationes. Exemplo esse poterit *cap. 8. lib. I.* totum paene interrogationibus compositum. Talia etiam nonnulli notant in CURTIO, cuius proluxa exclamatio exstat *lib. III. cap. 16. §. 10.**

†††††) Nihil frigidius est hyperbole, maxime in historia. Hanc quoque in FLORO supra aliquoties notavimus. Sed nec CURTIUS ab hoc vitio abhorret. Quis quaeso feret historicum referentem: Alexandrum, in Aegyptum profectum, extra terminos solis errasse? (Sermo est de Aethiopia. *Termini solis sunt tropici. Extra est relativum, ut dextra & sinistra. Vult dicere, ultra tropicum cancri. Item extra consuetas Romae & Graeciae vias. G.*) Et tamen ita loquitur CURT. *IV, 83.* male imitatus VIRGILIUM *Aen. VI. v. 795.*

- - iacet extra sidera tellus

Extra anni solisque vias.

(Intellige extremas. Multo verius dixissent intra. G.) Poëtica haec sunt, in historico non toleranda, qualia tamen plura occur-

currunt apud CURTIUM. Eandem dicam FLORO scribit BERGERUS *ibid. p. 452.* Florus, nulla ingenii verecundia, cogitationum sequutus impetum, superiores audacia transferendi vicit, cum ipsisque certavit poetis, dignus profecto, quem multa frigide, multa putide, multa sine mente sana loquutum increpitarer graviret & incusaret Io. Georgius Graevius, *sinceru vir iudicii, ut tandem aliquando multi, qui commendant acumen illius venustatemque, discerent, res gestas Romanorum capitulatiim expositas, illinc esse considerandas, non stilum imitatione tam prava effingendum.*

## LVIII.

Stilus DIALOGICUS familiares amicorum sermones imitatur. (Sed nempe amici illi & familiares sunt diversorum generum. G.) Unde facile adparet, eum esse tenuem \*), Rhodium \*\*), moratum \*\*\*), & nonnumquam iocosum ac urbanum \*\*\*\*). Quare non temere imitandi PLATO & CICERO †), sed e Graecis XENOPHON ††), & LUCIANUS †††), e Latinis veteribus comici, & in his maxime TERENCEIUS ††††), e recentioribus ERASMUS, cuius colloquiis nihil potest reperiri urbanius †††††).

Stilus dialogicus.

\*) Praecepta de stilo *διαλογικῶν* haud poenitenda suppeditavit DEMETR. PHALER. *de eloquut. 231. sqq.* Nos veluti fundamenti loco ponimus, dialogos imitari familiares amicorum confabulationes. Unde facile adparet, I. stilum dialogicum tenuem esse debere. Nemo sane in colloquiis cothurno incedit. Attamen quum & stilus tenuis nonnumquam subtilior, nonnumquam elegantior acutiorque sit: ratio habenda est personarum. Unde PLAUTUS omnes quidem comoedias suas tenuiter scripsit, sed aliam tamen orationis ideam heris, aliam filii familias, aliam militi glorioso, aliam meretricibus, aliam denique servis, lenonibus, parasitis, tribuit. Idem observare nos decet in dialogis, & adcurate, quantum video: id observavit ERASMUS. Attamen & mediocre aliquando esse posse dialogorum elaboratorum stilum, supra §.48. observavimus. Tales sane sunt dialogi quidem CICERONIS & omnes PLATONIS, quum contra XENOPHON & Aeschines humi fere repant. (Certe civili quodam & quotidiano genere dicendi utantur. Nemp apud hos Socrates suos familiares quam familiarissime de vita communi & virtute interrogando & explorando docet. Apud PLATONEM idem Socrates sophistas irretit, & confundit, abditam

rerum naturam explicat, etc. G.) Multum interest, quas personas quis loquentes inducat, & qua de re inter se sermocinatae esse fingantur.

\*\* ) *Atticum* dicendi genus paullo est ingeniosius, *Asiatikum* operosius, quam ut dialogos deceat. (Interim ad istius formam compositi sunt *Lucianei* quidam & *Fontenellii* omnes. G.) Quum ergo in colloquiis familiaribus non praemeditari, sed ex tempore sermones caedere soleamus: consequens est, ut II. stilus *Rhodius* quam maxime deceat dialogos. Hinc maiore cum voluptate legimus colloquia *ERASMI* & *LUCIANI*, quam *CICERONIS*, qui aliquando vix etiam in dialogis ab *Asiatica* illa ubertate abstinet. (Non a stilo est, quod *ERASMI* & *LUCIANI* colloquia praeferuntur *TULLIANIS*: sed ab argumento, quod varium & saepe nugax est apud illos, & pro personarum dignitate aut levitate tractatum: apud hunc grave: philosophicum aut rhetoricum, ipsum quoque graviter, uti decebat, explicatum. Utrique praeclare rem gessere. Sed plerique lectores iocos magis amant & nugax, quam seria. G.)

\*\*\* ) Hinc in dialogis ubique debent elucere colloquendum *amor*, *modestia*, *veracitas*. (Quin mores, quos tribuit colloquentibus historia, vel qui conveniunt conditioni & characteri personarum fictarum: qui possunt esse adulatores, importuni, latrones etc. G.) Maxime e comicis notandae sunt formulae, quibus in familiari colloquio se invicem excipiebant amici. Quemadmodum enim hodie nobis familiares sunt formulae salutandi, bene precandi, petendi, cet. ita nec Romanis illae defuerunt. Nos specimen huius rei daturi, vel ex unica *TERENTII Andria* quasdam huius generis decerpemus. *Aët. I. sc. 1. Dicitum puta: nempe ut*, id est, intelligo, quid velis, nempe iubes, ut. *Quin tu uno verbo dic, quod me velis. Heus, puer, dic sodes. O dicitum bene! beasti. Quam timeo, quorsum evadas? Sat est, curabo. Aët. II, 1. Nunc te per amicitiam & per amorem obsecro. Reddidisti animum. Aët. II, 2. Me vide, id est, fide mea promitto. Aët. II. scen. 5. Neque istic, neque a tibi, tibi usquam erit in me mora. Facis, ut te deceat. Aët. III. sc. 3. Ah ne me obsecra, quasi hoc te orando a me impetrare oporteat. Merito te semper maximi feci. Aët. III, 4. Hem numnam perimus? Aët. IV, 4. Hem praediceres. Tales formulae in dialogis incredibilem venustatem habent, si commode adhibeantur. (Sed non recte discuntur, nisi ex tota serie orationis. Hinc multae stili ineptiae, quod ex phraseologiis & lexicis quidam sapiunt. Inde non tantus usus est *Freyerianorum* e *Terentio* & *Plauto* colloquiorum. Potest vero etiam tamquam exemplum venustae humanitatis laudari suavissimus locus. *Hec. V, 4, 16.**

P.

*P. O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea!*

*B. Bene factum, & volupe est. P. Facilis, ut credam, facis: Antiquamque adeo tuam venustatem obtines.*

*Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque advenieris,*

*Semper sit. B. At tu ecaster morem antiquum atque ingenium obtines,*

*Ut unus omnium homo te vivat numquam quisquam blandior. G.)*

\*\*\*\* ) Genus hoc dicendi iocosum & urbanum, dici non potest, quanta voluptate legentes aequae, ac audientes adficiat. Unde & veteribus eiusmodi facetiae sales dicuntur, eo, quod non minus sermonem, quam sal cibos, condiunt. Quamvis vero natura hic utramque faciat paginam, nihilque sit frigidius iocis, invita *Minerva* excogitatis: plures tamen fuerunt, qui totam artem iocandi praeceptis quibusdam includere ausi sunt. Exstant *IAC. MASENII Argutiae familiares*. Exstat etiam *VAVASSORIS* politissimus *de dictione ludicra* libellus, quo tamen maxime comicam illam & scurrilem linguas corrupendi licentiam, quam Galli vocant *burlesque*, exagitat. (Et per hanc occasionem, quidquid apud optimos scriptores Graecos & Latinos iocose dictum est, percurrit, atque ex alio genere, non ex illa orationis corruptela petitum ostendit. G.) Sed reliquis omnibus hac in re praefendus *CICERO de orat. II, 58. & ad divers. lib. VII. epist. 32. etiam lib. I. Offic. cap. 29.* [qui ipse maximus fuit iocandi artifex. *Epist. IX. 16. 7. N.*] & *MACROB. Saturn. II, 2. & 3.* quibus nemo curiosius iocandi fontes indagavit. [Copiosissimus antiquorum est *QUINCTILIANUS VI, 3. G.*] Unde digna *CICERONIS* commentatio visa est elegantissimo *PASSERATIO*, quam libro suo *de ridiculis* praeclaro commentario illustraret. (*Apud Rob. Stephan. CIOLXXCIV. 8.* Est etiam inter *ADR. TURNEBI opera CICERONIS locus, in quo tractantur ioci, explicatus, p. 202. 218.* edit. *Argentor. fol. G.*) Nos horum ductu praecipuos hic iocandi modos trademus. *Ridiculum* vel in *verbis* est, vel in *ipsa re* seu *sententia*. Primus *verborum* locus est

I. *Ambiguitas*. Sic olim de servo iocatus est *Nero*, *solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec oclusum. Cic. l. c. 56.* Talis etiam est *PLAUTI* iocus in *Poenul. I, 1. v. 22.*

*Quin si feriri te video, extemplo dolet.*

(tibi scilicet, non mihi. G.) Mater *M. Bruti* quum pretiosum aere parvo fundum abstulisset a *Caesare*, subiiciente haestae bona civium: non effugit tale dictum *Ciceronis*: *equidem quo malius emtum sciatis, comparavit Servilia hunc fundum, Tertia deducta.* Tertia vero erat *Serviliae* filia, in quam aequae,

ac

ac in matrem lasciviebat Caesar. MACROB. Saturn. II, 2. [Bre-  
vius & argutius Sueton. Jul. 50. sic. Quo melius emtum sciatis,  
Tertia deducta est. Ambiguitas vero non solum est in tertia, sc.  
parte, sed etiam in deducendi verbo, quod amori non minus,  
quam minuendae summae proprium est. Huc quoque pertinet  
ius Verrinum, cuius Cic. in Verr. I, 46. fin. meminit, quod  
tamen ipse perfacete dictum negat. N.]

II. Verbi pronuntiatio vel παραφραση, quando vocabulum  
depravatur. Quodam dicente: eamus deambulatum, alter respon-  
dit: quid opus est de? Cui ille, immo vero, inquit, quid opus  
est te? CIC. de orat. II, 63.

III. Interpretatio nominis. CIC. pro Sext. Rosc. cap. 43. Venio  
nunc ad aureum illud nomen Chrysogoni.

IV. Testimonium, proverbia, sententiae auctorum commode  
adhibita. Antonius, quum testis a se profectam pecuniam di-  
ceret, & hic haberet filium deliciae & prodigum, perop-  
portune usurpavit illa comici:

Sentin' senem esse tactum triginta minis?  
CIC. de Orat. II, 64. Post Mutinensem fugam interrogatus Fu-  
rius Albinus: quid aegerat Antonius? respondit: Quod canis in  
Aegypto, BIBIT ET FUGIT. MACROB. Saturn. II, 2. (Ita Lu-  
cianus Homeri versibus abutitur: Plutarchus etiam eleganter,  
sed modestius: nostri homines sacra scriptura & canticis, sed  
impie. G.)

V. Responsio ad verbum, non ad sententiam. Quaerente  
censore Catone: ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non  
hercle, inquit L. Portius Nasica, ex animi mei sententia. CIC. de  
Orat. II, 65. Sic & Antiocho ostentanti exercitum, auro &  
argento fulgentem, interrogantique: putasne, satis esse Roma-  
nis haec omnia? respondit Hannibal: plane satis esse credo Roma-  
nis haec, etsi avarissimi sunt. MACROB. Saturn. II, 2. [Cum  
post Pharsalicum praclium, bono esse animo hortaretur No-  
nius, septem enim aquilas superesse; Recte, dixit Cicero, hor-  
tareris, si nobis cum graculis bellum esset. PLUT. Apophth. p. 205.  
d. ubi ioci Ciceroniani plures. N.]

VI. Immutatio verborum, quum immutatis verbis sententiam  
retinemus. Rusca, quum legem ferret annalem, dissuasor M.  
Servilius: dic mihi, inquit, M. Pinari, num, si contra te di-  
xero, mihi maledicturus es, ut ceteris? Ut sementem feceris, ita  
metes, inquit. CIC. de Orat. II, 66. (Nempe non statim sen-  
titur responderi ad quaestionem. G.)

VII. Translatio, quum metaphora habet insignem aliquem  
iocum. (Atqui de metaphora hic sermo non est, sed de ea,  
quae metalepsis s. transumptio dicitur QUINCTILIANO 6, 3, 52.  
ubi

ubi ponit exemplum, Heminarium dictum, quod alias Congia-  
rium vocatur, ad exiguitatem illius & malignitatem declaran-  
dam. G.) Corinthiis, Scipioni promittentibus statuam eo lo-  
co, ubi reliquorum essent imperatorum: respondit Scipio: tur-  
males mihi displicent. IDEM ibid. (Scilicet in his Tullii inflexio  
quaedam est & quasi corruptio, ut turmales statuae sint ad imi-  
tationem equestrium. G.)

VIII. Relatio contrariorum vel retorsio. Dicente Libone:  
Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exhibis? Quum tu, in-  
quit, de cubiculo alieno.

Et hi quidem verborum ioci: sequuntur rerum vel senten-  
tiarum. Tales sunt:

I. Festiva narratio. Talis narratiuncula Crassi de Memmio,  
lacertum Largii devorante, exstat apud CIC. de Orat. II, 59.  
(De L. Gellio, qui convocavit philosophos ad lites dirimen-  
das. CIC. Leg. I, 20. de Canio, hortos emente, id. Offic. III,  
14. Huc etiam faciunt narrationes apologorum; e. g. vulpes,  
suasor caudae deponendae, AESOP. fab. 7. etc. G.)

II. Collatio. Sic CICERO pater Romanos homines similes  
aiebat esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece sci-  
ret, ita esse nequissimum. CIC. de Orat. II, 68. Augustus,  
quum ei quidam libellum trepidus offerret, & modo proferret  
manum, modo retraheret: Putas, inquit, te assem elephantio  
dare? MACROB. Saturn. II, 4.

III. Amplificatio incredibilis. Scipio, ad Numantiam stoma-  
chatus cum Metello, dixisse dicitur: si quantum pareret mater  
eius, asinum fuisse parituram. CIC. de Orat. II, 66.

IV. Arguta significatio, quum rem obscuram callide & ar-  
gute significamus. Quum C. Fabricio P. Cornelius, homo fu-  
rax & avarus, sed egregie fortis, gratias ageret, quod se con-  
sulem inimicus fecisset: Nihil est, inquit, quod mihi gratias  
agas, si malui compilari, quam venire. CIC. de Orat. II, 66. Pu-  
blius Mucium, inprimis malevolum, quum vidisset solito tri-  
stioem: Aut Mucio, inquit, nescio quid incommodi accessit, aut  
nescio cui aliquid boni. MACROB. Saturn. II, 2. Faustus, Sul-  
lac filius, quum soror eius eodem tempore duos moechos ha-  
beret, Fulvium, fullonis filium, & Pompeium Maculam: Mi-  
ror, inquit, sororem meam habere maculam, quum fullonem ha-  
beat.

V. Ironia vel urbana dissimulatio. Scaevola Septumuleio,  
cui pro Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se  
in Asiam praefectum duceret: Quid tibi vis, inquit, insane?  
Tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem,  
si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse ven-  
tu-



rum. CIC. *de Orat. II*, 67. Quum Vettius monumentum patris exarasset : ait Augustus : *Hoc est vere monumentum patris colore.* MACROB. *Satur. II*, 4. (Haec potius Amphibolia. G.)

VI. *In re inhonesta verbum rei honestae.* Africanus censor, tribu movens centurionem, qui in pugna non adfuerat, quum diceret, *se custodiae causa in castris mansisse*, quaereretque, *cur ab eo notaretur?* Non amo, inquit, *nimum diligenter.* CIC. *l. c.*

VII. *Contra voluntatem responsio.* Quum Tarento amisso, arcem tamen Livius retinisset, multaque ex eo praelia praeclara fecisset, & aliquot post annos Fabius Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Livius, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse : *Quidni*, inquit, *meminerim?* Numquam enim recepissem, nisi tu perdidisses. CIC. *l. c.*

VIII. *Falsa intellectio.* Quaesitus non nemo : *Qualis videtur tibi in adulterio deprehensus?* Tardus, inquit, CIC. *l. c.* Quaestio erat de crimine, respondens minus se intelligere simulabat, de quo quaereretur, & respondit de homine. Non minus facete Augustus, quum multi, a Severo Cassio accusati, absolventur, & architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita iocatus fertur : *Vellem, Cassius & meum forum accuset*, ut demum absolvatur. MACROB. *Satur. II*, 4.

IX. *Falsa responsio.* (Quin attemperata interrogationi & eadem mordax. G.) Opimius, qui adolescens male audiverat, ad Aegilium, qui mollis videbatur, nec tamen erat : *quid tu, Aegilia mea, quando ad me venis cum tua colu & lana.* Cui hic : *non pol*, inquit, *audeo.* Nam me ad famosas vetuit mater accedere. CIC. *de Orat. II*, 68.

X. *Abscondita ridiculi suspicio.* Catulus oratori cuidam malo, roganti, videreturne misericordiam movisse? *Ac magnam quidem*, inquit, *neminem enim puto esse tam durum, cui non miseranda tua visa sit oratio.* ID. *l. c.* 69. (Non valde absconditum hoc est. Referam potius ad n. 7. & pro illo hic ponam ex eodem CICERONIS loco, dictum istud ei, cuius uxor se de ficu suspenderat : *Amabo te, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.* G.)

XI. *Morositas & lenitas.* Socrates, colapho percussus a petulante iuvene : *Video*, inquit, *mih i posterum cum galea incedendum.* (Alia exempla CIC. *l. l.* affert, Catonis alterum, alterum ex Naevio. G.)

XII. *Salsa stultitiae reprehensio.* Siculus, cui Scipio praetor patronum dabat hospitem, hominem nobilem, sed stultissimum : *quaeso*, inquit, *praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* CIC. *de Orat. II*, 69. Nomenclatori suo, oblivioso admodum, dicenti : *numquid ad fo-*

rum

rum mandas? Augustus respondit : *Accipe commendatitias, quia illic neminem nosti.* MACROB. *Sat. II*, 4.

XIII. *Coniecturalis explanatio.* Quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, postquam ipse consul erat factus, ille repulsam tulerat, & in eius tabulis ostenderet litteras A. F. P. R. idque diceret esse : *Aetum fide P. Rutilii*; Rutilius autem : *ante factum, post relatum.* C. Caninius, eques Rom. quum Ruffo adesset, exclamat : *neutrum illis litteris declarari : Quid ergo?* inquit Scaurus, *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.* IDEM *ibid.*

XIV. *Discrepantia, seu ignoratio elenchi.* *Quid huic abest, nisi res & virtus?* CIC. *de Orat. II*, 70.

XV. *Familiaris reprehensio vel admonitio.* Patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset, suasit Granius, ut mulsum frigidum biberet, simul hac domum redisset : *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero : Melius est*, inquit, *quam reum.* CICER. *de Orat. II*, 70.

XVI. *Dictum consentaneum*, id est, rei vel personae conveniens. Scaurus, bonorum possessionem contra tabulas nactus, Bestiae causam itaque patronus agebat. Funus, quum duceretur, accusator Memmius : *Vide*, inquit, *Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.* CIC. *l. c.*

XVII. *Ἀπροσδοκίτου, contra expectationem responsio.* Scipio, quum ei M. Flaccus P. Mucium iudicem tulisset : *ciero*, inquit, *iniquus est.* Quum esset admurmuratum : *Ah*, inquit, *P. C. non ego mihi illum iniquum ciero, verum omnibus.* CIC. *l. c.* Servius Geminus, videns deformes L. Mallii, optimi pictoris, filios : *non similiter*, inquit, *Malli, pingis & fingis.* Cui Mallius : *in tenebris enim frigo*, inquit, *luce pingo.* MACROB. *Satur. II*, 2.

XVIII. *Votum rei impossibilis.* M. Lepidus, quum, ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubisset : *Vellem hoc esset*, inquit, *laborare.* CIC. *l. c.* 71.

XIX. *Lenta & tarda responsio.* (Minime vero tarda, sed frigida & sine affectu, qui tamen expectabatur, prolata. Lentus est tardus ad irascendum. G.) Exemplum est apud CIC. *de Orat. II*, 71.

Atque hi quidem sunt praecipui loci ac fontes urbanae ac iocosae dictionis, a CICERONE ostensi. Nescio tamen, cur CICERO omiserit ἐναρτιστικὰς, praecipuum iocorum & facetiarum fontem, quando duae res iunguntur, quae consistere non posse videntur. Huc pertinent ioci CICERONIS : *Frater meus dimidius maior est, quam totus. Hoc consequutus est Revilius, ut quaereretur, quibus consulibus consul fuerit.* MACROB. *Satur. II*, 3. ubi & similem iocum refert Laberii, qui quum, sedile quae-

rens,

fens, ex CICERONE audivisset: *recepissem te, nisi angustae sedere*, respondit: *mirum, si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere*. [Egregie vero stolidus sit, qui putet, se hinc iocari aut acute cogitare vel respondere posse discere. Ingenium hic solum valet, quod deinde alitur lectione bonorum librorum, quales praeter laudatos iam, Apophthegmatum, sunt collectiones, quorum bona pars sunt ioci. Ad hoc faciunt ex antiquis Plutarchi, ex recentioribus Erasmi libri inscripti nomine. Diogenes quoque Laërtius diligens est in recensendis philosophorum dictis acutis, quae excerpta & Plutarchianis subiuncta separatim edidit Henr. Stephanus *Gr. & Lat.* 1568. 12. Tales etiam sunt Zingrefii, Bonhursii, aliorumque cogitationes ingeniosae. N.] Cavendum tamen, ne ioci fiant illiberales. Tales sunt I. cum iniuria coniuncti, II. profani, veluti si Scripturae locis abutaris, III. cum imitatione gestuum & depravatione oris coniuncti. IV. obsceni, V. parum ingeniosi, & sola stultitia moventes risum, VI. episodica & loquutiones nullius sensus. (Sunt vero etiam *ἐπεισόδια* sana & pulchra. G.) Sic virum gravem non decet iocus PLAUT. *Capt. prol. v. 1. sq.*

*Hos, quos videtis stare haec captivos duos,  
Illi, qui adstant, ii stant hic ambo, non sedent,  
Vos vos mihi testes estis, me verum loqui.*

Risum enim haec movent, non quia ingeniosa, sed quia nullius sensus sunt. Inprimis hoc dicendi genere delectatus est ex Graecis EPICARMUS, ex Latinis PLAUTUS, quem ideo ad exemplum *Siculi prosperare Epicharmi*, dixit HORATIUS, [Ep. II, 1. 58. N.] Talia in utroque observavit MURET. *Var. lect. XIV*, 5. veluti illud EPICARMI:

*Τόνα μὲν πὰρ κείνοισ ἐγὼν ἦν, τόνα δὲ πὰρ κείνοισ ἐγὼν.*

Nec non iocos PLAUTI: *Quoi homini di sunt propitii, ei non esse iratos puto*. item: *Quanta mea sapientia est, e malis multis, malum, quod minimum est, id minimum est malum*. At ne CICERO quidem eo ioco abstinuit, in illis ad *Atticum*: *Noli putare, pigritia facere me, quod non mea manu scribam: sed mehercule pigritia, nihil enim habeo aliud, quod dicam*. (Eleganter vero simulat CICERO, se voluisse causam aliam fingere: quum autem nulla occurreret, tum demum fateri veram. Ut etiam alias mutata sententiam, v. g. ad Curionem, *epist. II*, 3. ad Lucceium *V*, 12. ad Catonem *XV*, 4. G.) VII. Depravatio linguarum, quam *burlesque* vocant Galli. (Cui oppositus est FR. VAVASSORIS liber *de dictione ludica*. Talia sunt quoque Macaronica; sermonis illud genus, quod affingunt Gallis, Germanice male loquentibus, & sua verba miscentibus nostris; cantica similia illi, *In dulci iubilo*, soli aetati condonanda. Faciebant etiam

ta-

talia epitaphia etc. G.) v. g. illa MOLIERII: *Bene bene respondere, dignus, dignus est intrare in nostro docto corpore*. In scena haec plausum referunt: in vita civili minime. Unde & PLAUTI illa ludicra sunt in *Pseud. II*, 2.

*PS. Sed quid est tibi nomen? H. Harpax. PS. apage te, Harpax, haud places.*

*Huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid harpax feceris.*

Ubi quidem *harpax* facere est dictio ludicra. Et *Curcul. III*.

- - - *L. Quis tu homo es?*

*C. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.*

*L. Sumane, salve, qui Sumanus? fac, sciam.*

*C. Quia vestimenta, ubi obdormivi, ebrius,*

*Sumano: ob eam rem me omnes Sumanum vocant.*

*Vestimenta sumano*. Denuo est ludicrum.

†) PLATONIS enim dialogi non servant dictionis familiaris ideam, sed oratione conscripti sunt iusto grandiore, adeo, ut a poemate minus distent, quam comicorum fabula. Vid. LAERT. *III*, 38. THEMIST. *orat. p. 319. edit. Harduin.* Idem de CICERONIS dialogis sentiendum est; tanto quippe artificio scriptis, ut probabile haud sit, hoc modo inter se colloquutas esse eas, quas inducit, personas. Simpliciores tamen sunt eius *Cato Maior & Laelius*, quos ego Xenophonteos vocare soleo, quum reliqui Platonis ubertatem imitentur.

(Nihil PLATONIS dialogis suavius in exordiis, & ubi familiaris sermonis aliquid interponitur. Alia res, ubi tractantur sublimia digno nimirum illis genere orationis. Idem de CICERONIANIS dicendum. Sunt omni genere leporis & venustae urbanitatis referti in prooemiis, & quoties ab argumento aliquantum ad familiarem consuetudinem deflectunt, ut appareat, non defuisse neque PLATONI neque TULLIO venustatem: sed illos intempestive ea uti noluisse. G.)

††) DICTIO XENOPHONTIS melle dulcior est, adeo, ut *apud Attica* diceretur. Vid. MENAG. *ad Laert. p. 103.* Atqui dulcis & simplex stilus quam maxime convenit dialogis.

†††) LUCIANUS, quantum ab obscuro atque adfectato dicendi genere abhorruerit, vel solus eius docet dialogus *λεξιφάνης*, *Tom. I. opp. p. 819.* Et hinc ipse, si quis alius perspicuitatem ac elegantem simplicitatem sectatur, adeoque stilum *διαλογικόν* (eiusque varietatem, G.) praeclare exprimit.

††††) TERENCEI stilus castus, purus, tersus ac plane urbanus est. Iocatur etiam, sed multo, quam PLAUTUS, liberalius. Mores praeterea, atque adfectus hominum accuratissime exprimit, ut mea quidem sententia nullus ex antiquitate extet auctor, qui familiaris stili suavitatem feliciter expresserit.

†††††) Sunt

++++) Sunt equidem, qui compositionem adcuratorem in ERASMO desiderant: sed hi nimis delicati videntur. Festivus sane est, urbanus, & tersus, ac ridendo, ut ait HORATIUS *epist. I, 2.*

- - quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, Plenus ac melius Chrysippo & Cratore, dicit.

## LIX.

*Stilus oratorius.*

De stilo ORATORIO tanto brevius agendum: quanto minus ille a reliquis omnibus dicendi formis abstinet. Omnia sibi (pro hominum, locorum, temporum conditione, G.) permittunt oratores: modo magnifice, modo mediocriter dicunt. Iam Asiaticam copiam, iam Rhodiam Atticamque frugalitatem amant. Modo ideam moratam in exordiis, modo perspicuam in narrationibus, modo gravem in tractatione, modo in confutatione concitatam exprimunt. Figuris praeterea tuntur omnibus, quae vel ad dignitatem orationi conciliandam, vel ad ciendos adfectus sunt comparatae. Ut paucis dicam, non placere tantum verum etiam admirationi esse cupiunt oratores \*).

\* ) Conferri praecipue meretur SCHEFFERUS *de stilo, illiusque exercit. II, 7.*

## LX.

*Stilus politicus & civilis.*

Ab oratorio stilo non multum discrepat POLITICUS sive CIVILIS, nisi quod is Atticam brevitatem, nec non acumen & gravitatem magis amare videtur \*). Elucet praecipue civilis ista dicendi ratio ex orationibus magnorum atque excellentium virorum, quales passim historiis suis inseruerunt LIVIUS, TACITUS, CURTIUS, alique annalium (historiarum G.) scriptores \*\*).

[Περὶ πολιτικῆς λόγου liber est Aelii Aristidis aliquoties iam laudatus, sed ibi *dictio politica* latius patet, & simul completitur genus dicendi forense, ac generatim omne id, ubi laertos exerit suos, & robur ostendit eloquentia & quidem coram populo in re seria. Uno verbo, opponitur declamationibus & eloquentiae umbraticae. N.]

\*) Ta-

\*) Talis est oratio Alexandri M. vere civilis apud CURTIUM IV, 1. *Et ego pecuniam, quam gloriam, mallet, si Parmenio essem. Nunc, Alexander securus sum, & me non mercatorem memini esse, sed regem. Nihil quidem habeo venale, sed fortunam utique meam non vendo. Captivos, si placet, reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remitemus.*

\*\* ) Disputant quidam, an deceat, integras orationes inserere historiae. Negat FR. PATRICIUS; at adfirmat GER. IO. VOSSIUS *de arte histor. 20. & 21.* cui procul dubio elegantia harum orationum imposuit. Nam nulla ratio est, qua possit homini veritatis amanti persuaderi, in hac re licere historicis, mentiri. (At fingere, non semper est, mentiri. Duplex dos est historiae, I. ostendere, quid factum sit; II. sapientiores reddere, qui legunt, ac meliores. Si non ad priorem, certe ad alteram pertinent id genus orationes. Porro vel ideo non mentiuntur historici, quum eiusmodi orationes referunt, quia non temere dicunt, *his verbis aliquem usum, sed loquutum in hanc sententiam.* Porro prudens historicus causas rerum, consiliaque intexit his orationibus, quo nomine etiam ad priorem illam virtutem referuntur. Ceterum quum hodie non temere utantur orationibus rerum publicarum rectores, etiam illius rei rationem habet prudens historicus. G.) Et certissimum tamen est, Romulum numquam concionatum esse iis verbis, quae ei tribuit initio operis DIONYSIUS HALICARNASEUS. Ceterum illud verissimum est, vel ideo magni aestimandas esse eiusmodi orationes, quod veram dictionis civilis ideam nobis ob oculos ponunt.

## LXI.

Stilus EPISTOLICUS non est *διαλογικῆ* similis \*), sed sermone quotidiano paullo adcuratior, dictione vero elaborata remissior, & ut DEMETR. PHALEREUS *de eloquut. n. 244.* monet, ex tenui & venusto mixtus. Ubique etiam elucere debet τὸ ἠδυνόν \*\*), id est, *genus dicendi moratum.* Neque tamen uno eodemque filo contexendae omnes epistolae. Iocosae enim & familiares quotidianis conscribuntur verbis \*\*\*); hortatoriae, expostulatoriae, & huius generis aliae concitatae \*\*\*\*); commendatitiae & petitoriae medio-crem \*\*\*\*\*); civiles denique aut ad viros magnos exaratae gravem stilum exigunt \*\*\*\*\*).

*Stilus epistolicus.*

\*) Existimavit hoc ARTEMON, qui ARISTOTELIS episto-  
las

las exscripsit. Verum illum refellit DEMETR. PHAL. *de eloquent. n. 232. Dialogus enim, inquit, imitatur ex tempore loquentes: epistola autem scribitur, & alteri veluti dono mittitur.*

\*\* ) Est haec dicendi idea adeo necessaria, ut, si absit, epistola esse desinat. Hinc, qui de rebus gravissimis subtiliter disputant, scribunt quidem, verum non epistolas, sed tractatus vel dissertationes, quibus τὸ χαλπεῖν praemissum est, ut ait DEMETR. PHAL. *n. 236 & 240.* Hinc facile patet, longissime ab epistolico dicendi caractere abesse SENECAE epistolas, in quibus nullum morati stili vestigium occurrit. Unde, ne quidem epistolas has esse, sed locos communes, & variarum disputationum rhapsodias, nonnulli arbitrantur. Vid. MORHOF. *Polyb. I, 1. 23. 22. p. 300.* (Sunt tamen multa in principiis praesertim & in conclusionibus, ubi de suo amore, & similibus familiarum epistolarum argumentis agit. G.)

\*\*\* ) Hanc legem ipse sibi dixit CICERO *ad divers. lib. IX. epist. 21. §. 2.* Unde in epistolis familiaribus non probatur nimia atque anxia scribendi cura. Certe non temere iudicavit SCIOPIUS, epistolas MANUTII, quamvis puras ac elegantes, vix ea esse gratia, ut hominem, nisi valde otiosum, ad iteratam lectionem invitent. Quod non aliunde esse duxerim, quam a supersticiosa scribendi cura, quae tanta fuit in MANUTIO, ut saepe menses aliquot uni epistolae impendisse dicatur. MORHOF. *Polyhist. I, 1. 23. 57. p. 307.* (Deprehensa sunt autographa distantibus multum versibus. G.)

\*\*\*\* ) Exemplo esse possunt CICERONIS epistolae *ad Appium Pulchrum*, inprimis *ad divers. lib. III. epist. 7.*

\*\*\*\*\* ) Tales sunt pleraequae epistolae CICERONIS ad viros graviores (vel ad S. P. Q. R. ut *libro XV. G.*) scriptae. Praeclare quoque hoc dicendi genus exprimunt. M. ANT. MURETUS, AON. PALEARIUS, IAN. NIC. ERYTHRAEUS, & pauci alii.

\*\*\*\*\* ) Has epistolas paullo elatiores esse iubet DEMETR. PHAL. *de eloquent. n. 243.* Nos non elatiores, sed graviores ceteris esse volumus. Exemplum praevit CICERO *in epist. ad Quintum Frat. I, 1.* quam ego reginam omnium CICERONIS epistolarum adpellare soleo. (Alii *Famil. V, 12. G.*) Tam gravi enim oratione proconsulis describit officium, ut fieri id non potuisset gravius. Eiusdem generis sunt epistolae, quas DARIO & ALEXANDRO M. tribuit CURTIUS *IV, 1.*

## LXII.

Superest stilus POETICUS, qui tametsi huc non pertineat, vel ideo tamen non plane videtur praetercun-

Stilus poëticus.

eundus, ut ab eius tumore †) in soluta oratione nobis tanto facilius caveamus. Maxime autem stilus poëticus non modo verbis \*) , epithetis \*\*) , phrasibus \*\*\*) , constructionibus \*\*\*\*) , & connexionibus \*\*\*\*\*) , sed & toto orationis habitu \*\*\*\*\*) , a prosa discrepat oratione.

† ) ( Quod enim sublime aut magnificentum in poësi erat, suo loco positum, illud tumidum fit, si in prosa intempestive inculcetur. G. )

\*) Primo enim poëtae vocabulis utuntur, quae reliqui scriptores ignorant. Vid. supra §. XV. Deinde plura vocabula componunt, & veluti in unum confiant. Vid. *ibid.*

\*\* ) Epitheta poëtis placent I. etiam otiosa, (quamquam vel hoc nomine otiosa non sunt, qui rem sensui offerunt. G.) v. c. *Turdus edacibus.* HORAT. *Epod. II. Dulci mellis flavoque liquore.* LUCRET. *de rer. nat. lib. I. II. Translata*, & quidem audacissime. v. c. *ambitiosa colus*, i. e. quae, intertexto auro, fila trahit. *Turbo anhelus.* SIL. ITAL. *I. Attonitus ignis*, quo videlicet Scaevola urebat manum. MARTIAL. *epigr. VIII, 29.* Plura eiusmodi translata epitheta suppedabit MORHOFII *idea lexici poëtici*, inserta eius *Polyhistori I, 3. II. p. 679.* At non epithetis tantum translatis utuntur, verum etiam substantivis, immo & aliis figuris audacissimis, ut saepe Delio natatore opus esse videatur. Eo inprimis pertinet μεταλλῆς, non modo simplex, sed multiplex. E. g. dixit VIRGILIUS *lib. VIII. Aen. v. 90.*

*Iter incoeptum celerant RUMORE secundo.*

Ibi vero durissima μεταλλῆς rumor pro murmure, murmur fluviatile pro ipso fluvio dicitur, ex mente GRONOVII *Observ. II, 17.* nisi cum SERVIO legere malis: *Rumore secundo.* (Intelligo ita: *adverso flumine ad Evandrum*, sed *rumore spei & laetitiae secundo.* G.) III. *Decomposita & dithyrambica.* CLAUDIAN. *Consul. Honor. IV.*

*Et SEPTEMGEMINO iactantior aethera pulset  
Roma iugo.*

Talia etiam sunt: *Bellerophontaeae habenae*, CLAUD. *Cons. Probi. Cornipedes equi*, IDEM *Consul. IV. Honor. Amphitryoniades Hercules*, STAT. *v. 6709. Ternox Herculeae*, *ibid. v. 13102. IV. Obscura*, v. c. *Geticum plectrum*, pro Orphico; *Arcadius galearius*, pro pilo Mercurii; *Centaurica semina*, pro equis; *Danaeus volucer*, pro Perseo; *Bisthoniensis*, pro acuto, quia Mars Bisthoniae templum habebat. Talia complura apud STATIUM, quo non temere alius est poëta tumidor.

\*\*\* ) Phrases poëtae non a vulgo petunt, sed ipsi sibi fingunt pro lubitu. ( Neque tamen libere illis debent stulta, & qui hodie scribunt, caute admodum versari, neque sine exemplo aliquid audere ante, quam famam sibi nomenque poëtae bonis artibus conciliaverint. G.) CLAUDIAN. *Cons. Hon. VI.*

-- *Certis ubi legibus advena Nereus*

*Aestuatur,*

i. e. ubi fluxus & refluxus maris est. IDEM *Consul. Mallii v. 321.*

-- *Qui se iaculantur in auras;*

*Corporaque aedificent celeri crescentia nexu.*

Loquitur de funambulis, ( quin de pegmatis. G. ) Talia etiam sunt: *evomere purpuream animam*, pro e vulnere mori, *venentis gravida sagittis pharetra*, pro pharetra sagittis referta. *Colla triumphati Istri proculcare*, pro victoriam ad Istrum reportare. ( *STAT. Thebaid. X. 675.* ) *Fulminis radiis afflata cupressus combibit ingestas & stirpe & vertice flammam*, id est, *cupressus flumine combusta est.* Quis ita in prosa oratione loqueretur? Plura huius generis dederunt IAC. MASEN. in *Palaestra II, 12.* FR. ROBORTELLUS *de artific. dicendi cap. de poet. sermon. disp. I. 10.* DEKENIUS in *observat. poet. Antwerp. MDCCCLXXXVIII.* editis, a MORHOFIO iterum cum praefatione sua in lucem exire iussit *Kilon MDCCXCI. 8.*

\*\*\*\* ) In constructionibus maxime poëtae amant I. *Graecismos.* Hinc nominativum saepe ponunt pro vocativo, v. c. SENECA *Herc. fur. 893.*

*Stantes, SACRIFICUS, comas*

*Dilecta tege populo.*

Saepe & genitivum pro ablativo. HORAT. *Carm. I, 22. Integer vitae, scelerisque purus*, pro, integer vita, scelereque purus. ( Potest etiam elliptice dictum esse, pro *ratione vitae.* G. ) Saepe omittunt praepositionem *secundum*, more plane Graecanico, VIRGIL. *Aeneid. III. v. 593. Ac cetera Graius.* Talia etiam sunt, *nuda genu, pernix pedes, tremat artus.* Sed talia intellectu facilia. At obscurissimum illud OVIDII ( *Metam. 14, 345.* )

*Poeniceam fulvo chlamydem contractus ab auro.*

Ubi *contractus chlamydem*, idem est, ac *contracta chlamyde usus.* Ita enim versus legendum explicandumque esse, monet GRONOV. *Observ. III, 18.* Saepe etiam adiectivum apud poëtas in locum adverbii succedit. VIRG. *Eclog. III. v. 63. Suave rubens hyacinthus.* HORAT. *Carm. I, 22. Dulce ridentem Lalagen amabo.* PRUDENT. *II. hymn. matutin. 33. Nunc, nunc severum vivitur.* HORAT. *epist. I, 1. v. 101. Insanire putas sollemnia me.* Saepe Graecorum more construunt, v. c. *Desine querelaram, decet nobis, caussa perire, callida resonare, bonus calamos inflare.*

*re. Retulit Ajax, esse Iovis pronepos.* Plura congescit BUCHNERUS *de commutata ratione dicendi I, 19.* ( Et longe plurima VECHNERUS *Hellenolex L. I. P. II. G.* ) Deinde poëtae II. plane negligunt leges, quas supra de verborum ordine dedimus. Inprimis Lyricis sollemne est, omnia miscere, ceu vel ex HORATIO patet.

\*\*\*\*\* ) Esse connexiones poëtis proprias, vel ex solis adparet eorum comparationibus & similitudinibus. Eas plerumque connectunt adiectivis relativis *QUALIS, TALIS*, quibus numquam utuntur oratores. VIRG. *Aeneid. IV. v. 143.*

*Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluentia*  
*Deserit: ac Delum maternam invisit Apollo. cet.*

-- *haud illo segnior ibat*

*Aeneas.*

\*\*\*\*\* ) Diversae nimirum poëtis & oratoribus sunt inventiones, diversa argumentorum dispositio, diversa eloquutio, diversa etiam schemata. Ut de ultimis dicam, non facile v. c. apud oratorem reperies SEIUGATIONEM, qualis illa OVIDII *Heroid. ep. II, v. 25.*

*Demophon, ventis & verba & vela dedisti:*

*Vela queror reditu; verba carere fide.*

Non facile etiam oratoribus placebit *επανάληψις* talis, qualis illa OVIDII est *Fast. IV, 365.*

*Qui bibit inde, furit, procul hinc discedite, quis est*

*Cura bonae mentis, qui bibit inde, furit.*

Plane poëtica haec similiaque sunt, & hinc in prosa vix inveniunt locum. Plura de stile poëtico dabit GER. IO. VOSSIUS *de arte poëtica.*

### LXIII.

Plerisque dicendi characteribus, haecenus descriptis, commune est  $\delta$  *ΑΡΙΜΤΤΗΣ*, id est, genus quoddam orationis ACUTUM atque ARGUTUM \*) , in quo palmam reliquis praeripere videntur SENECA, PLINIUS, TACITUS, CURTIUS. Ne ergo ea huius stili obscura nobis sit ratio \*\*) : sciendum est, omne acumen vel in verbis \*\*\*) , vel in propositionibus \*\*\*\*) , vel in ipsis enthymematibus \*\*\*\*\* ) esse positum.

\*) Dubitarunt nonnulli, an acutum illud orationis genus laudem aliquam mereatur. Aiunt enim, ad corrumpendam bonae dictionis indolem inventum primum esse stilum argutum, & quidem post tempora CICERONIS, quum iam in deterius ire

coepisset Romana eloquentia. Addunt, nihil solidi inesse eiusmodi argutiis, sed meros strepitus sententiarum male cohaerentium, & quamdam antithetorum histrioniam, quibus titillari aures possint, pectus non saturari. Vid. ALBERTI DE ALBERTI *Thesaur. eloquentiae sacrae & profanae*, FRANC. VAVASSORIS *orat. III.* quae est *pro vetere dicendi genere contra novum*, & iam ex antiquis QUINCTIL. *Instit. orat. VI*, 3. Sed haec omnia ut sunt verissima, ita tamen non ita accipienda, ut nullum omnino acuminibus concedamus locum. Laudem illa suam merentur, sed veluti condimenta quaedam atque aromata, quae quum intemperantius adhibita fastidium pariant, (quin. linguam obtundunt, saporem corrumpunt. G.) modice adpersa mirifice delectare solent. (Eleganter QUINCTIL. VIII, 5, 34. *Ego haec lumina orationis, velut oculos quosdam esse eloquentiae, credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra suum officium perdant.* G.) Quemadmodum ergo non laudanda SENECAE oratio, quae tota argutiis potius, quam sententiis solidis atque enthymematibus, conflata est: ita nec reprehensionem merentur PLINIUS & TACITUS, qui paullo parcius istis condimentis usi sunt. Vid. MORHOF. *disciplin. argut. praef. p. 3. sequ.* Addendus est V. Cl. CHR. GOTTL. SCHWARZIUS *de oratione concinna §. XXXIV. seq.* ubi de acuto dicendi genere, & quid de eo sentiendum sit, ex instituto disquirat.

\*\* ) Ex antiquis acuti stili fontes ostendere, conati sunt ARISTOTELES *Rhetor. III*, 10. & II. HERMOGENES *Idear. II*, 5. QUINCTIL. *Instit. orat. VI*, 3. E recentioribus hic ceteris anteferendi SARBIEVIUS in libro *de acuto*, MASENIUS in *arte argutiarum*, EM. THESAURUS in *idea argutiae dictionis*, & , qui reliquos omnes longo post se intervallo reliquit MORHOFIUS in *disciplina argutiarum*, quae prodiit *Lubec. c170ccc. 8.*

\*\*\* ) Acumen omnibus mentis operationibus inesse potest. Et ad verba quidem quod attinet, acutam orationem reddunt I. *Ambiguitas*; ut quando quis de Diaconis legibus dixit: *Non hominis istae sunt leges, sed DRACONIS.* ARIST. *Rhet. II*, 23. aut quando Sceparnio apud PLAUT. *Rud. I*, 1. *aedes illustres* vocat, quas venti perflabant. (Talia ambigue dicta multa sunt Ciceronis in Verrem. G.) II. *Ἀπτανάκλασις*: *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum.* CIC. *ad Atticum epist. XIV*, 14. III. *Παρονομασία*, v. c. *Inceptio haec amentium est, non amantium.* TERENT. *Andr. I*, 3. *Non est enim facile, in eum scribere, qui potest proscribere.* MACROB. *Saturn. II*, 4. (LAMPRIID. *Alex. 38.* *Pulchrum facit venatus & lepus comesus: ex quo perpetuum capit leporem.* G.) IV. *Παρεχρησις* PLAUT. *Menaechn. IV*, 2. *Palla pallorem incutit,* (PLAUT. *Pers.*

*Pers. V*, 2, 6. *Qui illum Persam, atque omnes Persas, atque etiam omnes personas male di omnes perdant.* CIC. *pro Balbo 28.* s. 63. *Quid enim est, cur non potius ad summam laudem huic, quam ad minimam fraudem Caesaris familiaritas valere debeat?* IDEM *pro Mil. II.* *Vi victa vis.* Erasmo aliquis per puerum ita insultavit: *Orto de scorto, pede torto, poma reporto,* (G.) V. *Significationis mutatio.* Sic ABDICARE alias dicuntur patres filios: acute ergo *Alexander Philippum patrem abdicasse* dicitur CURTIO IV, 10. Sic etiam si maritum imperiosae uxori dicas *nupsisse*: acutum hoc erit. Quamvis enim veteres *nubere* etiam viros dixisse ferantur, idque probari possit ex NONIO *de propr. serm. cap. 2. n. 577.* tamen & exolevit postea illa verbi notio, & exemplum, quod ex auctore vetere, nescio quo, adducit NONIUS, satis ostendit, scriptorem illum, quisquis fuerit, significationem studio mutasse. Ait enim ille:

*Sed meus frater maior, postquam vidit me inde eiectum domo,*

*Nupsit posterius DOTATAE, VETULAE, VARICOSAE, AFRAE,*  
(fort. *vafrae.*)

Tales vero, qui domum ducunt, illi mihi vere nubere videntur. (Ex hoc genere sunt: *maestare infortunio*, TERENT. *Phorm. V*, 9, 39. *Damno augere*, ID. *Heaut. IV*, 1, 15. Socrates apud XENOPH. *Mem. II*, 6. *accusare κατηγορεῖν; διαβάλλει, κατεπειν*, se dicit, quos vult laudare & conciliare sibi invicem. Tota huc pertinet ironia. G.) VI. *Allusio.* Sic, quum parasitus apud TERENT. *Phorm. V*, 9. Chremetis amores Nausistratae uxori prodidisset, & deprehensus Chremes uxorem formidaret, lepide & acute ait parasitus: *Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, iam tempus est*, alludens ad formulam in funeribus sollemnem. Allusio quoque in illis CIC. *pro Sexto Rosc. Venio nunc ad aureum illud nomen Chrysogonum.*

\*\*\*\* ) Propositiones reddunt acutiores I. *Repugnantia.* FLOR. II, 6. *Novam de Hannibale victoriam commentus est Fabius, nolle pugnare.* MARTIAL. *epigr. II*, 80.

*Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit:*

*Hic, rogo, non furor est, ne moriari mori?*

II. *Paradoxa.* FLOR. II, 6. *Capuam Hannibali Cannas fuisse.*  
III. *Adfirmatio cum negatione coniuncta.* PLIN. *Paneg. IV.* *Utrumque Caesar, moderate, & quod alibi tibi gratias agi non sinis, & quod hic sinis.* (MARTIAL. I, 13.

*Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit, (Arria)*

*Sed quod tu facias, hoc mihi, Paete, dolet.* (G.)

IV. *Ἐπείνοδος.* CIC. *pro Planc. cap. 28.* *Gratiam qui refert, habet; & , qui habet, eo, quod habet, refert.* Felicissimum hac in re fuit PUBLII SYRI ingenium, cuius sententiae pleraeque omnes,

nes, (multae certe, G.) huius generis sunt. V. *ἄντικρυς* & *ἑστῶς*. Non ideo vicisse videris, ut triumphares, sed triumphare, quia vinceres. PLIN. Paneg. cap. 17. VI. Allegoriae. Sic quum aliquis familiam suam triumphorum seminarium vocasset: acute CICERO: ex illo seminario, inquit, triumphorum non nisi arida folia laureae retulisti. VII. Correctio, maxime, quae fit per epitheton. VELLEIUS PATERC. Hist. II, 41. Caesar, Alexander M. sed sobrio, simillimus. SEN. epist. 4. Adhuc enim non pueritia in nobis, sed puerilitas, remanet. VIII. Lusus i. e. repetitio similium, vel eorundem adeo, (G.) verborum. SENECA de ira I, 16. Satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. IDEM I, 5. Ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. ARISTOT. Rhet. III, II, 26. Dignum est mori, antequam dignus sis mori. LABERIUS apud MACROB. Satur. II, 7.

Necesse est, multos timeat, quem multi timent.

PUBLIUS SYRUS:

Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.

IX. Distributio. SENECA epist. I. Si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima, nihil agentibus, tota, aliud agentibus. X. Comparatio. Adoptavit te optimus princeps in suum; senatus in optimi cognomen. PLIN. cap. 88. & 4. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non & arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quaesitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. (CIC. pro L. Manil. 10. s. 28. de Pompeio: Saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit: plura bella gessit, quam ceteri legerunt: plures provincias confecit, quam alii concupiverunt. G.) XI. Similitudo. Vita principis censura est, eaque perpetua. PLIN. Paneg. 45. XII. Paroemia. Sic si quis de Hannibale diceret: omnibus malis Punicis inest granum putre: argutissime hoc esset dictum, cum ob aequivocitatem MALIS, tum ob paroemiam. XIII. Allusio ad fabulam. CIC. divin. in Q. Caecil. cap. 17. Sed repente vestigio ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres. (Huius generis sunt Bellerophontae litterae; item si dicantur pulchri Adonis vel Helena; imperiosa uxor Iuno; poeta excellens Orpheus; tristitiae remedium Nopenthes, etc. G.)

\*\*\*\*\* In tertia mentis operatione, sive enthymemate, praerique argutiae ex sophismatibus oriuntur, veluti I. Ex aequivocatione. Tale est enthymema illud apud SUTTON. Neron. c. 39.

Quis negat, Aeneae magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

(Sic sententia acuta & ancipiti de Octavio, ornandum esse tol-

len-

lendumque, dixit Cicero Epist. famil. XI, 20. coll. Suet. Aug. 12. G.) II. Ex figura dictionis, v. c. Mirum, nisi Anna haec in fine quoque sui esset similis. (Ita Cicero syllabas in nomine VerrUTIUS, quae hic maiusculis litteris expressae sunt, caudam Verris vocat. Verr. II, 78. coll. c. 76. sq. G.) III. Ex fallacia compositionis & divisionis, v. c. vos victi victores impios occidistis occisi. IV. Ex fallacia non causae, v. c. Omnia, Castor, emis, sic fiet, ut omnia vendas. MARTIAL. Epigr. VII, 97. Sic Populiae Martiae filia, miranti, cuidam, quid esset, quod aliae bestiae numquam marem desiderent, nisi quum praegnantem vellet fieri? respondit: Bestiae enim sunt. MACROB. Saturn. II, 6. Et ita etiam ex reliquis fallaciarum generibus facile nascentur acumina, si ingenium accesserit felicius. Nisi enim impetus quidam naturae adfuerit, facile in frigus & adfectionem degenerabunt. A quo vitio ne quidem EM. THESAURUS cavere sibi satis potuit. (Immo hic omnium minime. G.)

## CAPUT III.

### De Fundamentis stili philosophicis

#### I.

RELiquum est, ut de fundamentis stili PHILOSOPHICIS dicamus. Quemadmodum enim fundamenta grammatica & rhetorica ad orationis structuram atque ornatum; ita philosophica ad eiusdem materiam pertinent. Verba enim, quantumvis ornata, in vanam abibunt loquacitatem, nisi sententiae illis subsint, tanto verborum adparatu dignae \*).

\*) Praeclare hunc locum tractant CIC. de Orat. I, 19. seq. e recentioribus MURET. Part. I. orat. IV. ubi de philosophiae atque eloquentiae coniunctione praeclare disserit. (Scilicet hoc numquam non cogitandum est eloquentiae candidato, pulchritudinem in verbis aliam ne intelligi quidem posse, praeter eam, qua cum rebus, quas significare debent, pulchre conveniunt, easque exprimunt. G.)

Fundamenta  
philosophica  
stili.

#### II.

## II.

Quidnam per  
illa intelligatur.

PHILOSOPHICA \*) ergo stili cultioris fundamenta voco, quaecumque sententias veras, & rectae rationi consentaneas orationi suppeditant.

\*) Paulo latius itaque hic patet *philosophiae* nomen, quo omnes disciplinas atque artes, materiam stilo suffecturas, intelligo. Praecipue tamen huc pertinent *logica*, *philosophia moralis*, *ius naturae & politica*, quibus carere haud posse eloquentem, omnes eruditi fatentur.

## III.

Quotuplicia  
sint?

Duorum vero generum sunt fundamenta philosophica. Alia enim *singularibus periodis*; alia *integris argumentis* suppeditant materiam.

## IV.

Ad amplificandam  
orationem facit  
definitio.

Ad amplificandam orationem plurimum facit I. DEFINITIO \*), quae dici non potest, quantum ornet orationem \*\*). Definitiones vero non aliunde, quam ex philosophia petendae sunt.

\*) Cave vero existimes, definitiones illas vocabulis philosophicis & technicis concinnatas, cultiorj inserendas esse orationi. Tum demum placebunt, si verbis lectissimis ornatissimisque proferantur. Neque tamen oratores eam semper sectantur *ἀσπίθειαν*, quam in philosophis exigimus, sed plerumque vel per *caussas*, vel per accidentia sive adiuncta, rem describunt. Sic CICERO *pro Cluent.* dicturus, Milesiam quamdam mulierem, partu sibi medicamentis abacto, capitis esse damnatam, elegante definitione filii utitur, atque hanc concinnat periodum: *Nec iniuria, quae spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiae, designatum reipublicae civem sustulisset.* Ex quo exemplo patet, plures nonnumquam definitiones, aut si mavis, descriptiones, veluti per congeriem accumulari. Nec minus elegans est illa definitio CIC. *Phil. I, 12.* *Est autem gloria, laus recte factorum, magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.* (Historia apud CIC. *de Orat. II, 9.* ita finitur: *Testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia velustatis.* Optimates & populares definit

pro

pro *Sext. 45. sq. G.*) CAUSSIN. *lib. IV. cap. 13.* vocat huiusmodi definitionem per *synonymiam*, additque exemplum: *Quid enim est aliud lilium, quam terrae ornamentum, plantarum gloria, oculum florum, pratorum gemma, pulchritudo radiis suaviter emicantibus fulgurans?* Eodem exemplo olim vel SAPPHO, vel ACHILLES TATIUS *iosam γῆς κόσμον, φντῶν ἀγλαίσμα, ὀφθαλμὸν ἀνθέων, terrae ornamentum, plantarum decus, oculum florum* adpellavit.

\*\* ) Tria vero potissimum definitionum genera, in cultiore oratione commendantur. Primum rhetoribus vocatur *ἀγνῆσις*, alterum *ἀφαίρεσις*, tertium *σύνκρισις*. I. "ΑΡΝΗΣΙΣ sive NEGATIO est, quum vera genera, verasque proprietates tollimus. CICERO *pro Cluent. c. 70.* *At quae mater? quam coecam crudelitatem & scelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla umquam turpitudine retardavit, quae vitiiis animi in deterrimas partes iura hominum convertit omnia: cuius ea stultitia, ut eam nemo hominem, ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem adpellare possit.* II. "ΑΦΑΙΡΕΣΙΣ sive REMOTIO, quum res differentes tollimus, proprias subiungimus. CIC. *Philippic. I, 12.* *Credo enim vos homines nobiles, magna quaedam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoquo clarissimoque contempta est, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium & gloriam concupisse, est autem gloria laus recte factorum, cet.* III. ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ sive CONTENTIO, quum simul contraria sive opposita exprimimus. CIC. *Philipp. II, 44.* *Et nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. Sed inter pacem & servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas, servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.* Conf. BUCHNER. *de commut. rat. dicendi II, 3, 1.* At sunt tamen alia quoque oratoriarum definitionum genera. Aliquando enim res definitur per PARTES suas: LACTANT. *Instit. II, 5.* *An Archimedes Siculus concavo aëre similitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita solem ac lunam composuit, ut inaequales motus, & coelestibus similes conversionibus singulis quasi diebus efficerent, & non modo accessus solis & recessus, vel incrementa deminationesque lunae, verum etiam stellarum vel inerrantium vel vagarum dispares cursus orbis ille, dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari & efficere, quae potuit sollertia hominis imitatione simulare?* Aliquando per CAUSSAS & EFFECTUS. Hoc modo enim pestem definit VIRGIL. *lib. III. Aen. v. 137. seq.*

- - Subito cum tabida membris

Corrupto caeli tractu miserandaque venit

Arboribusque satisque lues, & lethifer annus.

Lin-



*Lingebant dulces animas, aut aegra trahebant Corpora: tum steriles excurrere Syrius agros.*

*Arebant herbae, & victum seges aegra negabat.*

Definitiones per ACCIDENTIA & SIMILITUDINEM, addit CAUSAS. *lib. IV. cap. 20. seq.*

## V.

*Et divisio.*

Nec minus ornatam periodum (v. g. disiunctivam, copulativam, etc. G.) reddit II. DIVISIO). Saepe enim vel totum in partes, vel genus in species partitur orator, ut tanto uberior graviorque fiat oratio. Optimas vero divisiones suppeditare philosophiam \*\*) , nemo, nisi rerum omnium ignarus, ignorat.

(Si bene rem consideres, artificia prope omnia rhetorum, quibus rerum inventionem iuvare volunt, redeunt ad commodas divisiones, & classes rerum. Apparet etiam divisionem, totarum orationum, non modo periodorum, esse matrem. In tantum igitur tum praedicamenta, tum alias quascumque divisiones in promptu habere consultum est. G.)

\*) Exemplum dabit MURETUS *Part. I. orat. VII.* Dicturus is erat, Philosophiam moralem non ad adparentem, sed ad veram felicitatem esse comparatam. At quum ex philosophia didicisset, adparentia illa bona vel utilia, vel honesta, vel iucunda videri, divisione illa utitur, atque inde hanc concinnat periodum: *Non enim philosophia sibi opes ac copias, quae & saepe possessoribus suis exitio sunt, & tam multis casibus eripi possunt; non honores & imperia, quae, quod concupierint, multi; quod adspersus sit, nemo umquam vituperatus est; non quidquam denique proponit eiusmodi, quo & carere sine probro, & abundare sine gloria, liceat: sed eam, ad quam omnes aspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones, omniaque consilia referunt, felicitatem.*

\*\*) Non tamen & hic partes tantum enumerari, sed singularum vel definitiones vel attributa quaedam recenseri solent. Sic CIC. *de Offic. I, 4.* quum e Stoica philosophia didicisset, quatuor esse virtutes cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam: singularum definitiones una hac eaque elegantissima, periodo complectitur: *sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, sollertiaque versatur: aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique & rerum contractarum fide: aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore: aut in omnium,* quae

*quae fiunt, quaeque dicuntur, ordine & modo, in quo inest modestia ac temperantia.*

## VI.

Sic etiam CAUSSAS rerum, ipsasque rationes, & argumenta oratori sufficit philosophia \*). Iis vero quam maxime ad periodos caussales concinnandas opus est. \*\*).

\*) Philosophia enim, quum sit solida veri bonique cognitio, non solum τὸ ὄν, verum etiam τὸ διότι, investigat. Nam scire est rem per causas nosse.

\*\*) Periodi caussales nascuntur, si propositiones suis muniantur rationibus. Rationes vero solidissimas suppeditat philosophia. Exemplo sit elegantissima periodus apud CIC. *de amicit. cap. 11.* Propositio eius haec est: *nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.* Eam hac solidissima ratione fulcit: *Nam quum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit: difficile est, amicitiam manere, si a virtute defeceris.*

## VII.

Sed & EFFECTUS & ADIUNCTA rerum, quibus saepe egregie amplificatur periodus, e philosophia petuntur \*).

\*) Mira est eiusmodi periodorum elegantia, si rem veluti vivis coloribus depingere, atque ob oculos ponere velis. Effecta enim & adiuncta, quum maxime incurrant in sensus, tam luculentam reddunt orationem, ut rem non audire nobis, sed oculis usurpare videamur. Insignem haec usum habent in describendis personis, quarum χαρακτήρες non, nisi ex interiore philosophia morali peti possunt. Quam accurata est descriptio Catilinae apud SALLUST. *Catil. cap. 5.* *Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuique credibile est, animus audax, subdolos, varius, cuius rei libet, simulator ac dissimulatur, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis loquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.* Sic SENECA *de ira I, 1.* *iracundiae turpitudinem exaggeraturus effectus & adiuncta furoris & irae inter se contendit: Nam ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus; inquietae manus, color versus, crebra & vehementius aeta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi,*

li., multus in ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subri-  
guntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos  
torquentium sonus, gemitus mugitusque; & parum explanatis vocibus  
sermo praeruptus, & complosae saepius manus, & pulsata  
humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens,  
foeda visu & horrenda facies, depravantium se atque intumescen-  
tium. CIC. de mansuetudine in orat. pro M. Marcello 3. animum  
vincere, cet. iudico.

(Hypotyposis atque diatyposis huc pertinent, quae totae  
propemodum in hoc insunt, ut effectus & adiuncta rerum na-  
tavis quasi coloribus picta ponantur ante oculos. Exempla ali-  
quot praeclara suppeditat CAMERARIUS in *elementis rhetoricis*,  
libello vel hoc nomine commendando. G.)

## VIII.

Itemque con-  
traria & con-  
ditiones.

Nec minus CONTRARIA \*), & CONDITIO-  
NES \*\*), quibus ad construendas periodos saepe opus  
est, e philosophia mutuanda sunt.

(De his in periodorum doctrina: sed possunt etiam ora-  
tionis aut libri argumentum esse: in quibus diversae res con-  
trariae comparantur: aut conditiones, sub quibus aliquid fieri  
vel non fieri possit, exponuntur. Si quis fidem commenda-  
re velit, vix potest melius, quam perfidiae malis enumeran-  
dis. G.)

\*) Sic praeclare sapientiam & curiositatem seiungit CIC.  
de finib. V, 18. Omnia quidem scire, cuiusque modi sint, cupere,  
curiosorum: duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupidita-  
tem scientiae, summorum virorum est putandum.

\*\*\*) In conditionibus quantum momenti sit positum, ne-  
mo ignorat. Quidquid enim adfirmari negarique potest, non  
absolute, sed certa sub conditione verum est. Quenam ve-  
ro sint singularum veritatum conditiones, id quidem philo-  
sophia docet. Sic CIC. de offi. I, 29. ostensurus, qua condi-  
tione iocari liceat: Ludo autem & ioco, inquit, uti illo quidem  
licet, sed sicut somno & quietibus ceteris, tum, quum gravibus  
seriisque rebus satisfecerimus.

## IX.

Sententiae et-  
iam e philoso-  
phia petendae.

Idem dicendum de SENTENTIIS \*), quae vix  
ullam vel venustatem vel dignitatem habent, nisi ex  
intima philosophia depromantur.

Sa-

\*) Sane; qui maxime ob sententiarum gravitatem concin-  
nitatemque commendantur, philosophi fuerunt, veluti e Grae-  
cis EPICARMUS & EURIPIDES, e Latinis SENECA & PLINIUS.  
Nec praetermittendae tamen hic sunt, quae supra (P. I. cap. 2.  
§. 56.) de SENECAE sententiis dedimus, observationes. Merito  
hic consulendus est HENR. STEPHANUS in *dissertatione* elegan-  
tissima de habendo delectu sententiarum, quae γράματα a Graecis  
dicuntur; ubi observat, improbas plerumque esse sententias,  
quae non ad philosophiae praecepta, sed ad vulgi opinionem  
formentur. Tales sunt illae MENANDRI:

Ἀπλὴν γὰρ ἦν.

Τὸν μὴ δυνάμενον εἶν ἀλόπως ἀποδεδῆναι

Satius fuisset, eos, qui sua quadra vivere nequeunt, occidere,  
(quam pauperibus stipem dare;) nec non PLAUTI:

Enimvero dii nos, quasi pilas, homines habent.

Praemissa est utilissima illa STEPHANI *dissertatio comicorum  
Graecorum sententiis*; ab eo editis εΙΣΙΔΕΙΞΙΝ. in 16.

## X.

Sed haec quidem praecipua sunt fundamenta stili,  
quae singularibus periodis suppeditant materiam. (Quin  
totis etiam libris materiam suppeditant definitio & di-  
visio. G.) Proximum est, ut & ea, quae integris ar-  
gumentis inserviunt, consideremus. Et horum quidem  
tria sunt, LOCUS COMMUNIS, SYLLOGISMUS,  
& ENTHYMEMA.

Fundamenta  
stili quae ar-  
gumentis in-  
serviunt.

## XI.

LOCUS COMMUNIS est tractatio thematis mo-  
ralis \*) vel politici \*\*) generalior, quae deinde ad  
hypothesin accommodatur \*\*\*).

Locus commu-  
nis quid?

(Locus igitur communis est quasi maior propositio omnium  
syllogismorum. v. g. Laudandus est Horatius Cocles ut vir for-  
tis. Thesis, Horatius est laudandus; ratio, quia est vir fortis.  
Omnis autem vir fortis est laudandus, etc. Deinde inverto. Ita  
proditor est puniendus. Ingratus est odio dignus, etc. G.)

\*) Dicitur non potest, quantum eiusmodi loci communes or-  
nent orationem. Hinc vix ulla CICERONIS exstat oratio, paulo  
diligentius scripta, cui non locus communis quidam mora-  
lis intextus sit. Sic e. g. in oratione pro Sext. Rosc. cap. 16. & 18.  
elegantem disserit de laudibus vitae rusticae: cap. 23. 24. prae-  
clare ex philosophia morali disputat, pessime parricida tran-  
quil-

quillo animo esse? & an tam nefandum crimen praesumatur? (cap. 38. & 40. de mandati ac societatis religione. G.) In oratione pro T. Annio Milone cap. 16. tractatur locus communis de moderamine inculpatae tutelae. In oratione pro Marcello cap. 2. & seqq. demonstrat, maiorem esse clementiae, quam rerum bello gestarum, laudem. (Pro Muraena agit de laudibus imperatoris prae ICto: pro domo de religionibus; pro L. Manilio de virtutibus imperatoris; pro Caelio, quasdam indulendas iuventuti esse voluptates, etc. G.) Talium locorum communium plenae sunt CICERONIS, PLINII, & recentiorum quoque oratorum, veluti MURETI, MAIORAGII & BUCHNERI orationes.

\*\* ) Nonnumquam & politica themata intexuntur orationi. Sic CICERO in orat. pro Sexto Roscio cap. 20. eleganter disputat, qua lege accusatores tolerandi sint in republica? Plura occurrunt in BUCHNERI panegyricis. Exempli loco esse poterit oratio V. ubi p. 133. disserit de studiis juvenilibus principum; p. 135. de utilitate peregrinationum; p. 136. de virtute uxoris principis; p. 159. an quis suam sibi possit fingere fortunam? cet.

\*\*\* ) Paulo aliter itaque loci communis vocabulum accipit APHTHON Progymn. VII, 1. dum eum vocat λόγον ἀνζητητῶν τῶν προσόντων τινὶ καλῶν ἢ κακῶν orationem augentem ea, quae in aliquo sunt bona vel mala. Alius enim est locus communis oratorius; de quo nos hoc loco: alius progymnasticus, de quo APHTHONIUS agit, (qui has illi partes assignat; legitimum, iustum, utile, possibile, honestum, eventurum, horumque omnium contraria. G.)

## XII.

Ceterum locus communis quisque constat THESI & AETIOLOGIA. Accedit nonnumquam ILLUSTRATIO a simili, comparatione, exemplis, contrario, testimoniis \*). Quo vero ordine haec omnia proponenda sint, in oratoris positum est arbitrio \*\*). (Illud tamen tenendum, ne ordine genus illustrationum temere cumulet. G.)

\*) Exemplum dabimus, locum communem CICERONIS de accusatoribus improbis, qui in orat. pro Sexto Roscio c. 20. Hic.

I. THESIS praemittitur. Interest reipublicae, ut multi sint accusatores, dummodo non calumnientur. Hanc thesin ita profert CICERO: Accusatores multos esse in civitate, utile est, ut metu contineatur audacia. Verum tamen hoc ita est utile, ut ne plane illud clamur ab accusatoribus. Accedit statim.

## II. AETIO-

II. AETIOLOGIA. Innocens est quisquam, verumtamen, quamquam abest a culpa, suspitione non caret. Tametsi miserum est, tamen ei, qui accuset, possim aliquo modo ignoscere. Quum enim aliquid habeat, quod possit criminosae ac suspiciosae dicere, aperte ludificari, & calumniari sciens non videtur. Quare facile omnes patimur esse quam plurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolvi potest: nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Utilius est autem, accusari innocentem, quam nocentem causam non dicere. Sequitur

## III. ILLUSTRATIO, petita

I. a simili. Anseribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significant, si fures venerint. At fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, quum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis, crura suffringentur, quod acres sint, etiam tum, quum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant; nocere non possunt. Alii canes, qui & latrare & mordere possunt. Cibaria vobis praebere videmus. Vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratissimum est. Deinde si voletis, etiam tum, quum verosimile erit, aliquem commisisse, in suspitione latratote, id quoque concedi potest.

II. a ritu antiquo, calumniatorum frontibus litteram K inurendi. Sin autem sic agetis, ut arguatis, aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, & tantummodo sine suspitione latrabitis; crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego vos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigenti, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis. Aliquando tamen omittitur illustratio, eiusque loco consecrarium aliquod additur. Exemplum habes apud SCHWARZ. de orat. concinna §. 29. Seligemus unum, quod p. 33. attulit:

THESIS: Ille neutiquam dives est, qui neque finem habet cupiendi, neque modum statuit utendi.

AETIOLOGIA: Nam & multum desiderare, egentis est signum, & nihil parcere, egestatis initium.

CONSECRARIUM: Adeo, ut malim paucis iucunde frui, quam magnas opes immoderato animo vel adpetere, vel prodigere.

\*\* ) Idem sane CICERO in orat. pro Arch. locum communem de optimarum artium studiis ita disponit, ut illustrationem aetiologiae partim praemittat, partim subiungat.

I. THESIS. Ego multos homines excellenti animo ac virtute

M

fuis-

fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino per se ipsos & moderatos & graves existisse, fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.

II. ILLUSTRATIO, petita ab exemplis. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, modestissimos homines & continentissimos: ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum, M. Catonem, illum senem: qui profecto si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuvarentur, numquam se ad earum studium contulissent.

III. AETIOLOGIA. (Est nova Thesis; Litterae oblectant ipsum litteratum. G.)

I. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur.

(Sequitur denuo nova Thesis: Mirari eas decet etiam alios. G.)

2. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus; tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus.

III. ILLUSTRATIO nova. (Id ipsum exemplo illustratur. G.) Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui, quum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur, omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus; nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?

### XIII.

Quum vero oratio constet argumentis, argumentaque syllogismis concludantur: facile patet, usum plane incredibilem esse SYLLOGISMI oratorii. Languida enim nervisque suis destituta videbitur oratio, quantumvis ornata, quae eiusmodi syllogismis non constat \*).

\*) In

\*) In alia omnia quidem ire videri posset QUINCTILIANUS Inst. orat. V, 14. dum ita praecipit: Namque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti, nefas non duco, ita constare totam aut certe confertam esse adgressionum & enthymematum stipatione, minime velim. Dialogis enim ac dialecticis disputationibus erit similior, quam nostri operis actionibus, quae quidem inter se plurimum differunt. Sed facile patet, non de oratoriis syllogismis eum loqui, sed de dialecticis, quos nemo paullo prudentior in elegantiore oratione toleraverit. Hinc statim addit: Nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio, & saepius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros litterarum, loquendum est; quos nisi & delectatione allicimus, viribus trahimus, & nonnumquam turbamus adfectibus ipsa, quae iusta ac vera sunt, tenere non possumus. Locuples & speciosa vult esse eloquentia, quorum nihil consequetur, si conclusionibus contortis & crebris & in unam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam servitute, & ex copia satiетatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Nos ergo, quum non de contortis conclusiunculis, quales in dialecticis disputationibus vibrantur, sed de syllogismis copiosis & uberioribus, qui non in unam formam cadunt, loquamur: facile possumus QUINCTILIANO conciliari. (Itemque ita, quod QUINCTILIANUS aetiologiam & illustrationes excludit a syllogismi appellatione, quas Auctor comprehendit. G.)

### XIV.

Est vero syllogismus oratorius iusta ratiocinatio, cuius singulae partes ita deducuntur atque amplificantur, ut syllogismi materia ac forma in tanta verborum copia latitans non nisi ab eruditis possit animadverti \*).

(Nempe Auctor syllogismi nomine omne argumentum, omnem rationem probantem comprehendit. Sed non ita sumunt antiqui rhetores, qui syllogismum ibi demum agnoscunt, ubi satis prope sibi propositiones & conclusio admoventur. G.)

\*) Sic CICERONIS oratio pro Sexto Roscio paene tota ex syllogismis composita est. Sed eos tamen, nisi ostendatur, dispositio, vix quisquam lectorum animadverteret. Immo aliquando adeo multis verbis involvitur syllogismus, ut syllogismum proferri, nemo animadvertat, maxime si perturbatiore ordine collocantur propositiones. Exemplo id demonstravit ANTON. RICCOBON. in comment. ad Aristotelis lib. I. cap. 2. de arte rhetorica p. 57. CIC. orat. pro Caelio cap. 19. 20.

In Caelio nulla est luxuries, est enim deditus optimarum artium studiis, quo in hominum genere nulla luxuries esse solet. Hic primo CONCLUSIO est, quam ita CICERO proponit: At vero in M. Caelio nulla luxuries reperietur, nulli sumtus, nullum aes alienum, nulla conviviorum ac lustrorum libido, quod quidem vitium ventris & gutturis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem & haec deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestiae non solent esse, (mature enim & celeriter deflorescunt,) numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Conclusioni MINOREM propositionem, seu adsuntum subiungit CICERO: Audistis, quam pro se diceret, audistis antea, quum accusaret, genus orationis, facultatem, copiam sententiarum, atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. Atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis, quod saepe etiam, si industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus: sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio, & bonis artibus instituta, & cura & vigiliis elaborata. Denique & MAIOR propositio subiungitur, cuius ἐξερυσία talis est: Atque scitote, iudices, eas cupiditates, quae obiciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando, possit sustinere.

## XV.

Ceterum SYLLOGISMUS oratorius ita elaboratur, ut singulis propositionibus, quas praemissas vocant, subiiciatur vel AETIOLOGIA, vel ILLUSTRATIO, vel utraque\*). Quo ordine tum propositiones, tum membra illa, disponenda sint, denuo in oratoris positum est arbitrio\*\*).

\*) (Pulcherrimum syllogismi vel tripartiti, vel quinquepartiti, exemplum est CICER. de Inv. I, §. 38. & 39. G.) Sic Sextus Roscium Amerinum defensurus CICERO, non cadere in illum parricidii suspicionem, hoc syllogismo ostendit:

Quicumque parricidii suspectus est, is audacissimus sceleratissimusque sit, oportet.

Non autem huius notae est Sextus Roscius.

Non ergo est parricidii suspectus.

Maiori propositioni statim addit aetiologiam: Est enim crimen horrendum; ut & illustrationem a testimonio: Vultu saepe lae-

ditur pietas. Minorem etiam CICERO probat atque illustrat per περιρμόν, ostenditque, Roscium nec audacem esse, nec luxuriosum nec avarum. Ipsam CICERONIS ἐξερυσίαν statim subiiciemus.

\*\* ) Non ergo ordinem naturalem servandum semper existimamus. Magna hic oratori relicta est libertas. Exemplo paulo ante adducto rem illustrabimus. CICERO syllogismum suum procul dubio ita animo conceperat:

I. MAIOR. Quicumque suspectus est parricidii, eum audacissimum sceleratissimumque esse oportet.

1. Aetiologia: Est enim crimen horrendum.

2. Illustratio: Quum enim vultu laedatur pietas: quanto magis parricidio?

II. MINOR. Sextus Roscius non est talis.

Aetiologia & illustratio per περιρμόν. Non est audax, nec luxuriosus, nec avarus.

III. CONCLUSIO. Ergo non suspectus est parricidii.

At in elaboratione alio ordine utitur. Aetiologiam enim atque illustrationem ipsi maiori propositioni praemittit hoc modo:

I. Aetiologia maioris. Occidisse patrem, Sextus Roscius arguitur. Scelustum, dii immortales, ac nefarium facinus, ac eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur.

II. Illustratio maioris. Etenim, si, (id quod praecclare a sapientibus dicitur,) vultu saepe laeditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit patri, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana cogeant?

III. MAIOR propositio. In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro exsistit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur: quibus tandem te, o Eruci, argumentis accusatorem, censes, uti oportere? nonne & audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feroces, immanemque naturam, & vitam vitis flagitiisque omnibus deditam, denique omnia ad perniciem profligata atque perditam?

IV. MINOR. Quorum tu nihil in Sextum Roscium ne obiciendi quidem causa contulisti.

Probatio & illustratio minoris per περιρμόν. Patrem occidit Sextus Roscius? Qui homo? Adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, & saepe in caede versatus? At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimium, & aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates, ad hoc scelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucius, quum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui, ut ip-

*se accusator obiecit, rure semper habitavit, & in agro colendo vixerit? Quae vita maxime disiuncta a cupiditate, & cum officio coniuncta.*

VI. CONCLUSIO. *Quae res ergo tantum istum furorem Sexto Roscio obiecit?*

Eadem libertate oratores etiam minorem maiori propositioni, aut utriusque conclusionem praemittunt. Id quod, nisi brevitati studeremus, facile posset exemplis quam plurimis demonstrari.

## XVI.

Quum vero non semper utraque praemissarum ad rei demonstrationem videatur necessaria: non raro alterutra omittitur, & tunc quidem e syllogismo fit ENTHYMEMA oratorium \*)).

*Enthymema oratorium.*

\*) Non ergo singularia quaedam praecepta exigit ENTHYMEMA. Vid. QUINCT. *lib. V. Instit. orat. cap. 14.* Hoc enim a syllogismo oratorio differt, quod alterutra praemissarum omittitur. Ubi recte observat ARISTOTELES *de arte rhetor. lib. I. cap. 2.* eam omittendam esse propositionem, quae iam satis nota sit auditoribus. *Ἐὰν γὰρ ἢ τι τῶτων γνώριμον, εἰ δὲ δὲ λέγειν, ἀντὸς γὰρ τῆτο προσιθῆσιον ὃ ἀκροάτης.* Si enim aliquid sit horum notum non oportet dicere. Ipse enim id supplet auditor. Altera, quae reliqua est, eadem ratione elaboratur, quam in syllogismis oratoriis paullo ante ostendimus. (Enthymematis ex antiqua disciplina tractatio hic supplenda ex QUINCTIL. 5, 14. it. 8, 5, 9. v. g. enthymema est CICER. *pro Ligar. c. 4. Quorum impunitas, Caesar, tua maxima laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio?* Est argumentatio brevis a contrariis, quae multo languidior esset, si in syllogismi formam redigeres. Quorum impunitas tibi laudi est, ab iis non debes ad crudelitatem moveri. Atqui eorum, qui Ligarium accusant, impunitas, a te concessa, tibi laudi est. Ergo ab accusatoribus Ligarii non debes ad crudelitatem incitari. Iam satis est. Conf. CICER. *pro Milone cap. 29. G.*)

## PARS II. SPECIALIS DE VARIIS SCRIPTIONIBUS IN SOLUTA ORATIONE USITATIS.

## CAPUT I.

## DE EPISTOLIS.

## I.

DE conscribendis epistolis innumeri ferme praecepta satis proluxa dederunt \*): sed, mea quidem sententia, paucissimi fecerunt operae pretium. Quum enim plerique epistolas certis regulis adstringere auctori sint: praestantissimae optimorum auctorum epistolae, opera quippe extemporali scriptae, longissime ab illis regulis discedunt \*\*). Ex quo consequitur, ut aut epistolas CICERONIS, PLINII, aliorumque innumeras proscribendas, aut praecepta illa epistolographica parvi aestimanda iudicemus.

*Pleraque institutiones epistolicae nullius momenti sunt.*

\*) E veteribus de epistolis conscribendis nonnulla commentati sunt DEMETR. PHAL. *de eloquat. (§. 231. 244.)* & GREGOR. NAZIANZ. *epistola singulari*, quam seorsum cum AD. THEODORI SIBERI *commentario* prodiisse novimus, Viteb. clōlōcviii. 8. Post renatas litteras innumeri eiusmodi prodire libelli, e quibus palmam reliquis praeferunt IO. LUDOVICI VIVIS *de conscribendis epistolis*, Colon. clōlōxxxvi. 8. DESID. ERAS. & CONR. CELTIS eiusdem tituli libelli, Colon. clōlōlxxxiii. 8. ROB. BRITANNI *ratio conscribendarum epistolarum*, Lutet. Paris. clōlōxlvi. 8. IO. DESPAUTERII *ars epistolica*, Lutet. Paris. clōlōxxxv. 8. HENR. FARNESII *de imitatione Ciceronis, seu de scribendarum epistolarum ratione*, Antu. clōlōlxxxi. 8. MELCH. FÜNII *scholae rhetoricae de contexendarum epistolarum ratione*, Argent. clōlōlxxxvii. 8. IUSTI LIPSII *institutio epistolica*, (episto-

lis ipsius subiuncta, G.) *Antu.* c1010cv. 4. DAN. GE. MORHOFII *collegium epistolicum*, *Lubecae* c1010ccxvi. 8. (a10. BURC. MAIO auctum quem librum reliquis in eo genere praefero, quorum ipse quoque luculentam habet notitiam, ut & recensum epistolarum, quae editae exstant. G.)

\*\*\*) Solent enim eiusmodi auctores certas tradere regulas de quarumvis epistolarum argumentis & dispositione, quas tamen nemo veterum adcurate observavit, neque hodiernum quisquam eruditorum observat. Hinc si gratulatoriam quamdam CICERONIS epistolam contuleris cum praeceptis IO. PHIL. HORSTII, SAM. SCHMIDII, aliorumque scriptorum: non observabis, ad ista praecepta se adstrinxisse liberum CICERONIS ingenium. Alii formulas epistolicas collegerunt, veluti HENR. ARNINGIUS in *medulla variarum, earumque in orationibus usitatissimarum connexionum*, *Ienae* c1010clviii. 12. HANNARDUS GAMERIUS MOSAEUS in *auctoritatibus Ciceronis*, *Col.* c1010clxxvii. 8. MICH. NEANDER in *epist. familiarium formulis*, *Lips.* c1010xc. 8. IAC. PONTANUS in *centuria epistolicarum formularum*, *Coloniae* 8. GABR. PRATEOLUS in *floribus & sententiis scribendisque formulis illustrioribus ex Cicerone*, *Paris.* c1010lxxvii. 16. ANDR. REYHERUS in *florilegio epistolico*, *Gothae* c1010clxvi. 8. IO. STARKIUS in *thesauro epistolari locorum & formularum epistolarum*, *Hamb.* c1010cxxi. 8. CAR. VIRULUS in *formulis epistolarum*, *Paris.* c1010cccclxxx. & alii complures, sed, qui in haec formularum dumeta se relegari patiuntur, iis merito acclamaveris illud HORATII:

*O imitatores, servum pecus!*

Liberrima est epistolas conscribendi ratio, sunt enim epistolae familiare inter absentes colloquium. Atqui familiares sermones regulis & formulis se circumscribi, haud patiuntur. Ex quo consequitur, ut, quo simpliciora brevioraque sunt praecepta epistolica, eo meliora iudicanda sint.

## II.

Epistolae eruditorum Latinae variorum generum sunt. Aliae enim de rebus philosophicis, aliae de mathematicis, aliae de philologicis & criticis, aliae de theologicis, iuridicis, medicis, aliae denique de historicis conscribuntur. Quas omnes, quum non tam epistolae, quam dissertationes, videantur, nec tam elegantiam, quam acumen eruditionemque & diffusam lectionem, ostentent, huc plane non pertinere arbitramur.

*Varia epistolarum genera.*

*phi-*

*philosophicis*) Tales sunt epistolae SENECAE, quas si dissertationes philosophicas ac morales dixeris, non errabis, ex mea quidem sententia. Unde non dubito, eorum accedere sententiae, qui SENECAM eas non ad Lucilium misisse, sed amici causa, prout quidque in mentem venerat, in chartam coniecisse, existimant. Tales etiam sunt epistolae BERN. BALDI, *Mediol.* c1010lviii. 8. CORN. BOVILLII, *Geneu.* c1010lx. cum reliquis operibus, REN. DESCARTES, *Amst.* c1010lxviii. 4. HONORATI FABRI, *Francof.* c1010clxxiii. 12. MARS. FICINI, *Florent.* c1010cccclxxxv. 4. IAC. HORSTII, *Lips.* c1010lxxxxv. 8. aliaeque complures.

*mathematicis.*) Veluti epistolae MATTHIAE BERNEGERI & IO. KEPLERI mutuae, *Arg.* c1010clxxii. 12. GUIL. SCHICKARDI & MATTHIAE BERNEGERI, *Arg.* c1010clxxiii. 12. aliaeque.

*philologicis.*) Huc pertinent epistolae ROL. MARESH, *Paris.* c1010ciii. 8. & *Lips.* c1010clxxxii. 12. RICH. DE BURI, *Franc.* c1010lx. 8. & IO. CASELII, *Helmst.* c1010cxxiii. 8. & *Hamb.* c1010c xviii. 8. IANI DRUSII, IO. CORASII, IUSTI LIPSII, ALDI MANUTHII & IANI PARRHASII *quaesita per epistolas*, [LAUR. PIGNORII *symbolae epistolae*, N.] ceterae.

*criticis.*) In rebus criticis occupantur pleraeque epistolae SCALIGERORUM, IS. CASAUBONI, CL. SALMASII, CL. SARRAVII, TH. REINESII ad *Hoffmannum*, *Rupertum*, *Daumium*, *Bosium*, FORT. LICETI, IUSTI LIPSII, CAEL. CALCAGNINI, TAN. FABRI, IANI GRUTERI, IO. WOWERII, & variae illae viro- rum doctorum, quarum syllogem tomis V. in forma maiori quarta publici iuris fecit V. C. PETRUS BURMANNUS, *Leidae* c1010cccxxiii. xxvii. (Thesaurus hic non est liber, & is bonam partem non criticus. Io. Fr. Gronovius, Nic. Heinsius, Iac. Vinc. Fabricius suavissimas epistolas scripsere, & minime criticas. [Ad hoc exemplum nunc prodit *sylloge nova epistolarum varii argumenti*. Accepimus *Volumina IV. Norimbergae imp. hered. Felseckeri* MDCCLX. sqq. 8. Optamus, ut sequantur similia his quam plurima.] Sed criticis annumerandae sunt IO. CASP. HAGENBUCHII *epistolae epigraphicae* ad Bonhierium & Gorium, etc. *Tig.* MDCCXLVII. 4. G.)

*theologicis.*) Quales sunt epistolae pleraeque HIERONYMI, AUGUSTINI, aliorumque patrum, & e recentioribus (ERASMI ROTEROD. M. LUTERI, IO. CALVINI, G.) IO. LAUNOII, EPISTOLAE CLARORUM VIRO- RUM de causa remonstrantium, M. ANT. FLAMINII, LUD. MONTALTI, aliaeque complures.

*iuridicis.*) In iuridico argumento saepe versantur viri generosi GREG. MAIANII *epistolarum libri VI.* qui prodierunt *Va-*  
*len-*

*lenticiae Edetanorum* c1010ccxxxii. 4. in quibus orationis nitor cum rerum, quas explicat, praestantia certare videtur. ( Si responsa, quae vocare solent, huc referas, nihil erit copiosius. G.)

*historicis.*) Quo pertinent epistolae AUG. GISL. BUSBEQUII, HERM. CONRINGII, MELCH. GOLDASTI, HUG. GROTHII, HUB. LANGUETI, PETRI MARTYRIS ANGLERII, PHIL. MELANCHTHONIS, SFORC. PALLAVICINI, ( IAC. TOLLII, CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII, G. ) ANDR. CHRYSOST. ZALUSKII, & aliorum. Nuper, ut alia omittam exempla, varias Galliae cisalpinæ & transalpinæ antiquitates eruditus epistolis explicavit SCIP. MAFFEIUS, Veronensis, quae prodierunt sub titulo: *Galliae antiquitates quaedam selectae, atque in plures epistolas distributae*, Veron. c1010ccxxiii. 4.

## III.

Magis huius loci sunt epistolae, quae non eruditionis ostentandae, sed testandi amoris aut animorum conciliandorum causa scribi solent: in quo genere scribendi CICERO, PLINIUS, PAULLUS MANUTIUS, MARCUS ANTONIUS MURETUS, LATINUS LATINUS, IANUS NIC. ERYTHRAEUS, AON. PALEARIUS, PETRUS CUNAEUS regnant \*).

*Cicero.* CICERONI in omni epistolarum genere non temere ullus comparandus est. Sane in *epistolis ad diversos* incomparabilis eloquentia, in *epistolis ad Atticum* insignis prudentia & adfectus ubique elucet, facileque adparet, CICERONEM, sive iocari, sive irasci, sive permovere maluerit, omnes alios longo post se intervallo reliquisse. Vid. HENR. STEPHANI *dissertat. de vario epist. Ciceron. genere*. Merito ergo epistolae illae incomparabiles assidua lectione in succum & sanguinem vertendae, nec umquam e manibus deponendae sunt. Quem fructum inde cepit HERM. BUSCHIUS, ostendit IO. FREINSHEMIUS *orat. IV. p. 46.*

*Plinius.* PLINII epistolae succinctae & festivae, facetae & acutae, & concinnis sententiis distinctae, mirifice placent viris ingeniosis. Sed stilum tamen hunc non omnes decere, nec omnibus convenire ingeniis, palam est. PLINIUS, inquit LUD. VIVES, *doctis atque acutis ingeniis mirifice est aptus, qui scholasticas inter se mittunt epistolas & umbraticas, quibus oportet plus ornatus & condimentum adiungi, quando rebus non perinde nituntur*. Adde MORHOF. *Polyhist. I, 1. 13. 20. p. 300. Tomo I.*

MANUTIO nemo accuratius Ciceronianam dictionem expressit. Longius tamen abest a Ciceronis vigore & prudentia. Unde eius epistolae ornatae quidem, at a rebus plane inopes adparent. Quae forsitan causa est taedii illius, quod, CASP. SCIOPPIO iudice, legentibus MANUTIUM obrepere soleat. ( Ipsa nempe ratio, qua scripsit & emendavit, ostendit, vix bonas esse posse. G. ) Recentissima & optima editio est KRAUSIANA. Elegantissimam eius epistolam, quam MARQU. GUDIUS omnium epistolarum PAULLI MANUTII reginam vocare solebat, e bibliotheca huius viri docti edidit MORHOF. in *Polyhist. I, 1. 25. 41. p. 345. Tomo I.* ( Sed tum hac epistola, tum multis rebus aliis suam editionem instruxit Cl. KRAUSIUS. G. )

Qui Paulo Manutio deesse videtur vigor & spiritus, M. ANT. MURETO plane est admirandus, ut hunc ego inter recentiores reliquis omnibus anteponere, non dubitem. Quod iudicium etiam est IANI NICII ERYTHRAEI in *Pinacoth. I, 5.*

Prodierunt LATINI LATINII epistolae *Romae* c1010ccxxxviii. 4. & praeter rerum varietatem ob Latinitatis nitorem quam maxime commendantur.

IAN. NIC. ERYTHRAEUS, vel potius, qui sub eo nomine latet, IO. VICT. ROSCIUS, Romanus, in eloquentia Latina adeo excelluit, ut in arte sua iure Roscius dicatur. Prodierunt epistolae eius admodum nitidae atque urbanae, ( in quibus tamen puritatem desidero, G. ) *Colen.* c1010ccxlv. 8. aliquot voluminibus, quae acutissimo GABR. NAUDEO adeo se probarunt, ut eas PETR. BEMBI & ANG. POLITIANI epistolis longe anteponat. Vid. NAUD. *epist. 66.*

Eruditissimus ille martyr, AON. PALEARIUS tam feliciter expressit CICERONIS compositionem, numerum, elegantiam, ut mihi, cum MURETO, reliquis omnibus excellere videatur. Novissima nitidissimaque opusculorum, epistolarum ac poematum eius editio prodiit ( *Lenae* c1010ccxxxviii. 8. cura FR. ANDR. HALLBAVERI. G. )

Eloquentiae laudem etiam non denegaveris epistolis PETRI CUNAEI, quas nuper edidit vir publico rei litterariae bono natus PETR. BURMANNUS, *Lugduni Batavorum* c1010ccxxv. 8.

\*) Aliquam stili elegantiam prae se ferunt epistolae ANGELI POLITIANI, PETR. BEMBI, ( affectatae puritatis & elegantiae, G. ) ERASMI *Roterodami*, ( vigoris & rerum plenae, historiae causa legendae, G. ) IOACH. CAMERARII, ROG. ASCHAMI, IUSTI LIPSII, ( diversissimae pro personis, ad quas scribit, G. ) DOM. BAUDII, AUG. BUCHNERI, ( nimis neglectae, G. ) IO. GEORG. GRAEVII, ( praefationes & dedicationes maiorem partem, G. ) CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII,

*Manutius.**Muretus.**Latinus.**Erythraeus.**Palearius.**Cunaeus.*



(tumidum quiddam & histrionicum habentes, G.) [EMANUELIS MARTINI; pulcherrimae & suavissimae, N.] sed quum horum plerique singulare quoddam dicendi genus adfectarint, quod non est publici saporis, legendi potius, quam imitandi, mihi quidem, videntur.

## IV

Quotuplices?

Ceterum epistolae Latinae, quibus hodie utimur, vel *familiares* sunt, vel *elaboratiores*. Illae plures plerumque res complectuntur \*): hae de uno themate exarantur diligentius \*\*).

\*) Solent enim familiares, si quando colloquuntur, de variis rebus inter se confabulari. Quae colloquia quum imitentur epistolae, mirum haud est, si & illae de pluribus rebus agant. Tales sunt pleraeque CICERONIS *epistolae ad Atticum*. Exemplum vide *Lib. XV. epist. 25*.

\*\*) Huc pertinent epistolae *gratulatoriae, gratiarum actionariae, petitoriae, commendatitiae*, cet. Per has enim totas regnat una eademque propositio primaria, adeoque adhibitis argumentis, diligentius elaborari solent. Sic CICERONIS *epist. ad divers. XI, 22*. tota est commendatitia, *epist. 12. lib. V.* tota petitoria, eaque elegantissima Uberiorem catalogum, in quo singulae CICERONIS aliorumque epistolae ad suas classes referuntur, dederunt MELCH. IUNIUS *de conscribendis epistolis*, & MORHOFIUS in *colleg. epistolico*, sed qui ab eloquentiae studioso ex tot epistolarum voluminibus postea editis facile augeri posset.

## V.

Epistolas familiares conscribendi ratio.

In epistolis *familiaribus* primo propositiones, de quibus scribere velis, iusto ordine ponantur ob oculos \*). Deinde dispiciatur, habeantne inter se aliquid commune, an plane dissimilis sint naturae. Id enim dabit elegantem connexionem \*\*). Considerentur porro singulae propositiones, an probari illustrarive debeant \*\*\*). Et inde, si accesserit elaboratio, facile nascetur epistola familiaris elegantissima \*\*\*\*). Illud tamen observandum postremo, has epistolas quam maxime exigere moratum ac (si quidem persona illius, ad quem scribitur, non impediatur, G.) iocosum illud dicendi genus, de quo superiore capite disseruimus.

\*) Exem-

\*) Exemplum omnia ista praecepta reddet dilucidiora. Sunto nobis hae propositiones.

- I. *Breviter scribam tuo exemplo.*
- II. *Fiduciam nobis magnam iniicias.*
- III. *Bono ergo animo ero.*
- IV. *Litterarum mearum causa non exspectabis in Italia.*
- V. *Habebis pecuniam.*
- VI. *Servilius tibi amicus est.*
- VII. *Nos non deerimus.*

(Quo magis familiaris nomen tueri debet epistola, eo minus de ordine laborandum. Assidemus, scribere ante incipimus saepe, quam, quid scribere velimus, cogitavimus. Ordinis itaque sola hic illa lex est, quae faciat, ut facilius intelligantur: cui illa accedat, ut, si qua molesta sunt, iis placide accipiendis praeparemus lectorem, & subiungamus etiam iucundiora. In responsoriis nihil commodius & certius, quam sequi ordinem eius epistolae, cui respondemus, cui vel intexi vel subiici possunt alia. G.)

\*\*) Connexiones vel *verbales* sunt, vel *reales*. Illae per particulas & formulas fiunt, hae a propositionum similitudine ac dissimilitudine petuntur. Nonnumquam tamen etiam sine connexionione propositiones componuntur. (Quod plerumque melius est vel ob hoc ipsum, quod familiaris sermonis characterem sic magis refert. G.) Sic *cic. epist. ad divers. XI, 24*. omnes istas propositiones VII. quas paullo ante recensuimus, sine connexionione ita extulit.

I. *Narro tibi: antea subirascebar brevitati tuarum litterarum, nunc mihi loquax esse videor. Te igitur imitabor.*

II. *Quam multa, quam paucis? Te recte valere, operamque dare, ut quotidie melius: Lepidum commode sentire, tribus exercitiis quidvis nos oportere confidere.*

III. *Si timidus essem, tamen ista epistola omnem mihi metum abstersisses. Sed, ut mones, frenum momordi. Etenim, qui, te incluso, omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut non desim constantiae meae.*

IV. *Quod scribis, in Italia te moraturum, dum tibi litterae meae veniant, si per hostem licet, non erraris: multa enim Romae. Sin adventu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius.*

V. *Pecunia, expeditissima quae erat, tibi decreta est.*

VI. *Habes amantissimum Servilium.*

VII. *Nos non desumus. Vale.*

Dabimus tamen operam, ut ne connexioniones inveniamus. (Quas quidem plerasque infelices esse, & firmare proximam nostram ob-

ob-

observationem, quin dissolvissse puerili studio connectendi, quae re ipsa optime inter se devincta fuerant, ipsi illustri Auctori, cui inveni illae exciderunt, me persuasurum speraberim. G.) Inter primam & secundam propositionem similitudo quaedam adparet: *Scribendi rationem brevem imitabor: sed & fiduciam tuam.* Inter secundam & tertiam similitudo quaedam intercedit: utrobique enim *fiducia est.* Inter tertiam & quartam dissimilitudo est: *spes enim est morae impatiens, Brutus vero morabitur in Italia.* Quarta & quinta similes aliquo modo sunt: *Brutus non morari debet in Italia, nec nos in mora erimus, sed mittemus pecuniam.* Tres ultimae simillimae: *Nec pecunia tibi deerit, nec Servilius, nec nos.* Connexio ergo erit talis:

I. Narro tibi: antea subirascebar brevitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax esse videor. Te igitur

II. non litteris tantum, verum etiam virtute animique magnitudine imitabor: brevissima enim epistola tua me de tot rebus novis, id est, de valetudine, voluntateque tua & Lepidi triumque, exercituum virtute reddidisti certiore, tantamque spem iniecasti animo, ut,

III. nisi tuo exemplo optima spe fiduciaque essem, omnium mortalium sim meticulosissimus. Omnem itaque metum, si quis fuisset, ista epistola tua abstersisses: sed, ut vera fatear, iam frenum momordi. Etenim, qui, te incluso, omnem spem habuerim in te: quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut non desim constantiae meae. Quum vero spes nihil aegrius, quam moram, ferat:

IV. nolim profecto, te, litterarum mearum causa, in Italia morari. Equidem, si per hostem licuerit, non erraris: multa enim Romae. Sin adventu tuo bellum confici potest: cave rei gerendae occasionem mora ista tua, dimittas. Sane, ne in nobis ulla tibi mora esset,

V. pecuniam, expeditissima quae erat, tibi decrevimus. Nec argentum ergo tibi deerit, nec, quod omni argento praestantius, amici.

VI. Servilium enim habes tui amantissimum, cuius prolixam erga te voluntatem.

VII. & ego non imitabor modo, verum etiam, quoad eius fieri poterit, studio officisque meis superabo. Vale.

\*\*\* ) Accedunt nonnumquam aetiologiae, ceu ex epistola antecedente adparet, in qua CICERO propositionem III. ratione quadam confirmat. Accedunt etiam illustrationes, veluti exempla, similia, testimonia: sed ita, ut magis per adlusionem innuantur, quam explicentur prolixius. Exemplo erit CIC. *epist. ad divers. V, 12.* in qua eiusmodi illustrationes mirabre-

brevitate concinnitateque cumulas animadvertimus.

\*\*\*\* ) Exemplum eiusmodi epistolae familiaris subiiciemus.

Propositiones sunt sequentes:

I. *Diu admodum siluisti.*

II. *Ego iam rusticor.*

III. *Scribe ad me frequentius.*

Observatis ergo praeceptis, in ipso paragrapho explicatis, haec nascitur epistola:

I. *Tam diuturno me silentio adhuc mulctasti, ut, nisi te ex P. disciplina scirem prodiisse, in Pythagoraeorum castra transiissem te existimarem. Quis, malum, morbus te hominem, olim loquacissimum, inuasit, ut confestim magis mutus videaris, quam piscis? Ego vero praeclare, mihi crede, ulciscar illam pertinaciam tuam, litterisque meis tanto magis te obtundam quotidie, donec odiosissimum istud silentium tuum tibi extorqueam.*

II. *Sed, heus tu, inquires, tantumne tibi otii est, ut bonas horas scribendis epistolis consumas? Est vero, & quidem plurimum. Relicto enim urbano strepitu, nuper in suburbanum illum, quem nosti, secessum, tamquam in portum, me vindicavi. Hic modo rusticor, & temporis nonnihil valetudini, nonnihil remissioni animi tribuo. Interdum, ne nihil potius agere, quam otiosus esse, videar, aliquid parturit ingenium, sed, ut ille ait, plenum ruris & inficetarum.*

III. *Ne ergo me urbanae elegantiae plane capiat oblivio, fac, quaeso, ut a te litteras & frequentissimas, & quales tu mittere soles, Roma ipsa urbaniores, accipiam. Vale.*

## VI.

Ad elaborationes quod adinet epistolas: in iis una regnat propositio, ad quam, tamquam ad centrum, omnes reliquae partes referuntur. \*).

In epistolis elaborationibus una regnat propositio.

\* ) Exempli causa, in *gratulatoriis* propositio illa primaria est: *Gratulor tibi novum munus, natalem, restitutam valetudinem, cet.* In *consolatoriis*: *Aequo animo tibi ferenda fortuna, mors parentis, cet.* In *gratiarum actoriis*: *Gratias tibi ago, quod me principi commendaris, suffragio adiuveris, cet.* (In primis lineis artis oratoriae p. 31. seq. *gratulationis, gratiarum actionis, consolationis, adhortationis, petitionis* partes & rationem breviter, ad epistolarum praesertim scribendarum exercitationem proponimus. Vid. Excurs. IV. sub finem huius libri. G.)

## VII.

Quae deinde  
probanda.

Ea propositio deinde argumentis, firmis potius, quam multis, munienda est, quae facile suppeditabunt ipsae *περιστάσεις*, ut adeo certis argumentorum locis hic supersedere liceat \*).

\*.) Vulgo quidem in institutionibus epistolicis multos argumentorum locos, veluti, *ab utili, iucundo, decoro, facili, honesto, cet.* ostendunt, ex quibus omnia argumenta, tamquam e sedibus aut pluteis suis, depromenda existimant rhetores. Sed his quidem loculis aequo animo carebimus. Ipsae enim *περιστάσεις* rationes scribenti sufficient optimas, & instituto accommodatissimas, nihil ut opus sit istis argumentorum locis, e. g. si cui *gratulandum* fit novum munus, ratio ipsa docebit, ostendendum esse, munus hoc esse optabile, honorificum, virtuteque alterius dignissimum, ex eoque multum decoris ad rem publicam redundaturum, cet. Si *consulendus* quis de obitu filii, ratio ipsa suadebit, ut exponamus defuncti beatitudinem, temporum, quibus subtractus sit, miseriam, christiani in affectibus coercendis officium, cet. Et sic numquam deerunt scribentibus argumenta, dummodo *περιστάσεις, quid? ubi? cet.* expendantur paullo diligentius. (Hoc ipsum vero praestant loci illi supra commemorati, ut ad omnes circumstantias tanto diligentius attendamus, iisque recte utamur. Nihil nos docent loci ante ignoratum, sed recordationem iuvant & distributionem, etc. G.) Utilitatis tamen haud parum tironibus adferre possunt PLANERI *epistolae enthymematicae*, quibus & varia argumenta, vel enthymemata, quae in singulis epistolarum generibus adhibenda videantur, cum cura ostendit, & veterum ac novorum scriptorum epistolas in certas classes retulit.

## VIII.

Dispositio est  
arbitraria.

Perinde autem est, sive argumenta propositioni, sive hanc argumentis praemittas \*).

\*.) Sic MANUTIUS *epist. I. 1.* propositionem argumentis praemittit: *epist. I, 2.* eandem illis subiungit. Nonnumquam propositio argumentis & praemittitur & subiungitur, cuius rei exemplum denuo est apud MANUT. *epist. I, 8.* (Non est tamen hoc simpliciter in arbitrio scribentis: sed videndum, quid cuique loco aptius sit. V. g. si propositio ipsa molestiam allatura videatur, argumenta praeponenda. Interdum perspicui-

ta-

tatis causa necessario praemittenda propositio, etc. Dirigit haec prudentia. v. c. molesta in medium agmen sunt sumenda: a gratis praesertim incipiendum, si quid impetrare velis: propositioni durae sternenda via est: irritatus ad lenitatem in fine revocandus. G.)

## IX.

Possunt & hic argumenta nonnulla aetiologiis illustrationibusve amplificari, dummodo observes, & parcius hoc fieri debere, & brevius. In epistolis enim ad exempla, similia, sententias tantum adludendum esse, iam supra observavimus \*).

An in epistolis locum habeant illustrationes?

\*.) Quam eleganter illustrationibus eiusmodi utatur CICERO, vel ex hac brevi eius *epistola VI. libri VII.* adparet: *In omnibus meis epistolis, quas ad Caesarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam est accessio commendationis tuae, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meae erga te benevolentiae. Tu modo ineptias istas, & desideria urbis & urbanitatis depone, & quo consilio profectus es, id assiduitate & virtute consequere. Hic tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignoverunt Medae, quae Corinthi arcem altam habebat, matronae opulentae, optimates, quibus illa manibus (III. anibus) gypsatisimis persuasit, ne sibi illae vitio veterent, quod abesset a patria. Nam multi suam rem bene gesserunt, & publicam patria procul. Multi, qui domi aetatem agerent, propterea sunt improbat. Quo in numero tu certe fuisses, nisi te extruxissemus. Sed plura scribemus alias. Tu, qui ceteris cavere didicisti, in Britannia, ne ab essedariis decipiaris, caveto: & quando Medeam agere coepi, illud semper memento: Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequaquam sapit. Cura, ut valeas.*

## X.

Accedit nonnumquam exordium, quod vel commune est, vel proprium. Illud omnibus epistolis \*), hoc ei tantum, quam exaramus convenit \*\*). Utrumque brevissimum esse oportere, quilibet intelligit \*\*\*).

Exordia epistolarum qualia?

\*.) Communia exordia sunt, quae de valetudine alterius inquirunt, aut veniam scribendi rogant, aut acceptarum epistolarum sententiam repetunt. (Etiam hic modus est tenendus. Opus est inprimis in purgationibus aut expostulationibus apud occupatos, in aliis non temere. G.) Antiquissimum sollempnissimumque est illud: SI VALES, BENE EST, EGO VALEO, quod tamen

N

men

men iam altero post Augustum aevo evuluerat. Unde non est, quod a nobis demum in usum revocetur.

\*\* ) Plerumque hoc ab occasione, causaque scribendi petitur, adeoque reperitur facillime. E. c. si gratulandum alicui sit munus novum: eius in ipso exordio iniicienda esset mentio. Sic MANUTIUS *epist. I, 2.* Alfonso Carafae gratulaturus purpuram, ita auspicatur: *Solent esse, quae minus expectantur, laetiora. Nihil tamen ista, qua te auctum nuper accepimus, dignitate neque magis expectatum apud eos, qui studia tua, tuos ad virtutem praeclaros impetus noverant, neque iucundius, aut lactitiae maioris unquam fuit.*

\*\*\* ) Generatim enim inter epistolarum virtutes praecipuas est BREVIITAS, adeo, ut eas sinistram manum implere haud debere, scribat SENECA *epist. 45.* Longiores esse solent epistolae ad familiares, iisque quam maxime se oblectari scribit CIC. *epist. ad Quint. frat. I, 1.* Sed hae plerumque, neglectis exordiis, statim ad rem ipsam & variarum rerum narrationem progrediuntur. Nec brevitatis tantum exordia epistolarum commendat, sed & inspectatum. Statim enim nescio, quid admirationis & voluptatis excitant improvisa eiusmodi, atque inexpectata exordia. Elegantissimum ergo exordium CIC. *epist. ad divers. VII, 13.* *Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. Maleste ferebam antea, te invitum istic esse, pungit me rursus, quod scribis, te esse istic libenter.* Sane, quid sibi vellet CICERO hoc inexpectato exordio, intelligere non potuit Trebatius, nisi perlectis sequentibus. Aequè elegans est exordium MANUTII *epist. I, 14.* *Odi paene meos oculos; etsi oculi sunt, id est, omnium rerum carissimi. Sed odi certe peius, quam antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adspetus, tuus complexus eripitur.* Adde illud COELII apud CIC. *epist. ad divers. VIII, 4.* *Invideo tibi: tam multa quotidie, quae mirere, istuc perferuntur.* Item illud PLINII *epist. I, 6.* *Ridebis, & licet, rideas.*

### XI.

Idem de conclusione sentiendum, quae qualis esse debeat, facile ex ipsa propositione primaria intelliges \*).

\* ) Exempli gratia, si cui gratulandum est, per se patet, conclusionem vel votum aliquod complecti, vel cohortationem, vel commendationem nostri, vel aliud quid huiusmodi. Ita etiam epistolis gratiarum actoriis subiicietur vel votum, vel grati animi pollicitatio vel commendatio in futurum. Sunt tamen etiam conclusiones quaedam tantum non omnibus epistolis com-

Ut & conclusiones.

munes, veluti officiorum oblatio, commendatio valetudinis, amicorum salutatio, responsionis flagitatio, & quae sunt huius generis alia. ( Illud modo tenendum, in epistolis ad eos, quorum amicitiam vel parare vel tueri velimus, uti principium, ita finem blandum esse debere, idque tanto magis, quo minus reliquum argumentum placere posse speramus. Ita admirabiliter tractat CICERO Appium *lib. III.* & Metellum *V, 1. 5. G.* )

### XII.

Stilus epistolarum qualis esse debeat, iam *capite 2. partis prioris, num. 61.* satis accurate exposuimus, nihil ut hic addendum ea de re videatur.

Stilus epistolici qualis?

### XIII.

De complicandis etiam obsignandisque epistolis aliquid monere, supervacuum fuerit. Lippis enim & tonsoribus talia sunt notissima. De titulis tamen, quos vocant, & subscriptione, moneo, eum tenendum esse modum, ut ne vel antiquitatis adfectione \*), vel stili barbarie ac novitate \*\*), reprehensionem iure mereamur.

Quid in titulis atque subscriptionibus observandum?

\* ) Antiqui nullo titularum symmate onerabant alios, sed litteris haec praemittebant: M. T. CICERO VOLUMNIO S. P. D. [ additis tamen officiorum dignitatibusque nonnumquam etiam maiorum, nominibus. V. C. M. T. CICERO PROC. (IMP. etc.) C. COELIO L. F. C. N. (i. e. Lucii filio, Caii nepoti) CALDO QAESTORI DES. EP. II. 19. COELIO RUFO AEDILI CURULI DESIGN. II. 10. APPIO PULCHRO (UT SPERO) CENSORI. III. II. N.] Postea saepe addebant: SUO, ut: C. CAECIL. PLINIUS ARRIO SUO S. P. Denique & alterius nomen suo honoris causa praemittere solebant, veluti: ARRIO SUO C. CAECIL. PLINIUS S. P. D. idque diu in vitio positum esse novimus. Parasiticum enim videbatur, nomen suum postponere, ceu ostendunt EL. VINET. *ad Auson. epist. 20.* & MENAG. *Amsen. iur. civ. c. 23. p. 124.* Hinc AUSONIUS *ibid.* PAULLINI praeponens nomen, id metri necessitate excusat:

PAULLINO AUSONIUS. *Metrum sic suasit, ut esses  
Tu prior: & nomen praegrederere meum.*

Quamquam & fastorum titulo prior, & tua Romae  
Praecessit nostrum sella curulis ebur.

( SYMMACHUS, quum ad Augustos scribit, nomen suum post-

ponit, contra quam fecerat PLINIUS: SIDONIUS, & ipse SYMMACHUS ad alios quosvis quum scribunt, suum nomen praemittunt. G.) Semper itaque veteres, omisso titulorum symmate, brevi illa salutatione usi sunt. Et hos quidem imitari non dubitarim, quoties ad familiarem aliquem scribendum esset. At, si viris magnis scribendum, nemini ego quidem auctor fuerim, ut hac antiqua formula utatur. Satius tunc erit, titulos quosdam honoris in casu vocativo epistolae praemittere hoc modo:

VIR ILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTISSIME,  
VIR SUMME, cet.

Ad calcem litterarum recentiore more adiunges subscriptionem:  
ILLUSTRIS EXCELLENTISSIMIQUE NOMINIS TUI.  
*cultor perpetuus.*

vel similem. Dandum enim aliquid hodiernis moribus, ne magnorum virorum dignitatem supercilio scholastico despiciere videamur. (Videndum, quid de his talibus sentiat is, ad quem scribimus, & illius opinioni servendum. Quoties dubitandi causa est, potius moribus saeculi nostri obsequamur, & ceteris partibus tanto scribamur accuratius, ut appareat, non ignorantia, sed certo consilio nos veterem illum morem non tenuisse. G.)

\*\* ) Merito ergo ex Latinis epistolis elaborationibus proscribimus I. salutationes illas: *Salutem & officia*, & similia; & multo magis II. aenigmata illa puerilia: *Mitto tibi NAVEM, prora puppique carentem, cet.* Nec ferendae III. loquutiones abstractae, quas vocant, imitatione Germanicae linguae inventae, veluti: *Dominatio vestra, vestra serenitas, nobilitas, amplitudo, nobilissima dignitas vestra, cet.* Multoque minus tolerandae, quae plane vel barbarae, vel soloecae sunt, e. g. *Vestra devotio, discretio, paternitas, vestra gratia, cet.* (Philippus Pulcher ad Bonifacium VIII. scripsit: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse. G.*) Ignota quoque veteribus illa, extenuandi causa reperta: *parvitas mea, exiguitas mea*, quamvis prius placuerit iam VALERIO MAXIMO in *proem.* (Ita *mea tenuitas* est apud GELL. XII, 1. Nempe ea ratione, ut QUINCTIL. XI, 2. 39. dixit: *Quod meae quoque memoriae mediocritatem sequebatur. G.*) Id vero postea frequentarunt scriptores aevi posterioris, & maxime Christiani, quos vel maxime decebat modestia. HIERON. ad *Tranquillum*: *Et quia meae parvitatibus quaeris sententiam.* Denique etiam IV. ab illo more, alios tertia persona compellandi, merito abstinemus, v. c. *Iussit me excellentia vestra, si quid novi gestum fuerit, eam de illo reddam certiozem. Sciat ergo cet.* Putida haec omnia sunt, & a

La-

Latinae linguae indole aliena aequae ac compellatio in persona secunda singulari a more linguae Germanicae.

## CAPUT II.

### *De orationibus conscribendis.*

#### I.

Alterum scriptionum genus, quo hodie nonnumquam utimur, sunt ORATIONES. Eas conscribendi rationem quum ex instituto ostendant rhetores, supervacuum forsitan fore videbitur, ea de re vel verbum addere. Enimvero quum alia hodie, quam olim, sit oratoriae ratio, neque vetera illa rhetorum praecepta nostrae reipublicae nostroque saeculo possint adcommodari \*): licebit & nobis pauca quaedam de conscribendis orationibus monere.

*Cur etiam de  
conscribendis  
orationibus  
praecepta  
quaedam ad-  
damus?*

\* ) Oratoriam primi excoluerunt Graeci, e quibus vix quisquam, ante ARISTOTELEM, eam in artis formulam, redegit. Nam, qui ante hunc aliquid de praeceptis rhetoricis commentati sunt, veluti EMPEDOCLES TISIAS, THEODORUS, GORGAS, vix videntur operae pretium fecisse. Vid. VOSS. de nat. & constitut. rhetor. IX. p. 331. sequ. Iam vero Graeci tantum non omnes in liberis vixerunt rebuspublicis, in quibus plebs eloquentia demagogorum quam maxime flectitur. Multum ergo intererat Graecorum, tum ad potentiam, tum ad securitatem, ut istam dicendi facultatem adsequerentur, qua animos vulgi huc illuc flectere possent. Hinc & totius oratoriae Graecae finis est τὸ πείθειν seu *persuadere*, nec melius ea defini posse videbatur, quam πειθεῖς ὁμιληγός, *persuasionis opifex*, ceu rhetoricam in Gorgia adpellat PLATO. Paucissimi, & in his QUINCTIL. lib. II. instit. orat. cap. 15. negarunt, finem oratoriae esse persuadere, vel adposite ad persuadendum dicere, eosque potius, qui bene & recte dixerint, finem artis adsequutos censuerunt. Sed si vel maxime hunc finem proximum dixeris: tamen & illa bene ac recte dicendi facultas procul dubio ad persuadendum fuit comparata; isque adeo oratoriae fuit

his ultimis. At hodie alia est rerumpublicarum plerarumque facies. Raro enim plebis suffragiis amplius, sed vel iussibus principum, vel optimatum consiliis, summa rerum committitur. Nec in laude amplius ponitur flexanimis illa eloquentia demagogorum, sed, suppliciiis digna iudicatur. Ex quo facile patet, oratoriam, cuius hodie usus est, toto caelo ab antiqua illa Graeca distare.

## II.

Veterum orationum genera tria.

Scilicet triplex erat Graecis dicendi occasio. Vel enim in conciliis populi, vel in foro & iudiciis, vel in Graeciae conventibus verba erant facienda \*). Quare etiam triplex Graecis erat orationum genus, DEMONSTRATIVUM, quo in conventibus Graeciae; DELIBERATIVUM, quo in conciliis vel comitiis; & IUDICIALE, quo in foro & iudiciis utebantur \*\*).

\*) Oratoriam praecipue excolebant Athenienses. Nec enim vel Sparta, vel Thebae, ullum, qui in ea arte excelluerit, oratorem protulere. (Tamen Spartanis persuasit suas leges Lycurgus: Thebis eloquentes fuisse Epaminondas, Pelopidas, Ismenias, Cebes, Pindarus. G.) Athenis vero populus certis statisque diebus solebat in concionem vel concilium prodire, ut de figendis resigendisque legibus, de legendis magistratibus, de pace denique ac bello in medium consuleret. Et haec quidem populi comitia stata ac sollemnia ἐκκλησίαι νόμοι, ὀρισμένοι, item νόμοι dicebantur. Aliquando etiam extra ordinem cogebatur concio, si quid subitum accidisset, & haec erant ἐκκλησίαι ἀβυσθηνοί, vel πρόεδρηνοί, itemque κατεκκλησίαι. De quibus populi conciliis vel comitiis IUL. POLLUX *Onomast. VIII, 1. 32. & V, 8. 7. ΠΕΡΙΕΡ. Antiqu. Graec. II, 35.* In foro quoque exercebantur iudicia publica, maxime in Areopago, de quo videndus SUPP. *voce ἀρειος πέγος* IO. MEURS. in *Areopago*. Denique tota Graecia habebat suos conventus, suasque panegyres, ad quas undequaque ad communes ludos communiaque sacra confluebant Graeci. Talia erant *Olympica, Pythia, Nemea, Isthmia*, de quibus ΠΕΡΙΕΡ. *Antiqu. Graec. I, 49. sequ.*

\*\*) In conventibus ergo vel ἐκκλησίαις oratores populo vel suadebant, vel dissuadebant aliquid, de quo tum deliberatio instituebatur. Vid. DEMOSTH. *orat. pro Ctesiph.* Et hoc genus dicendi δημηγορικόν, ἐκκλησιαστικόν, vel συμβουλευτικόν, solebat appellari. Tales sunt DEMOSTHENIS orationes *Olynthiacae, Philippicae*, & reliquae pleraeque. In foro etiam, veluti *Areopago, Palladio, Delphinio, Prytaneo, Phreatio, Heliaco, Ly-*

cco,

ceo, Meticheo, quoties habebantur iudicia publica, oratorum partes erant, reis vel diem dicere, vel eosdem defendere, quod qua ratione factum sit, luculenter ostendit MEURS. in *Areopago cap. extremo, & SIGON. de reipub. Athen. III.* Et eiusmodi orationes dicebantur *δικαστικαί* seu *generis iudicialis*, quales sunt DEMOSTHENIS orationes in *Aphobum, Neaeram, Aristogitonem*, & aliae. Denique, quando Graeci universi ad ludos sollemnes confluebant, in publica etiam ista celebritate gentis orationes habebantur, in laudem illorum, qui Graeciae libertatem defenderant, hostesque devicerant, COEL. RHODIGIN. *lect. antiqu. XXIX, 12.*

## III.

Quum vero hodie nec in populi conciliis concionentur demagogi, nec in foro caussarum patroni eloquentiam ostentent, nec denique sollemnes quaedam supersint panegyres, facile patet, triplicis illius caussarum generis, quo universa veterum rhetorica nititur, hodie nullum superesse usum \*). Quandoquidem ergo in scholis tantum aliquae supersunt oratoriae Latinae reliquiae, declamationes vero illae umbraticae ad nullum trium generum pertinent: novum orationum genus invenerunt doctores, quod, quum non tam in persuadendo, quam docendo delectandoque versetur, ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΟΝ adpellare consueverunt \*\*).

\*) Aiunt equidem, hodiernum nos vel laudare, vel vituperare, suadere, vel dissuadere, adcusare, vel defendere, adeoque omnino magnum esse veteris oratoriae usum. Quo sensu QUINCTIL. *lib. III. cap. 7. Laudare testem, vel contra, pertinet ad momentum iudiciorum, & ipsis etiam reis dare laudatores licet, & editi in competitores, in L. Pisonem, Clodium & Curionem libri vituperationem continent, & tamen in senatu loco sunt habitae sententiae.* Sed qui consideraverit ea, quae paullo ante de trium generum origine disseruimus, facile deprehendet, orationes hodiernas de laudibus historiae, de philosophia cum iurisprudencia coniungenda, de non ferenda iuvenum protervia, de turpitudine ebrietas, aliasque huius generis non magis similes esse orationibus veterum in comitiis populi, foroque & conventibus Graeciae habitis, quam umbram luci. (Differunt itaque, ut maius & minus, obiecto, sed non praeceptis. Ecquis vero orator vel scriptor non optet etiam hodie persuadere? G.)

(Non perfecit Auctor, ut putare desinam, pleraeque praec-

An etiam hodiernae orationes ad haec genera revocari possint?

cepta antiquorum rhetorum, nominatim **QUINCTILIANI**, suum hodie usum, non contemnendum illum sane, habere. I. Non dicam de intellectu oratorum Graecorum Latinorumque, quem hac cognitione iuvare, quis neget? II. In sacris ad populum orationibus omnino suadendum est, h. e. homines oratione in sententiam salutarem traducendi: quod profecto praestabit felicitus, qui ceteris rebus vim dicendi, qualem veteres tradidere, adiecerit. III. Sunt fora adhuc per Europam hinc inde, ubi causas ore vel scripto etiam apparatu quodam oratorio orare licet & decorum est. [Hic legi meretur **PAULINI A. S. IOSEPHO Orat. VI. de usu & necessitate eloquentiae in foro & hodiernis iudiciis. N.**] IV. In quocumque scribendi genere, ubi vel docere, vel probare, vel placere volumus, magnam utilitatem praestat oratoria, qualem proponit **FABIUS**. V. Eae quoque, quas Auctor *declamationes* vocat, meliores erunt, & plus efficiunt boni, si ad veterem illam eloquentiam conformentur. Quae quum ita sint, neminem poenitere debet, vel **VOSSIANOS de oratoria institutione libros**, vel, quod omnibus faciendum censeo, **QUINCTILIANI** opus, si non totum, at certe maiori sui parte, omissis modo iis, quae Romano foro sunt propria, & perlegisse, & quantum potest, familiariter iis uti. G.)

\*\* ) Multa de hoc *didascalico* dicendi genere commentatur **NIC. REUSNERUS**, **MATTH. DRESSERUS**, **CONR. DIETERICUS**, aliique rhetores. Sed ipsi rhetorices fini ac naturae illud repugnat. Interim negari nequit, plerasque declamationes, quas hodie in scholis audimus, generis esse didascalici. (Docere & planum facere aliquid, ad finem etiam antiquae rhetorices pertinet vel maxime. Et quis non, quum dicit, optet, persuadere auditoribus suis vel sententiam suam, vel affectum? Non est ergo opus novis praeceptis in ea arte, qua omnium confessione antiqui longe excellunt, quidquid est hodie eloquentium. Sed satis est, si qui festinent, omisisse de antiquis praeceptis forensia. Non est igitur opus hoc novo genere *didascalico*: taceo, quod novum non est; nam nostrae orationes sunt *didascalici* sophistarum, **Maximi Tyrii**, **Libanii**, **Dionis Chrysostomi**, **Luciani**, **Aristidis**. G.)

#### IV.

Ut vero orationes conscribendi rationem nostrae aetati rei publicae adcommodemus, duo hodie esse arbitramur Latinarum orationum genera. Alterum in umbra scholarum usu receptum \*), alterum paulo sollemnius \*\*). Illas **DECLAMATIONES**, has

*Orationes hodie vel scholasticae.*

PA-

**PANEGYRICAS** vocare licebit. Nos hoc capite de declamationibus agemus.

\*) *Declamationes* mihi sunt, quae de rebus quibusdam ad eruditionem pertinentibus, veluti de quaestionibus physicis, moralibus, iuridicis, philologicis, theologis, historicis, exercendi ingenii, ostentandaeque eloquentiae causa habentur. Tales sunt pleraeque orationes **M. ANT. MURETI**, **M. ANT. MAIORAGII**, **PETRI CUNAEI**, (**AD. RUPERTI**, **O. FERRARI**, **G.**) aliorumque recentiorum, quas more maiorum in gymnasiis & academiis habuerunt.

(Ne cui imponat novus intellectus nominis *declamatio*: quae antiquis & recte loquentibus ab *oratione* non alia re distat, quam quod exercitationis tantum causa habetur, quare nec argumento s. materie, neque elaboratione differre debet ab oratione seria, si quidem meditatio & exercitatio illis debet actionibus quam simillima esse, ad quarum facilitatem comparandam suscipitur. Et possunt ipsae quoque Auctoris tum declamationes, tum panegyricae ad tria illa genera antiquorum commode referri, ut deinde apparebit. G.)

\*\* ) *Panegyricas* voco non tantum laudationes magnorum virorum, quales sunt pleraeque **BUCHNERIANAE**: sed quaecumque in festo quodam conventu coram splendidiore auditorio habentur, veluti in inauguratione academiiae, vel regis, in sacris saecularibus, cet. Hae quemadmodum a superioribus materia, ita & stilo quam maxime differunt.

#### V.

*Declamationem* itaque scripturo, id praecipue agendum est, ut thema inveniat haud vulgare \*), nec tamen a sensu communi remotum \*\*): iucundum \*\*\*) , nec tamen scurrile \*\*\*\*): ita denique comparatum, ut personis, loco, temporique conveniat \*\*\*\*\*).

*Declamationem scripturam sollicitum esse oportet de themate.*

\*) Cavendum ergo est a thematibus vulgaribus, qualia sunt *de laudibus virtutis*, *de laudibus litterarum*, cet. His enim facile obici posset illud **CATONIS**: *Stulte, quis unquam vituperavit?* In pueris & adolescentulis, qui nondum aere lavantur, tolerari haec possunt: minime in viris, quorum in graviore materia, (v. g. *de charlataneria* vel *chicaneria eruditorum*, *de colore caeruleo*, G.) exercetur ingenium. (Quae autem *gravior* potest esse *materia*? Mihi vero ille quantivis pretii orator videatur, qui *de laudibus virtutis*, *litterarum*, etc. ita dicat, ut

mo-

moveat, ut persuadeat. Socratis omnis oratio in laudanda virtute consumebatur. G.)

\*\* ) Non enim eloquentia abutendum est, sed utendum. Cum ratione ergo insaniunt, qui I. veterum academicorum more de rebus omnibus in utramque partem disserendum, in eaque summam eloquentiae laudem positam existimant. Vid. CIC. *de fin. bon. II*, 1. Adcuratum ergo ac laudandum fuit senis illius Catonis iudicium, qui Carneadem, quod eadem eloquentia iustitiam & laudaverat, & vituperaverat, urbe eiiciendum censuit. Sane rerum laudandarum vituperandarumque ideae tam sunt necessariae, ut, qui eas dicendo evellere animis conatur, vel magno conatu maximas agere nugas, vel ad quodvis scelus profligatissimus videatur. Et quid humano generi prodesset eloquentia, qua liceat *μῦθον καὶ δίκαια κἀδίκαια*, ut de SOCRATIS eloquentia ait ARISTOPHANES in *Nubib. v. 99*? (Tamen dispiciendum candidatis eloquentiae, quid de unaquaque re in utramque partem dici possit, vel ad hoc ipsum, ut refutare discamus contraria. G.) Nec magis sapere videntur, II. qui res vituperandas laudando, vel laude dignas vituperando in mustaceo quaerunt laureolam. LUCIANUS *muscam & podagram*; SY- NESIUS *calvitium*; DIO CHRYSOSTOMUS *exsilium*; ERASMUS *mori- am* vel *stultitiam*; MAIORAGIUS *lutum*; BURMANNUS *pigritiam* laudavit, nec febris asinoque sui encomiastae defuerunt. Παράδοξα haec sunt, & ingenio ostentando idonea, sed tamen puerilia, & viro gravi parum digna. Excusandus quidem ERAS- MUS, cui dulce fuit, desipere in loco, & luculenta ista satyra certorum hominum stultitiam perstringere. Sed sicut non omnes sunt ERASMI: ita non omnes suscepta eiusmodi opera eandem reportant laudem. Nimirum multum interest, ostentandae doctrinae & eloquentiae causa huiusmodi res laudentur, an satyricum quid involutum velimus huiusmodi laudibus. Hinc merito mireris ERASMI & V. C. PETRI BURMAN- NI acumen, qui huiusmodi orationibus hominum stultitiam acriore sale perfricuerunt. At nihil huiusmodi reperias in aliis eius generis oratiunculis; (igitur non genus vitiosum est, verum homines peccant, G.) sed mera σοφίσματα, sine quibus res minus laudandae laudari nequeunt.

\*\*\* ) Quum enim declamationes eiusmodi scholasticae ple- raeque vix aliquam insignem utilitatem vel reipublicae vel auditoribus polliceri possint, adeoque multis taedium inter audiendum obrepere soleat: facile patet, iucunditate rerum abstergendum esse hoc fastidium, adeoque ea themata quam maxime referre plausum, quae sunt auditu iucundissima. Quis dubitaret, quaeso, quin suavissimae celeberrimi auctoris decla-

mationes de charlataneria eruditorum explicatoribus frontibus au- ditae sint, quam si subtilissimus aliquis philosophus magno supercilio de laudibus reginae illius scientiarum, metaphysicae (quam eo tempore ridiculam fecerat Thomasius, nostro autem in thro- no collocavit Wolfius, G.) disseruisset? (Deme supercilium, & pone in cathedra humanissimum aliquem FACCIOLATUM, qui metaphysicam eo ore commendet, quo dialecticorum retia & la- queos explicavit aliquot praefationibus; puto futurum, ut haud parum attente audiatur ab his quidem, qui cor & aures ac ce- rebrum habent. Et attente auditus est Gottschedius, quum il- lam ingeniose laudaret. Ceterum in argumentis deligendis, quae ipsa fronte aliquid iucundum polliceantur; felix fuit OCT. FER- RARIUS, ne de MENCKENIO aliquid adiciam. G.)

\*\*\*\* ) Modus in rebus omnibus optimus est. Cavendum ergo, ne dum iucundus esse laboras, scurram aut histrionem agas. Cavenda etiam Cynica illa dicacitas & linguae virulentia, ne in satyram evadat oratio.

\*\*\*\*\* ) MORHOFIUS V. C. in *Polyhist. III*, 12. 3. sequ. praeclare ostendit, inventionem omnem poëticam e locis illis περιστασις: *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? unice esse petendam: his tria illa adiuncta subiicit: quale? quantum? quoties?* Idem mihi de inventionem thematum videtur. Fingamus, orationem inauguralem habendam esse a professore politices: circumstantia *quis?* themata nobis suppe- ditabit varia. Disserere enim possemus de *virtutibus professoris politices*, de *praecipuis huius aevi scriptoribus politicis*. De quaestio- ne: *prudentialis civilis doctrina an solo usu comparetur?* circumstan- tia *quid?* themata suggeret de *sophismate politico in veterum auguriis latitante*, de *eloquentia civili*, de *oratoria principis*. Fingamus porro orationem illam habendam Argentorati vel Altorffii, circumstantia illa *ubi?* commendabit themata de *republica Ar- gentoratensi*, vel *Norimbergensi*, *absolutissimo prudentiae archite- ctonicae exemplo*. Sin Lipsiae ea oratio habenda esset, *quanta sit commerciorum ad reipublicae beatitudinem utilitas*, posset demon- strari. Circumstantia *quibus auxiliis?* denuo nobis varia sufficiet themata, veluti de *doctrina principis*, de *exemplo principis*, de *perpetua censura*. Circumstantia *cur?* dicere suadebit de *doctri- nis in academiis inculcandis*, vel de quaestione: *cur olim in acade- miis inculta iacuerit prudentia civilis?* Circumstantia *quomodo?* nobis ad animum revocabit themata, de *scopulis in prudentia ci- vili cavendis*, de *monarchomachismo*, de *Machiavellismo*, ceter. De- nique si fingamus, orationem istam habendam fuisse ipso anno saeculari ecclesiae purioris: circumstantia illa *quando?* nobis suggereret quaestiones, *quid reipublicae profuerit reformatio? quan- tum*



tum incrementum ex ea re ceperit prudentia civilis? Disseri etiam posset de politica papali, aliisque eiusmodi thematibus. Quis ergo tam esset ab ingenio omni destitutus, ut e tot thematibus non posset illud seligere, quod & optimum, & auditoribus iucundissimum fore praevideat?

## VI.

Unde res & argumenta petenda?

Invento themate, dispiciendum, ad quam disciplinam illud pertineat. Inde enim omnis adparatus rerum argumentorumque est petendus \*).

\*) Nolim ergo, te & hic de certis argumentorum locis vel sedibus esse sollicitum. Declamationes pleraeque de rebus ad eruditionem pertinentibus agunt. Quid vero de iis dicendum sit, disciplinae docent. Ex iis ergo colligenda, quae ad thema pertinent, ita tamen, ut ne extra oleas vagemur, (neque vero intra oleas nimis anxie maneas. G.) Non enim omnia, sed optima & ad rem pertinentia, dicenda sunt. Exempli caussa, si quaestio esset: *cur olim tam inculta iacuerit prudentia civilis?* facile animadverterem, omnem adparatum partim ex historia litterariae medi aevi, partim ex historia academiarum, partim ex historia papatus esse petendum. (Sed magnos illos campos frustra forte pererraveris, nisi filum quasi quoddam sequaris, quod te ducat; nisi loculos quosdam, in quos deponas, quae in illa peregrinatione inveneris. Sume igitur illum versum circumstantiarum memorialem, & occurret tibi, si noris historiam, quid ad singulas illas quaestiones respondendum sit: ex illis responsionibus deinde elige, quae maxime ad rem facere putabis, etc. G.) Nihil ergo opus est *locis dialecticis*, *arte Lullistica*, *indice combinatorio*, aliisque eiusmodi subsidiis, quae magno iuvenum malo a nonnullis commendantur. (Optime hic Auctor negat, ad argumenta, quae proposuit, quidquam facere locos dialecticos, cet. Neque enim quidquam docent, quod nesciamus, sed faciunt, ut reminiscamur ordine quodam eorum, quae scimus. De combinatoriae artis inventoribus & magistris plura quam legere iuvat MORHOF. *Polyb. I, 2, 5.* ostendit. G.)

## VII.

Quomodo ea disponenda?

Ubi iustus rerum argumentorumque adparatus ad manum est, opera porro danda erit, ut illum in certas quasdam classes vel partes distribuamus \*). Quot partes vel classes constituuntur: totidem erunt orationis ARGUMENTA.

\*) Col-

\*) Collecto e. g. adparatu, qui ad thema paullo ante laudatum pertinet: facile animadverterem, eum ad tria revocari capita posse. Ostendere ergo possem, felicem illam religionis reparationem reipublicae I. *ad quietem & securitatem*; II. *ad opes & potentiam*; III. *ad maiestatem principum conservandam* profuisse. (Sed videnda etiam contraria. G.) Hinc tota tractatio tribus his constaret argumentis. Ceterum si umquam, hic certe iudicio opus est. Nec ordo ille ita certis adstringi regulis potest, ut ab iis discedere non liceat. Eleganter QUINCTIL. *instit. orat. lib. VII. c. 1.* Sed meminerimus, ipsam dispositionem plerumque utilitate mutari, nec eandem semper primam quaestionem ex utraque parte tractandam. Cuius rei, ut cetera exempla praeteream, Demosthenes quoque atque Aeschines possunt esse documento, in iudicio Ctesiphontis diversum sequuti ordinem, quum accusator a iure, quo videbatur potentior, coeperit, patronus omnia, vel paene omnia ante ius posuerit, quibus iudicem quaestioni legum praeferret. (Ad hanc distributionem facilius instituendam faciunt commendatae supra I, 3. 5. divisiones. G.)

## VIII.

Singula argumenta iam facillime poterunt elaborari, si ea observentur praecepta, quae supra de *sylogismo & enthymemate oratorio* suppeditavimus \*).

Quomodo singula argumenta elaboranda?

\*) Scilicet argumenta singula rediguntur in syllogismos vel enthymemata. (Sensu Auctoris. G.) Praemissae deinde probantur atque amplificantur. Exemplo nobis erit MURETI oratio II. Venetiis de laudibus litterarum habita. In ea ostendere conatur orator eloquentissimus, permultum ornamenti praesidiique optimas litteras rebus publicis bene temperatis adferre. Omnem ergo adparatum, e prudentia civili petatum, ad duo summa capita refert, demonstratque, I. *litteris pueritiam & adolescentiam ad rempublicam praeferari*, II. *iisdem viros civiles in administranda republica adiuvare*. Prius argumentum in hunc redigit syllogismum:

I. MAIOR. Quodcumque adolescentes ad virtutem praeferat, illud multum ornamenti praesidiique adfert reipublicae. Ubi

I. Ipsa propositio.

II. Aetiologia. Felicitas enim reipublicae a singulorum felicitate ac virtute dependet.

II. MINOR. Litterae adolescentes ad virtutem praeferant. Ubi

I. Ipsa propositio.

II. Aetiologia. Nam

I. ) pueritiam praeferant.

I ) Ae-

- 1) Aetiologia. *Informant enim eandem ad humanitatem & virtutem.*  
 2) Illustratio. *Ut in semente spes messis, ita in institutione puerili spes vitae posita est.*  
 II.) Iuventutem praeparant.  
 1) Aetiologia. *Nam abducunt eam a voluptatum illecebris, & ad gloriam excitant.*  
 2) Illustratio ab  
 a) exemplo Themistoclis, qui Miltiadis tropaeis excitatur.  
 b) fabulis poëticis, de Veneris imperio, & de Iasone, qui Sirenum insidias Orphei lyra evasit.  
 c) exemplis Chryssippi, Archimedis, Solonis, qui voluptatem e litteris incredibilem ceperunt.

III. CONCLUSIO. Ergo litterae multum ornamenti praesidiique adferunt reipublicae.

Alterum argumentum MURETUS enthymemati huic includit:

I. MINOR. *Litteris viri civiles in administranda republica adiuvantur.* Litterae enim usum suum exserunt

I. In pace. Ubi

I. Aetiologia. *Politica enim omnes viri civilis partes ostendit.*

II. Illustratio ab

I.) obiectione. *At possunt viri civiles aliena opera uti. Quod negatur.*

II.) Illustratio ab exemplo Manlii, qui coecus consulatum recusabat, quod indignum putaret, ei capita fortunasque omnium committi, qui alienis oculis uteretur.

II. In bello. Ubi

I. Aetiologia. *Bella enim non tantum corporis, sed & animi viribus geruntur.*

II. Illustratio a voto Agamemmonis, qui decem sibi non Achilles aut Aiaces, sed Nestoras optabat.

III. Secunda aetiologia. *Historia tot bella ob oculos ponit, quum alias maximi duces paucis tantum bellis interfuerint.*

IV. Tertia aetiologia. *Litterae ob oculos ponunt clarissimorum fortissimorumque ducum exempla.*

V. Quarta aetiologia. *Maximos saepe exercitus eloquentia vel stitit vel incitavit.*

VI. Illustratio ab exemplo Tyrtaei, poëtae, qui Lacedaemoniorum exercitum versibus inflammavit.

VII. Aetiologia quinta. *Maximi ac celeberrimi duces eruditi fuerunt.*

VIII. Illustratio ab exemplis Architae Tarentini, Melissi, Socratis, Platonis, Xenophontis, Periclis, Themistoclis,  
 Epa-

*Epaminondae, Scipionum, Luculli, Fabii, Marcelli, Iulii Caesaris, Bruti.*

IX. Illustratio a lege Mitylencorum, qui bello victos non aliter mulstabant, quam ut ne liberos suos litteras edocerent.

II. CONCLUSIO. Multum ergo ornamenti praesidiique litterae adferunt reipublicae.

Vides clarissimum illum oratorem non alio usum artificio, quam quod nos hic commendamus, politissimam illam composuisse orationem. *Ἐξήγησάν* eius addere, nihil attinet. Ecquis enim est tam omnis elegantioris doctrinae incuriosus, ut elegantissimas MURETI orationes legendas, & in sinu gestandas non existimet?

(Quod hic in una MURETI oratione fecit Auctor, illud in omnibus CICERONIS orationibus praestitit MART. DU CYGNE in *explanatione rhetorica omnium CICERONIS orationum secundum partes, enthymemata & figuras.* Colon. MDCCXXVIII. 8. etc. [Aliam rationem secutus est MELCH. IUNIUS, cuius est *Resolutio brevis orationum M. T. Ciceronis secundum caussarum genera, orationum partes, materias.* Argentor. 1594. 8. N.] Neque contemnendus est VAL. THILONIS *Curtius orator, seu orationes Curtianae brevi analysi & pleniori locorum communium evolutione illustratae.* Amst. 1655. 12. [Sunt etiam *oeconomiae atque conspectus priorum V. orationum P. Cunaei*, auctore AUG. BUCHNERO. N.] Scribere volentibus prodesse possunt CHRISTOPH. SCHRADERI *Livianarum orationum XIIII. analysis rhetorica, adiectis imitationum materiis*: it. *Hypotheses oratoriae ad Sleidani historiam*: it. *Dispositiones oratoriae, ad duellum rhetoricae Aristotelis continnatae*: it. *Theses & hypotheses CCLXXXIII. commentario de rhetoricorum Aristotelis sententia & usu insertae.* G.)

### IX.

Accedit & hic EXORDIUM, idque vel *generale*, *Exordia generalia.* vel *speciale*. Modo enim a persona oratoris \*) , modo ab auditoribus \*\*) , modo a loco \*\*\*), modo a tempore \*\*\*\*) , aliisque circumstantiis auspicari licet. Quae omnia *exordia generalia* habentur.

\*) Talia sunt exordia, quibus orator sese extenuat. Ipse CICERO eiusmodi exordio utitur in *oratione pro Sexto Roscio Amerino*. Erat enim tum admodum iuvenis, nec dum cuiquam praestiterat patrociniū. (Aliter contra se instituit *pro L. Manilia*, ubi praetor erat factus. G.) Minus ergo excusandi, qui extenuatione eiusmodi utuntur in consessu hominum obscurorum, quique nulla admodum auctoritate pollent. (In exordiis, quae

a persona oratoris ducuntur, inprimis cavendum est, ne *πειραιτολογία* molesti simus. Modestiae ἡθος quum modum excedit, fit laus sui immodica. Interdum aliquis iussus est dicere, ubi id ipsum pro excusatione est. Orationes vero inaugurales debent certe in exordio aliquid de oratore habere. G.)

\*\* ) Elegantissimum huius generis est exordium MURETI, quo in *oratione II. partis I.* utitur. Dicendum enim illi erat in splendidissimo senatus Veneti consessu, cuius adspectus vel constantissimo viro metum incutere potuisset. Eiusdem generis est exordium orationis CICERONIANAE pro *L. Manilia*.

\*\*\* ) Hunc exordiendi modum eadem oratione praeclare observavit MURETUS. Nam ut in senatus, ita & in ipsius urbis & reip. laudes latius excurrit.

\*\*\*\* ) Sic MURET. *orat. II, 18.* dicturus de circumcissione, a tempore, id est, Kalendis Ianuariis, exorditur.

## X.

*Exordia specialia.*

Sed elegantiora plerumque sunt *exordia specialia*, quae vel ab occasione dicendi \*) , vel a re ipsa \*\*) petuntur.

\* ) MURET. *orat. I, 8.* dicturus de philosophiae moralis laudibus, exordium ducit ab occasione dicendi, munere scilicet docendi philosophiam, quod ei superiore anno, auspiciis pontificis maximi, fuerat demandatum.

\*\* ) Idque fit dupliciter, vel *directe*, quemadmodum MURET. *orat. I, 1.* de theologiae laudibus acturus, statim in exordio theologiam praecipua laude dignam esse demonstrat; vel *indirecte*, thesi, ceu vocant, ad hypothesin traducta, veluti, si quis de prudentia docendi acturus, in exordio ipsam commendaret prudentiam. At vero ea exordiorum genera videntur suavissima, quae vel a similitudine quadam, vel ab exemplo, vel denique a testimonio elegantiore petuntur. Ita MAIORAG. *orat. IV.* exordium ducit ab elegantissima comparatione solis & legum humanarum. MURETUS vero *orationem I, 10.* ab exemplo Croesi; & *orationem II, 2.* a testimonio EURIPIDIS auspicatur. Mirus ea in re artifex est LUCIANUS, cuius inter opera variae etiam exstant praefationes, seu exordia elegantissima, ab exemplis, comparationibus, similitudinibus ducta, qualia sunt *Tomo I. p. 806. Hercules Gallus: Tomo II. Op. p. 841. de dipsadibus: Tomo III. p. 210. Herodotus vel Aetio, & alia.* (At haec praefationes s. *προλαλιαί* non sunt integrarum orationum exordia, quorum munus tamen nonnumquam possunt subire: sed breves orationes, quibus auditores colligere futuris recitationibus suis

stu-

studebat, quod genus etiam hodie in Italorum praesertim academiis consuetum est, in *instauratione*, ut loquuntur, studiorum. Hinc Oct. Ferrarii, Jac. Facciolati, Paulini a S. Iosepho, aliorumque orationes. Apud Germanos fere *programmata* aut *prolusiones*, quae typis publicantur, in earum praefationum locum successere. G.)

## XI.

Exordia quomodo disponenda sint, etiam & vulgaris rhetorum docet. Praemissa enim THESI, statim additur AETIOLOGIA; tum porro APODOSIS ac denique BASIS subiicitur \*). Solent tamen oratores, copiae studiosiores, singulas fere partes vel novis rationibus, vel illustrationibus quibusdam munire \*\*).

*Dispositio exordiorum.*

(Quatuor illas exordii partes, non quasi simpliciter necessarias, sed commodas pleno exordio, constituit HERMOGENES de *Inv. I, 5.* quas vocat *πρότασιν* s. propositionem; *κατάσκευσιν*, quae illa adstruitur; *ἀπόδοσιν* s. *ἀξίωσιν*, quae est hypothesis propositioni subordinata, & propius ad ipsum orationis argumentum accedens; & *βάσιν*, quae causam & probationem propositionis ad apodosin applicat. Prudentiae est videre, an opus sit, & cui parti maxime sit immorandum. G.)

\*) THESIS rem proponit; AETIOLOGIA eandem confirmat; APODOSIS ad thema applicat; BASIS denique viam ad propositionem munit. Exempli loco sit exordium orationis I. MURETI, quod ita disponitur:

I. THESIS. *Theologia singulari quadam, ac praecipua laude digna est.*

II. AETHIOLOGIA. *Nam mortalitatem nostram divinae naturae arctissima colligatione devincit.*

III. APODOSIS. *De ea dicere iussus, hanc spartam non abs re defugi.*

IV. BASIS. *At nunc semel altum ingresso, vela facienda sunt.* (Male haec applicata sunt. Exordium Mureti est plane alterius generis. Nempe a thesi & persona dicentis. Cui simile hoc fuerit:

I. *Hic dies celebratione magna dignissimus est.*

II. *Aetiolog. Quia natalis academiae, supplicatio, iubilaeum, cet.*

III. *Itaque eloquentem praeconem desiderabat.*

IV. *Sed ad me itum est, qui sola obsequii commendatione & spe vestri favoris nitor.*

Iam vero dabimus aliquot exempla, quae auctoris regulam illustrent:

O

A. I. Thes.

- A. I. Thes. *Rex noster amorem civium suorum meretur.*  
 II. Aet. *Nihil enim praetermittit, quod ad ipsorum salutem pertinet.*  
 III. Apod. *Praecipue quod adversus duella severum edictum proposuit.*  
 IV. Bas. *Hac enim re nihil potest esse salutaris.*  
 Id quod nunc ostendam.

- B. I. Thes. *Dies hic laetus est toti patriae.*  
 II. Aet. *Est enim natalis principis.*  
 III. Apod. *Praecipue nobis academicis.*  
 IV. Bas. *Qui tot beneficiis aucti sumus.*  
 Huic ergo celebrabimus.

- C. I. Thes. *Conspectus vester mihi semper est iucundus.*  
 II. Aet. *Estis enim iuvenes, studiosi litterarum mei amantes.*  
 III. Apod. *Hodie tamen post intervallum tanto lubentius vos aspicio.*  
 IV. Bas. *Quia carui vobis propter morbum, iter; ferias, etc.*  
 Ergo tanto acrius ad rem gerendam accedam. G.)

\*\* ) Sic in eodem exordio MURETUS apodosin duabus fulcit rationibus. Defugisse se ait dicendi munus, partim ob rei gravitatem, partim, quod vix sperare potuerit eam stili sublimitatem, quae digna videretur tanta rei magnitudine. Priore rationem exemplo sophistae apud Hannibalem de rebus bellicis disserentis; posteriore testimonio PLATONIS illustrat. Sed en ipsum exordium:

I. THESIS. Theologia praecipua laude digna est: *Quum omnes mihi singulari quadam ac praecipua laude digni videntur, qui in adsequenda honestarum artium scientia operam & industriam suam collocant: tum ii praecipue, qui veluti maiore quodam numinis afflatu percussi, ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas atque omnia studia contulerunt.*

II. AETIOLOGIA. Nam mortalitatem nostram divinae naturae arctissima colligatione devincit: *Nam si eorum omnium, quae in hac immensa rerum universitate cernuntur, unumquodque naturali sui perficiendi desiderio tenetur; & animus noster, ad similitudinem divinitatis effectus, tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus est, exemplar accedit: dubitari profecto non potest, quin ea sit omnium praestantissima facultas, quae quoad eius fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devincit.*

III. APODOSIS, ubi

I. APPLICATIO. De ea dicere iussus, hanc spartam initio defugi: *De illius mihi facultatis laudibus hodierno die demandatum*

est

est ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non ut eas quidem sigillatim percensere omnes; ac flore orationis convestire conarer: (quod & imperare, iniquum; & suscipere temerarium esset,) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quaedam seligerem, de quibus hoc amplissimo loco, vobis audientibus, explicarem. Qua de re quum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem.

II. RATIONES & ILLUSTRATIONES. Veritus, ne idem mihi contingeret, quod nobili olim sophistae apud Hannibalem, de rebus bellicis longa accurataque oratione disputanti, contigisse dicitur, si homo adolescens, & quum a ceteris rebus satis tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos viros ad dicendum de rebus divinis adgrederer. Illud etiam commovebat, quod praecclare a Platone scriptum noveram, orationi & iis rebus, quae oratione tractantur, quamdam inter se cognationem intercedere oportere, ex quo facile intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus.

III. BASIS. At nunc semel altum ingresso verba nimirum facienda sunt: *At ista quidem, re adhuc integra, fortassis maiore quadam cautione providenda fuerint: nunc quidem iam semel altum ingressis, quae nos cumque tempestas exceptura est, vela nimirum facienda sunt.*

## XII.

Propositioni, quae vel basi, vel apodosi subiungi, vel eidem innecti solet, plerumque accedit *captatio*, quam vocant, *benevolentiae*. Sed maiorem mihi laudem videntur mereri, qui benevolentiam potius dicendi suavitate retinendam, quam multis verborum lenociniis captandam, existimant \*).

\*) Aut enim thema orationis ita est comparatum, ut auditoribus placeat, & tunc non erit, quod auribus insidieris, & verbis sesamo ac papavere sparsis captes benevolentiam, sed praestabit, dare operam, ut elegante elaboratione & ipsa dicendi suavitate auditorum spei satisfiat; aut ipsum thema vel eius tractatio fastidiosum est: & tunc parum praesidii erit in ista benevolentiae captatione. Fastidiosum enim est aurium iudicium, nec tam benevolentiae, quam voluptati utilitatique obsequitur. Notum est, quid de A. Albino censuerit M. Cato, quum in principio historiae eius multis verbis veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulari legisset. Tum enim Cato: *Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam veniam petere*

*Quid de captatione benevolentiae censendum?*

solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum compulsi peccavimus. Te, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur? CORN. NEP. apud GELL. Noct. Attic. XI, 8. (Catonianum illud quidem, & nimis severum fuerit, si quis eos reprehendat, qui officio vel obsequio adducti ad dicendum, deinde veniam illius vel obsequii vel necessitatis respectu petunt suae vel imbecillitati vel verecundiae. G.) Itaque & CICERONEM parcius huiusmodi formulis captare benevolentiam, animadvertimus, sed plerumque iis argumentis, quae ἄνθρ vocant oratores, auditorum vel iudicum favorem sibi conciliare. At sicubi uti constituit novo quodam atque inusitato genere dicendi, tali formula eum veniam precari animadvertimus. Exemplum reperias in *orat. pro Archia cap. 2. Quæso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, adcomodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam, ut me, pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum litteratissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac litterarum paullo loqui liberius, & in eiusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam & inusitato genere dicendi.*

## XIII.

Qualis esse debeat conclusio?

In CONCLUSIONE plerumque vel quaedam fit argumentorum repetitio seu anacephalacosis, vel paraenesis quaedam ad auditores subnectitur, atque adeo adfectus aliquis movetur\*). Sed cavendum, ne in rebus non adeo magni momenti tragoedias agamus, eoque in illud incidamus vitium, quod ΠΑΡΕΝΟΤΡΕΟΝ vocari supra P. I. cap. 2. monuimus\*\*).

\*) Atque eatenus recte post ARISTOTELEM monent rhetores, in exordio regnare ἄνθρ; in tractatione λόγος; in conclusione πᾶνθρ. Et hinc eleganter docet QUINCTIL. *Instit. orat. lib. VI. cap. 1. perorationis duplicem esse rationem, positam aut in rebus, aut in adfectibus. Rerum repetitionem & congregationem, quae Graece dicitur ἀνακεφαλαιώσεις, a quibusdam Latinorum enumeratio, & memoriam iudicis reficere, & totam simul causam ponere ante oculos, & etiamsi per singula minus moverit, turbam valere. Adfectus quoque esse necesarios; si aliter obtineri vera & iusta, & in commune profutura non possint.* (Ita v. g. affectus gaudii, admirationis, amoris divini in argumento de philosophia naturali; amoris erga litteras, admirationis magnorum homi-

minum, etc. Quae quidem cum ipsa repetitione, s. ἀνακεφαλαιώσει possunt connecti, & per figuram cum motu quodam proponi. G.)

\*\*) Scilicet nostrae orationes veterum illarum veluti umbrae sunt. Olim in orationibus plerisque adfectus erant concitandi, & magnis in laudibus tota Graecia erat PERICLES, qui non loqui, sed fulminare, & in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinquere dicebatur. Quum enim isti oratores vel de republica dicerent, vel de civium capite, & quidem apud plebem, quae non tam ratione, quam adfectu, regitur: facile patet ratio, cur ea oratio omnium praestantissima visa sit, quae adfectus quam vehementissime moveret. At hodie non de civium capite & fortunis, non de republicae salute aut interitu, sed de rebus scholasticis declamamus, ubi frigida plerumque est nimia adfectuum commotio. (Sed quidni discamus quoad licet, ut si res ferat pro rep. pro virtute, loqui aut scribere ita possimus, ut quibusdam certe persuadeamus? G.)

## XIV.

Denique in orationibus vel declamationibus scholasticis quam maxime stili habenda est ratio\*). Convenit vero huiusmodi (nempe scholasticis illis & argumenti didascalici, G.) orationibus stilus mediocris\*\*), oratorius\*\*\*), elegans\*\*\*\*), perspicuus\*\*\*\*\*), nonnumquam etiam gravis & concitatus\*\*\*\*\*), (etiam magnificus v. g. in operibus divinis s. naturae explicandis. G.) Recte enim observavit PLATO, *orationi & iis rebus, quae oratione tractantur, quamdam inter se cognationem intercedere oportere †).*

Qualis totius orationis stilius?

\*) Plerumque enim non tam ob insignem aliquam utilitatem, quam ad ostentandam eloquentiam, habentur. Turpe ergo esset, dicendo infantiam prodere, quam tacendo potuisses dissimulare.

\*\*) De quo vide supra Part. I. cap. 2. Hinc parum placent orationes Polonorum, quae semper cothurno incedunt, nec PHILIPPI, MELANCHTHONIS, quae vix ultra dictionem tenuem adsurgunt. Vid. MORHOF. *Polyb. I, 6, 3, 3. p. 277.* (Nempe sedatus fuit & placidus tota vita, nisi quod privatim interdum erat iracundior. Legatur Camerarius de illius vita. *Declamationum V. Tomi argumenti causa sunt legendi. G.*)

\*\*\* ) Conf. supra *Part. I. cap. 2.* Vix ergo publici saporis sunt orationes ERYCII PUTEANI, CASP. BARLAEI, M. ZUERI BOXHORNII, DOMIN. BAUDII, & inprimis IO. CONR. DANHAVERI, qui poeticam potius, quam oratoriam exprimunt facultiam. IUST. LIPSII orationes elegantiores purioresque sunt eius epistolis, adeo, ut eas nonnulli Lipsio suppositas existiment. Vid. VINC. PLACC. *de Pseudon. p. 219.* (In hoc distinguenda sunt tempora. Iuvenis scripsit orationes, & in illis Tullii expressit stilum & eloquentiam. Vid. supra observata I, 2, 16. G.)

\*\*\*\* ) De hoc stilo vide supra *Part. I. cap. 2.* Cavendum tamen, ne nimium elegantiae studium in sophisticam, ut ita loquar, vaniloquentiam evadat.

\*\*\*\*\* ) Vid. supra *Part. I. cap. 2.*

\*\*\*\*\* ) Quoties scilicet adfectus movendi. Adde tamen, quae superiore paragrapho monuimus.

† ) Operae pretium itaque fuerit, optimos hic recensere oratores, quos a renatis litteris floruisse constat. Primas itaque partes merito M. ANTONIO MURETO deferimus, cuius eloquentiam etiam IOS. SCALIG. in *excerptis Puteanorum*, & IAN. NIC. ERYTHR. *Pinacoth. III. p. 74.* admirantur. Proximi huic sunt IO. CASA, de cuius opusculis praeclare meritis est NIC. HIERON. GUNDLINGIUS, AON. PALEARIUS, M. ANT. MAIORAGIUS, DIONYS. PETAVIUS, PETR. IO. PERPINIANUS, Hispanus, de quo IAN. NIC. ERYTHRÆUS *Pinacoth. l. c.* FRANC. YAVASSOR, IO. CASELIUS, PETR. CUNAEUS, AUG. BUCHNERUS, (OCT. FERRARIUS, THOM. LANSIUS, IO. BURC. MENKENIUS, IAC. FACCIOLATUS, PAULIN. a S. IOSEPHO, & ii, quorum *orationes selectas* edidit KAPPIUS, *Lips. 1722. 8. G.*) Reliqui tantum non omnes longe infra mediocritatem subsistunt.

## CAPUT III.

### DE PANEGYRICIS.

#### I.

*Panegyricus  
quid sit?*

**A** declamationibus differre ORATIONES PANEGYRICAS \*) , iam supra observavimus. *Est vero λόγος PANEGYRICUS ORATIO sollemnis \*\* ) , in laudem*

*dem personae illustris stilo magnifico elaborata \*\*\* ) , & in splendido auditorum congressu habita.*

\*) Panegyricae dictae sunt orationes, ὅτι πάντας ἤγυρον, quia omnes congregabant, ut recte observat SCALIG. *poët. III, 109.* Tales conventus Athenis erant ludi quinquennales, de quibus DIONYS. HALICARN. *fragm. rhetor. I.* sed & quatuor illi ludi Graeciae, Olympici, Nemei, Pythii & Isthmii *panegyres* dicebantur. SCAL. *de arte poët. I. 23.* Quum vero in eiusmodi conventibus etiam orationes in laudem virorum illustrium, & bene de patria meritorum haberentur: orationes istae dictae sunt *panegyricae.* (Nempe his conventibus certabatur, ut de corporis viribus & agilitate, sic de eloquentia, quam hic ἐπεδείκνυτο, in se esse ostentabant rhetores: unde ἐπιδεικτικὸν s. demonstrativum genus dictum est, cuius materiam sumebant laudes hominum, deorum, rerum publicarum etc. sed etiam suasiones, ut in Isocratis Panegyrico & Panathenaico. *cic. Orat. c. II. Plura sunt orationum genera - - talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum. G.*)

\*\*) Omnes ergo panegyricae orationes sunt laudatoriae, sed non omnes laudationes sunt orationes panegyricae. Sollemnis enim esse debet huiusmodi oratio, & hinc in magna quadam celebritate haberi. Dicuntur enim ἀπὸ τῆ πανηγύρεω, id est, a congregando, adeo ut & *nundinarum πανηγύρεω* dixerit CICERO *epist. ad Attic. I, 14.* (Tali celebritati destinatum finxit ISOCRATES suum *πανηγυρικὸν λόγον*, in quo X vel XV annis elaboravit argumentum, Athenienses Lacedaemoniis praefereandos in ducatu contra Persas. G.)

\*\*\* ) Stilo panegyricae orationis adeo propria est magnificentia, ut Graeci ideo panegyricum vocent, quidquid est splendidum, elatum atque admirabile. Sic PLUTARCHUS Praeciam, scortum nobile, vocat *πανηγυρικὴν*. Et ATHENAEUS Apelicota Teium *πανηγυρικῶς* potius, quam στρατιωτικῶς, educatum ait. Vid. CAEL. RHODIGIN. *lect. ant. XXIX, 12.*

#### II.

Quandoquidem vero splendidae eiusmodi ac veluti ambitiosae laudationes non facile ab adulatione vacuae esse solent: multi eas vix putant ferendas \*). Enimvero quum virtutem tollere videatur, qui laudem omnem & gloriam removeri iubet \*\*): malim ego quidem non tam ipsas illas orationes, quam adu-

*An viri sapientis sit, scribere panegyricos?*

lationem servilem & parasiticum veluti oratorum quorundam obsequium reprehendere \*\*\*) .

\*) Iam olim optimi quidam principes sibi dicendos panegyricos ipsi magnopere deprecati sunt. Pescennius Niger cuidam, panegyricum recitaturus: *scribe*, inquit, *laudes Marii vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irrisio est, maxime imperatores, a quibus speratur, qui possunt necare, qui proscribere: ego autem vivus placere volo, mortuus etiam laudari.* AEL. SPART. *Pescenn. Nig. II.* (Etiam Augustus Sueton. 89. *admonebat praetores, ne paterentur, nomen suum commissionibus obsoleferi.* G.) De Alexandro quoque Severo, principe optimo, auctor est LAMPRID. *in vita eius 35. oratores & poetas non sibi panegyricos dicentes, quod exemplo Pescennii Nigri stultum dixerit, sed aut orationes recitantes aut facta veterum, libenter eum audivisse.* (Haec virtus principum est, panegyrico ipsa quoque digna: sed non regula oratoris. Argentorati quotannis habendus est panegyricus in regis natalem. G.)

\*\*) Virtutis enim comes est laus & gloria, & plerisque non solum rerum bene gestarum praemium, verum etiam incitatrix ad res maiores alacriter suscipiendas, constantissimeque peragendas. Unde PLINIUS: *Postquam, inquit, desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.* CELLAR. *praefat. ad panegy. vet. XII.*

\*\*\* ) Nonnunquam tamen laus eiusmodi, quantumvis nimia, non tam adulatio videtur, quam admonitio. Multis sane PLINIUS splendido illo panegyrico suo non tam virtutes Traiani celebrasse, quam eum, qualis esse debeat, admonere voluisse videtur. (Pulchre ipse cap. 4. *Ex utilitate publica placuit, ut consulis voce sub titulo gratiarum agendarum boni principes, quae facerent, recognoscerent; mali, quae facere deberent.* Nimum vix alius datur accessus ad cohortationem principum, quam per eorum laudes: sed etiamsi forte ne sic quidem ad illos pertingat vox nostra, certe non ad animum, spes tamen est, alios, adolescentes praesertim, inde posse formari ad virtutem & incendi. G.) Ceterum eleganter laudationis atque adulationis discrimen ostendit LUCIANUS in *apologia* ὑπὲρ τῶν εὐκότων Tom. III. p. 327. *sequi.* ubi docet, *adsentatorem quaecumque sui compendii causa laudare, nullaque veritatis ratione habita, ea omnia immodicis laudibus extollenda existimare. Imprudenter quoque mentiendo illum plura addere de suo, adeo ut non vereatur Thersiten quoque, forma turpissimum, ipso Achille pulchriorem dicere, & Nestorem inter omnes eos, quotquot ad Ilium pugnaturi venerint, natu*

*tu minimum. Persanete quoque eum deieraturum, Croesi filium acutius esse auditu praeditum Melampode, praeterea Iphnea acutius cernere, quam Lynceum, dummodo spes aliqua consequendi lucri obmendacium adpareat. Porro autem laudatorem nequaquam mentiri, aut addere aliquid, quod in totum in laudato non compareat, sed ea, quibus quis natura praeditus sit bonis, tametsi non admodum magna sint, extollere: nec lucrum ea laude captare, sed iustum virtutibus pretium statuere, cet.* (Vid. PLUTARCH. *de discrimine amici & adulatoris.* G.)

## III.

Ceterum in panegyricis conscribendis e veteribus ingenium exercuerunt PLINIUS \*), & duodecim illorum panegyricorum auctores, CL. MAMERTINUS, EUMENIUS, NAZARIUS, AUSONIUS, LATINUS, PACATUS \*\*), quos coniunctim post alios edidit CHRIST. CELLARIUS \*\*\*).

\*) PLINIUS panegyricus arte magna, nec minore dictionis concinnitate compositus est. Inprimis vel ideo commendari meretur, quod & civilium rerum periti copiosissimum prudentiae imperatoriae penu in luculentissima illa oratione deprehendunt.

\*\*) Auctores hi pro temporum, quibus florere, varietate, vario stilo utuntur. Incedunt fere cothurnis, & nonnumquam poetico magis, quam oratorio dicendi genere delectantur. Laudari tamen meretur artificium oratorium, nisi quod nonnumquam nimis ad servile obsequium sese demittere videntur.

\*\*\* ) Seorsum hos auctores recensuit, notisque ac indicibus suo more illustravit CHRISTOPHORUS CELLARIUS, *Halae CIJOCCHII.* 8.

(Addi possunt [Ennodii panegyricus, dictus regi Theoderico, N.] carmina panegyrica, quae extant, sicut Tibulli ad Messalam, Lucani ad Calpurnium Pisonem, quod poema Virgilio, Ovidioque ab aliis tribuitur, Claudiani & Sidonii plura, [Corippi Africani de laudibus Iustini II. etc. N.] Ex Graecis huc pertinent Iuliani orationes II. in laudem Constantii Imp. & Eusebiae Augustae, Themistii plures, [Gregorii Thaumaturgi panegyricus ad Originem, N.] etc. G.)

## IV.

Nec desunt, qui a renatis litteris panegyricos in laudem summorum principum scripserunt \*). Eminent

*Quinam e veteribus eiusmodi orationes scripserint?*

*Quinam e recentioribus?*  
in

in his ERASMUS, PIERIUS, WINSEMIUS, EZ. SPANHEMIUS, AUG. BUCHNERUS, IO. HENR. BOECLERUS, OCT. FERRARIUS, DAN. EREMITA, ANTON. MALAGONELLUS, & quidam, quos nostra hac aetate in hac arte excelsisse constat \*\*).

\*) Non una exstat panegyricarum orationum collectio. Praecipua aliquot voluminibus prodiit *Hanov. c1510cxiii. 8.* sed orationes non omnes his tomis comprehensas eiusdem esse commatis, recte observavit MORHOF. *Polyhist. I, 6, 3. 6. p. 280. Tom. I.* (Laudanda quoque est Kappiana illa, *Lips. 1722. 8.* in qua panegyricae sunt complures. G.)

Erasmus.

Exstat huius ERASMI oratio panegyrica ad Burgundum principem, optima, multaque eruditione referta, in cuius etiam stilo nihil poterit desiderari, iudice eodem MORHOFIO *l. c.*

Winsemius.

Exstant huius oratoris panegyrici varii, veluti in laudem Gustavi Adolphi, regis Sueciae, *Franequ. c1510cxxxiii. fol.* in excessum Henrici Nassovii *Franequ. c1510cxli. fol.* & alii. Gustavi sane Adolphi, regis incomparabilis, & magni libertatis Germanicae puriorumque sacrorum vindicis, res gestae plurimorum eruditorum ingenia excitarunt, ut eas aeternitati pro virili consecrare anniterentur. Nescio tamen, an non palma debeatur DAN. HEINSIO, cuius excellentissima de laudibus Gustavi Adolphi oratio nemini ignota est.

Spanhemius.

Splendido admodum & plane antiquo stilo EZ. SPANHEMIUS laudavit Christianam, Sueciae reginam, *Gen. c1510cclii. 4.* Exstat eiusdem panegyricus genethliacus de nato electori Brandenburg. filio. (Stili caussa hunc virum non laudarem equidem. Maiora habet decora; sed iuvenis fuit eloquentior. G.)

Buchnerus.

Buchneriana oratione nihil potest esse splendidius, nihil uberius, nihil gravius. Nonnumquam tamen paullo longius a puritate illa castitateque tersae Latinitatis discedit, (inprimis in epistolis, G.) quod iam ab aliis est observatum.

Boeclerus.

Huius variae exstant orationes panegyricae *Tomo III. dissertatt. academiarum.* Sed agmen facile ducit illa in laudem Christianae reginae, rerum summam suscipientis, *Upsaliae* habita. (Affectat vero abstrusum quiddam. Quo in genere regnat Iac. Gronovius, qui nec legendus. Panegyricus in Wilhelmum, magnae Britanniae regem, insania est & puerilitas. G.)

Ferrarius.

Huius praecipue laudandae sunt orationes binae, quarum altera in laudem Christianae, reginae Sueciae, conscripta, sub titulo *Pallas Suecica*, altera in laudem Ludovici XIV. regis Franciae, prodiit *Venet. c1510cclxvi. 4.* (& in opusculis variis, a Fabricio publicatis. G.)

Ex-

Exstat huius luculentissimus panegyricus, Cosmo Mediceo, magno Hetruriae duci, dictus, de quo multi iudicarunt, ita in eo omnem artis oratoriae adparatum exhausisse DANIELEM EREMITAM, ut, si iterum ipsi dicendi obtigisset occasio, nihil sibi eloquentiae ac artis superesse, fuisset intellecturus. Sed edidit tamen & alterum panegyricum in laudem Ferdinandi Medicei. Recusus illos cum aliis eiusdem opusculis habemus *Ultrai. c1510ccl. 8.* cum praefatione GRAEVII, (& in collectione Kappiana. G.)

Eremita.

Prodierunt MALAGONELLI orationes *Romae (MDCXLVI. 8. & iterum ibid. i. e. Francof. G.) c1510cxvii. 12.* sed facile adparet, eas non tam Ciceronis, aliorumque castae orationis scriptorum facundiam, quam argutum illud Plinii dicendi genus, quod florida sententiarum varietate aures permulcet, sapere. Vid. MORH. *Polyb. l. c. p. 208.*

Malagonellus.

\*\*) Plures aetate nostra prodierunt panegyrici, quos omnibus his facile opposueris. Praecipue tamen in Belgio IO. GE. GRAEVIUS, & PETR. BURMANNUS, [in Gallia CAR. RUAEUS, N.] Helmstadii CASP. COERBERUS & IUST. CHRISTOPH. BOEHMERUS, Vitembergae CONR. SAM. SCHURZFLEISCHUS & I. G. BERGERUS, Altorfii Noricorum C. G. SCHWARZIUS, Halae CHRISTOPH. CELLARIUS & NIC. HIER. GUNDLINGIUS, magnam hoc dicendi genere laudem sibi pepererunt, quamvis fatendum sit, GUNDLINGII dictionem non ubique veterem illam puritatem atque elegantiam, quam in CELLARIO aliisque miramur, redolere. Unde merentur variae illorum orationes, quae & colligantur, & diuturna nocturnaue versentur manu. (Inspiciantur certe ad *πρότερον* hodiernum. G.)

## V.

Ut vero quomodo scribendi sint panegyrici, tanto magis pateat: sciendum est, eos esse duorum generum. Alii enim ANALYTICA \*), alii SYNTHETICA \*\*), quam vocant, methodo conscribuntur. VOSSIUS tertium genus addit, quod *mixtum* vocat, *lib. I. cap. 9. t.*

Quatuplices  
sint orationes  
panegyricae?

\*) *Analyticam* methodum sequimur, quoties viri cuiusdam illustris historiam ordine temporis percensemus. Sic PLINIUS auspiciatus a Traiani adoptione, quae is deinde in imperio gesserit, paullo adcuratius exponit. Sic & LATINUS PACATUS, laudaturus Teodosium, primum de patria Hispania, deinde de patre, tum de dotibus fortunae, hinc porro de virtutibus do-

ti-



tibusque animi, denique de rebus gestis agit. Et ita quidem plerique solent elaborari panegyrici, qui adeo nihil aliud sunt, quam historiae vel vitae magnorum virorum, multis sententiis atque locis communibus, tamquam gemmis quibusdam, illuminatae.

\*\* ) *Synthetico* panegyricos vocamus, in quibus thema quoddam tractandum suscipitur, quod deinde ex vita historiaque viri cuiusdam illustris illustratur. Exemplo esse potest panegyricus CL. MAMERTINI, Maximiano Herculeo dictus, in quo demonstratur, *Herculeum, quum ad restituendam rempublicam a Diocletiano vocaretur, plus tribuisse beneficii, quam acceperit.* Vid. *paneg. vet. I, 3.* Hoc thema deinde petitis ex eius historia vitaeque argumentis demonstrat. Ita & BUCHNERUS, Henricum a Frisen laudaturus, magni cancellarii sistit imaginem, eumque & genere nobilem, & virtute ornatum, & auctoritate conspicuum, & doctrina prudentiaque insignem esse debere, exemplo eius demonstrat. Ceterum synthetica haec laudandi ratio ab ipso CICERONE inventa videtur, quippe qui in *oratione pro L. Manilia* eadem fere methodo Pompeium Magnum collaudat.

† ) (Ubi enarratis his, quae ad ortum, pueritiam, adolescentiam pertinent, virilis aetatis classes quaedam constituuntur laudum, v. g. vitae publicae & privatae, prudentiae, iustitiae, aliarumque virtutum. G.)

## VI.

*Earum argumenta ex historia petenda.*

Quemadmodum ergo declamationibus disciplinae\*), ita panegyricis historia adparatum sufficit\*\*); neque quisquam scribet panegyricum, nisi qui interiorem viri laudandi vitam atque historiam in numero habet.

\* ) Vid. supra *cap. 2.*

\*\* ) Sive enim analytica, sive synthetica methodo panegyricus sit elaborandus, utramque paginam facit viri illius (s. feminae, quin civitatis, populi, etc. G.) cui consecratus est, historia. Unde primo omnium sollicitum de ea esse oportet oratorem. Quemadmodum vero superiore capite declamationem scripturos res e disciplinis collectas in certas classes ac argumenta dispescere iussimus: ita & hic historia viri, quem laudaturi sumus, in certas periodos describenda est. Et quidem, si syntheticam methodum eligimus, argumenta iam nota sunt. Quamvis & hic loci communes saepe ex intima philosophia mo-

ra-

rali, iurisprudentia naturali, & civili maxime prudentia depromendi sint. Deinde vero dispiciendum, quid ex historia vel vita viri laudandi ad probandam illam orationis partem aliquid conferat. Sin magis placeat methodus analytica: laudandus erit heros noster a *patria, parentibus, educatione, dotibus corporis, fortunae, animi, rebus, gestis, etc.* Quotcumque ergo mihi laudabilia in historia eius offeruntur: totidem nasci mihi intelligo panegyrici argumenta. (Loci illi a *patria, parentibus, etc.* non tantum directe valent, quoties illustrata & fecunda commemorare licet; sed etiam ex contrario, si obscuram & contentam patriam quis illustravit, si ex malis ortus, prave educatus, bonus ipse tamen evaserit, etc. Cautem tamen ista, in vivis certe, vel apud illorum posteros, tractanda sunt. G.)

## VII.

Collecto igitur ex historia adparatu, eodemque in partes aut argumenta distributo, singulae partes erunt elaborandae. Verum cave hic eodem modo, quo in declamationibus, procedas. Quum enim in his argumentum unumquodque per syllogismum vel enthymema oratorium disponatur\*): in panegyricis singula argumenta *loco communi* & ipsa *historia* constant.\*\*).

*Singula argumenta constant loco communi & historia.*

\* ) Vide *caput antecedens.*

\*\* ) *Locus communis* ostendit, rem esse laudandam: (quod quidem ipsum per syllogismum nonnumquam perficitur, qui aetiologiae in loco communi locum subiit. G.) *historia* vero, laudem istam in virum illum illustrem cadere, demonstrat. Solet tamen nonnumquam locus communis vel omitti, vel brevi certae sententiae includi. Nonnumquam etiam locus communis historiae, nonnumquam haec illi praemittitur, aliquando inter se miscentur. (Variando enim, quantum fieri possit, occurrendum est taedio ex uniformi tenore. G.)

## VIII.

*Locus communis* facile invenietur, considerato paulo adcuratius argumento\*). Quomodo vero elaborandus disponendusque sit, iam priore huius opusculi parte docuimus\*\*).

*Quomodo loci communes elaborandi?*

\* ) E. g. si quis laudandus esset a genere, loci communes tractari possent, splendidos natales multum conferre ad au-

cto-

etoritate : illustri sanguini inesse quosdam virtutis igniculos incitantes ad res magnas gerendas esse virtutes exempla maiorum. ( Sic etiam in contrariis ; de quibus ad §. praeced. dictum. G. ) Porro si de peregrinationibus eiusdem dicendum esset : locum invenirent tractationes de peregrinandi prudentia , de utilitate peregrinationum , cet. ( Hic vel maxime observandum est discrimen inter gnomen & noema , de quo diximus I , 2 , 35. G. )

\* ) Vide supra *lib. I. c. 3. num. II. seq.*

### IX.

*Historia ipsa non nuda recensenda , sed intermixtis subinde iudiciis politicis & moralibus , nec non variis similitudinibus , exemplis , testimoniis illustranda \* ) . Nihil enim occurrere debet in panegyricis , nisi illustre , sublime , magnificentum .*

\* ) Alias enim nihil interesset inter historiam & panegyricum . Hinc vita variis iudiciis & illustrationibus , tamquam gemmis , distinguenda est . Exempli loco proferemus partem panegyrici nostri , quem sempiternae memoriae SAMUELIS STRYKII aliquando consecravimus . In eo educationem huius viri ita narramus , ut subinde intertexamus iudicia quaedam ac illustrationes , quas alio caractere a reliqua historia hic distinguemus : *Vix inestimabile hoc coeli depositum deosculati fuerant parentes : vix mirificam filii indolem e iucundis puerilis prudentiae praeludiis animadverterunt : quum diligenter ac provide circumspicerent viros , qui tantae spei admoverentur , ingeniumque ad summa omnia natum accuratissime formarent . Lentium , non ignobile in Marchia castellum , quasi omne sibi decus in STRYKII natalibus constaret , non alia forebat ingenia , quae iuvenilibus studiis praessent . Sed defectum supplevit parentum pietas , qui non detrectarunt , peregre alere filium , quem domi adhuc faustis sub penetrantibus nutriverant : pulcherrimo prodigalitate genere gloriam hanc lucrati , quod STRYKIO orbi dederint , quo maius dare nihil potuissent . Missus hinc Seebusium , & mox ; schola hac tantum ingenium non diutius capiente , Coloniam Marchicam , dici non potest , quam praecoci incremento adoleverit . In perpoliendo illo honestissima aemulatione concertarunt Vossius , Mullerus , Wellus , digni hoc discipulo magistri : de quibus idemdem cogitandi maxime fit ambiguum , illine STRYKIO , an hic ipsis debere plura videatur . STRYKIO enim illi ad humanitatem optimasque artes : hic illis ad gloriam profuit ; illi huic doctrinae suf-*

fe-

fecerunt copias : hic reddidit aeternitatem . O beatum discipulum his magistris ! O beatissimos magistros discipulo tali ! *Sexennium iam in studiis istis tirocinia ingenii incredibili cum laude posuerat , talemque se praestiterat ubique , ut & aequalium generosorum conatus , & magistrorum opinionem ingenio vinceret : reliquum erat , ut vinceret se ipsum , eumque campum inveniret , in quo virtus eius excurreret latius , & parva tot vigiliis doctrina , mirifice se in publico conspectu explicaret .* Proditum memoriae est , Aesculapii quondam filiis ad commendandam artis auctoritatem suffecisse , si Alexandriae se dicerent eruditos . *Eadem tunc erat Leucoridis fama , ad quam , tamquam ad mercaturam bonarum artium , non solum e vicinia , sed & dissitissimis regionibus ingens quotidie multitudo confuebat , exemplum inde petitura melicris cuiusdam cultiorisque doctrinae .* Hic graviora auspiciatus STRYKIIUS , celeriter antecellere omnibus ingenii gloria visus est . Quid tam est praeter consuetudinem , quam adolescentulum , reipublicae destinatum , politissima humanitatis studia in academiis excolere ? *excoluit : philosophiae se totum tradere ? tradidit : his praesidiis animum ad maiora nitentem praemunire ? praemunivit .* *Vidisses illum iam in Sperlingii scholis castioris sapientiae recessus curiose indagantem , iam duce elegantissimo Kirchmaier novos conatus mansuetioribus litteris impendentem , iam reliquorum philosophorum inhaerentem subselliis .* His meditamentis NOSTER praelusit eruditioni , quam orbis mox erat admiraturus . Eat in omni aevi memoriam tam illustre exemplum , & pudore suffundat posteros , qui suas praecipitando curas , illotis , quod aiunt , manibus sublimiorum scientiarum sacra turbant , & novo genere furoris , prius eruditi esse volunt , quam erudiri . *Aliud animo sedit sapientissimo STRYKIO , qui , quum ad veram Alciatorum , Hotemanorum , Budaeorumque gloriam , non dormitantem illam oscitantemque glossatorum sapientiam coniteretur , studiis elegantioribus selectissimam indolem admovit , quae & fundamentum sternunt eruditioni reliquae , & sui neglectum per omnem vitam severa ultione vindicant .* Quantum ceteris adolescentibus ad salutandos amicos , quantum ad corporis exercitationem , quantum ad alias voluptates innoxias , & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis ; quantum alii tribuunt intempetivis conviviis ; quantum denique aleae , quantum pilae : tantum ille sibimet ad haec studia recolenda sumsit . Cuius quidem consilii quantos fructus per omnem vitam perceperit , si alia deessent huius rei argumenta , vel ex ipso , quod paulo post amplexus est , iurisprudentiae studio adparuit . *Sublimioribus enim his sacris initiatus , nihil reliquit intactum , nihil intentatum , nihil , quod non sagacissima mente penetrarit . Sive vasto iuris Romani mari*

se committeret, sive se praerupto spatiosissimoque legum pontificiarum pelago crederet, sive rerum denique civilium adsuesceret fluctibus: his semper velis securus tam feliciter enavigavit, ut nullis adlideretur errorum scopulis, nulla popularium opinionum incurreret brevicia, nullas ignorantiae Syrtes pertimesceret. Quid ex Zieglero, Lysero, Klengelio? quid ex Nergero? quid deinde in Viadrina ex Dechero, Brunnemanno, aliisque doctissimis viris, de omni iuris legumque ratione accepit, quod non animo ita praeparato tam facile haeserit, ut non tam discere, quam reminisci quodammodo & recordari, ex illa vetere Platonis sententia, videretur? quam fortunato conatu omnes & Romanae disciplinae & Germanici iuris rationes & divortia vasto animo est complexus? quam nihil ex imperii legibus & institutis ignorare se passus est? Hunc in modum deformatus, & lineis omnibus expressus exscriptusque erat ille STRYKIUS, qui ingenii atque eruditionis magnitudine oculos in se non patriae solum, sed universae Germaniae esset conversurus. Id tantum ad summam laudem restabat, ut partes quaedam expolirentur amplius, & inducto veluti colore illuminarentur, ut, tamquam in Apellea tabula, sic in STRYKIO, nihil pulchritudinis aut artificii deesset.

## X.

Qualis sit panegyricorum stilus?

*Stilus* panegyricorum sit sublimis \*), gravis \*\*), acutus \*\*\*), nonnumquam etiam, si ita ferat materiae ratio, concitatus \*\*\*\*). Observandum tamen, sublimis etiam stili certos veluti gradus esse. Unde, quo illustrior est, quam laudamus, persona, eo subliorem gravioremque esse stilum oportet \*\*\*\*\*).

\*) Vide supra *Part. I. cap. 2.*

\*\* ) Maxime haec gravitas in locis communibus & iudiciis, quae historiae immiscenda esse diximus, elucet. Vide supra *Part. I. cap. 2.*

\*\*\* ) Attamen ut in omni vita, ita & hic illud adprime utile est, NEQUIDNIMIS. PLINIUS, & sequentes panegyricorum scriptores, inprimis AUSONIUS, plus iusto indulgent ingenii acuminis, quod etiam ubique ostentant IO. WOWERUS & ANT. MALAGONELLUS. Castiores ea in re M. ANT. MURETUS, AUG. BUCHNERUS, IO. GE. GRAEVIUS, C. G. SCHWARZIUS, quos merito imiteris. Conf. *Part. I. cap. 2.* (Acumen & virtutes orationis reliquas pete ab antiquis. Quantum ad dispositionem, quam vocant, recentiores fere sunt accuratiores.

Ro-

Romanorum enim liber ille spiritus coërceri se non temere patiebatur. G.)

\*\*\*\*) *Stilus* concitatus panegyricorum praecipue in exordiis, (nisi in funeribus, ubi dolorem ciemus, quem sedare animus est, G.) & conclusionibus locum habet, quoties adfectus movendi sunt vehementiores. Conf. *Part. I. c. 2.*

\*\*\*\*\*) Quum enim inter rem, de qua disserimus, ipsamque orationem quamdam veluti proportionem esse oporteat, facile patebit, subliorem esse debere stilum in panegyrico, magno alicui principi consecrato: paullo remissorem vero, si viri vel rerum gestarum, vel eruditionis scientiaeque gloria conspicui, virtutes sint celebrandae. Hinc grandiore oratione AUG. BUCHNERUS Gustavi Adolphi, regis Sueciae, & Ioannis Georgii I. Electoris Saxoniae, laudes enarrat, quam FRISII, METSCHII, ROEBERTI, SENNERTII. Minus hoc observavit IO. HENR. BOECLERUS, cuius oratio paene semper est eadem.

## XI.

Ad *exordium* & *conclusionem* quod attinet; nihil singulare habent panegyrici, nisi quod in utraque \*) parte vehementiores moveri soleant adfectus \*\*), quam qui in declamationibus locum habere possunt \*\*\*).

Quid in exordiis & conclusionibus observandum?

\*) (Vid. §. praeced. n. \*\*\*\*. G.)

\*\* ) (V. g. in oratione natalitia & gratulatoria generatim gaudium ex amore, in funebri luctus ex eodem; quum sacramentum dicitur principi, spes cum amore, etc. G.)

\*\*\* ) Nam saepe in panegyricorum vel exordiis vel conclusionibus uti solemus apostrophis, sermocinationibus, prosopopoeiis, exclamationibus, aliisque figuris patheticis, quae in declamationibus, (i. e. recitatione cuiuscumque dissertationis, quacum perpetuo confundit Auctor declamationem, G.) non solum intempestivae, verum etiam frigidae plerumque essent futurae.

## CAPUT IV.

## DE DIALOGIS.

## I.

*Dialogi, etsi hodie variores, laudem tamen merentur.*

**I**Nscriptionibus prosaicis †), locum haud postremum merentur dialogi, qui veteribus non modo \*) , verum etiam ultimi aevi scriptoribus quibusdam \*\*) fuere in deliciis. Et quamvis hodie paene ab usu recesserint: digni tamen sunt ob iucunditatem ac elegantiam \*\*\*), de quibus praecepta nonnulla \*\*\*\*) suppeditemus.

†) [ His verbis non negatur, etiam versibus dialogos posse scribi, nam ipse Auctor infra §. X. & XII. comicos Latinos huc referre videtur. Bonam partem ex *sermonibus & epistolis* Horatii, quasdam etiam Persii *Satyras*, non male forte dialogos dixeris poeticos, ut de tragicis taceam. Huic generi est fortasse annumerandus divinus liber Iobus, dialogorum &, ut videtur quibusdam, librorum adeo antiquissimus, cuius poësi nihil plane habemus comparandum. N.]

\*) Summis Graecorum philosophis ea scribendi methodus mirifice placuit. Hodienum exstant ( Socraticorum, G. ) PLATONIS, AESCHINIS & XENOPHONTIS dialogi plane egregii. Nec ignoti sunt ATHENAEI *δειπνοσοφισταί*, LUCIANI ( comicophilosophi, G. ) *dialogi*, aliaque huius generis opera. E Latinis in dialogis scribendis excelluit CICERO, qui & philosophica & oratoria scripta pleraque hac methodo composuit. ( VARRONIS *de re rustica libri III.* ipsi quoque formam dialogi habent, PETRONII item *Satyricon.* G. ) Exstat etiam CORN. TACITI, vel potius incerti auctoris de caussis corruptae eloquentiae dialogus elegantissimus, cui iungendus MINUCII FELICIS insignis dialogus, quo christianae religionis caussam contra gentilium calumnias peroravit. Omitto MACROBIUM, qui ( in *Saturnaliis*, G. ) ATHENAEUM ( in *δειπνοσοφιστῶν* libris, G. ) non infeliciter imitatus est, & alios. [ Inprimis christiani scriptores primi, quos patres vocare solemus, cum Platonis philosophia scribendi quoque rationem dialogicam accepisse videntur, certe inter Graecos plures reperias, qui illam amarint, quorum dialogos potiores hic indicare, forte non erit, extra oleas vagari. Sunt igitur IUSTINI MART. *cum Tryphone Iudaeo*, ORIGENIS *contra Marcionistas*, ATHANASII *de sancta trinitate*, PALADII *de vita Chrysostomi*, CHRYSOSTOMI *de sacerdotio*, CYRILLI Alex.

cum

*cum Hermia*, THEODORETI tres, AENEAE GAZAEI *de animae immortalitate*, & *corporum resurrectione*, ZACHARIAE Mitylen. *de mundi opificio*, contra philosophos mundi aeternitatem asserentes, IO. DAMASCENI *adversus Manichaeos*, D. HIERONYMI, Theologi Graeci, *de S. Trinitate*, GENNADII SCHOLARII *de via salutis humanae*, & reliquorum. Neque Latinis displicuisse plane hanc methodum, fidem faciunt non Minucii solum, sed aliorum quoque dialogi, ut HIERONYMI *adversus Luciferianos*, SULPITII SEVERI tres, SALONII *in proverbialia & ecclesiasten Salomonis*, ut de Pomerio, Gregorio Papa, & dialogorum scriptoribus sequioris aevi reliquis taceamus. N.]

\*\*) Recentioribus paullatim vel displicere, vel ignota esse coepit haec scribendi ratio. Neque tamen nulli aliquid ea in re ausi sunt. Nam ut colloquiorum scriptores, ( Vivem, Erasmus, Castellionem, Pontanum, Corderium, Langium, etc. G. ) omittam, & qui in vernacula eiusmodi quid tentarunt, non invenisti sane sunt dialogi quidam M. ANT. MAIORAGII, IANI NICII ERYTHRAEI, IUSTI LIPSII, ( in scriptis de philosophia Stoicorum atque antiquariis, [ & qui hunc imitatus esse videtur, in similis, numismatici praesertim, argumenti libris, LAUR. BEGERI. N. ] Post renatas litteras PETRARCHA *de remediis utriusque fortunae*, PLATINA *de falso & vero*, etc. & plerique eius aevi hoc scribendi genere excelluerunt; deinde eodem sunt usi HIER. OSORIUS in libris V. *de gloria*, [ ANT. AUGUSTINUS *de emendatione Gratiani*, & de numis veterum, quem posteriorem librum in Latinam linguam ex Hispanica ANDR. SCHOTTUS transtulit, ] IO. BODINUS in *theatro naturae*, & *colloquio heptaplomeri*, NIC. PARTHEN. GIANNETASIIUS in *aetatibus & autumnis Surrentinis*, quae colloquia sunt amicorum de rebus iucundis & eruditis, IO. STURMIUS *in partitiones oratorias Ciceronis*, etc. IO. LUD. FABRICIUS in variis opusculis, I. P. DE CROUSA in *tentamine logico*, IOS. AUREL. DE IANUARIO in *republica Ictorum*, & alii. [ Quin nostra aetate haec consuetudo quasi postliminio venit in usum, inprimis ANT. FONTENELLIUS cives suos suo exemplo excitavit, qui patria lingua ad dialogorum formam libris nobis plures darent, in his aurei sunt N. ] *le spectacle de la nature*, [ & *dialogues Socratiques*, etc. Britannia nobis dedit Addisonianos illos, *de usu antiquorum nummorum*, *dialogos* Anglice scriptos suavissime: ut taceam de reliquis. ]

\*\*\*) Quemadmodum enim, omnis imitatio habet, quod nos capiat atque oblectet: ita non potest non dialogus cum voluptate legi, qui doctorum virorum mores, urbanitatem, disserendique rationem veluti in theatro sistit. Nec iucunditate so-

lum, sed & utilitate sua, nonnumquam se commendant dialogi. Quum enim veritates nonnullae ita sint comparatae, ut si nudae ac sine involucro sistantur, animo parum composito duriores videri possint: consultissimum erit, argumentis in utramque partem adlatis, de iis disputare, & lectori permittere iudicium. Cui rei maxime inservient dialogi. Unde facile patet, cur GALILAEUS a GALILAEIS solum de systemate mundi dialogistica, quam dogmatica, methodo conscribere maluerit. Et nescio sane, an non id innuere voluerit QUINCTILIANUS, quando dialogis libertatem adscribit, *lib. X. c. 5. 15. Quapropter historiae nonnumquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda, & dialogorum LIBERTATE gestiendum.* Quamvis enim ibi pro *libertate* Vossiani codices habeant *ubertate*: tamen quum id vocabulum iam paullo ante adhibuerit scriptor elegantissimus, non sane verosimile est, eum illud hic repetere voluisse. (Non hoc me movet simpliciter; sed in tantum, ut potius una phrasi comprehensurum fuisse putem historiam & dialogos. Illa vero dialogorum utilitas magna sane, quae in eo inest, ut academice philosophari possimus in utramque partem, & sic occultare sententiam; G.) [non raro tamen lectoribus parit incommodum aequae magnum hoc, quod vera auctoris sententia non facile potest cognosci. Ita Platonis, & in libris oratoris, Ciceronis sententia quae sit, perspicere, res est maxime difficultatis. N.]

\*\*\*\*) Equidem iam olim elegantem de dialogo librum edidit CAR. SIGONIUS ad IO. Moronum, cardinalem, excusum *Venet. c1512lxii. & Lips. c1512xcvi.* in 8. Sed ille historicus potius & criticus est, quam rhetoricus, quod & de GEORG. PASCHII diatriba de usitata veterum exemplo ratione tradendi per dialogos, *Kilonii c1512ccc. 4.* edita, dicendum videtur.

## II.

Est vero DIALOGUS †) *fiſtum* \*) *inter viros doctos* \*\*) *colloquium, quo variae de materia quadam dubia sententiae* \*\*\*) *expenduntur.* (Nimis angustam puto definitionem. Certe nec viri, nec docti, nec de materia dubia loquentes necessario & semper inducuntur. G.)

†) [Albinus in Fabric. *B. Gr.* III, 2. p. 44. Platonis dialogum sic definit: "Ἐστὶ λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως εὐγεγεμένους περὶ τίνος τῶν πολιτικῶν καὶ φιλοσόφων πραγμάτων, μετὰ τῆς πρεπύσεως ἐδοποίας τῶν παραλαμβανόμενων προσώπων καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς.

κενής. Ponamus pro iis, quae Platoniorum dialogorum propria sunt, *περὶ παντοδαπῶν πραγμάτων*; & iustam habebimus dialogi definitionem. N.]

\*) Plerosque ergo dialogos sermones personis tribuere, quos numquam inter se habuere, satis constat. Ac proinde SOCRAATES, viso PLATONIS Lyside: *Prob dii immortales!* inquit, *quam multa de me mentitur adolescens!* DIOG. LAERT. III, 35. Non magis veras esse, quae in LUCIANI, CICERONIS, aliorumque veterum dialogis viris summis tribuuntur, orationes, facile unusquisque, qui in his non plane hospes est, intelliget. (CIC. *fam.* IX, 8. ad Varronem: *Puto fore, ut, quum legeris, mireris, nos id loquutos esse inter nos, quod numquam loquuti sumus. Sed nostri morem dialogorum.* G.)

\*\*) Exstant etiam dialogi, in quibus dii vel mortui in campis Elyseis inter se confabulari finguntur, quales e veteribus LUCIANUS confecit. Hos POETICOS dicere possis ob ingeniosam fictionem, quae hic utramque paginam facit. Sed quum ob fuites libellos, nostra memoria hac methodo scriptos, hi dialogi fere ridiculi facti sint, iis iam quidem non immoramur.

\*\*\*) Equidem, quemadmodum familiares de rebus variis inter se caedunt sermones: ita & dialogos de rebus omnibus conscribi posse, nemo dubitaverit. Sed quum hic de iis potissimum agamus colloquiis, quae inter viros eruditos habita finguntur, hi vero non videantur de lana caprina sermocinari: aptissimam dialogis materiam suppeditabunt quaestiones dubiae, de quibus in utramque partem solet a viris doctis disputari. Sic CICERO modo diversas de diis sententias, modo ancipites veterum de divinatione disputationes, modo quaestiones de facto, vel de summa hominis felicitate, examinat paullo accuratius.

## III.

Quamquam autem multiplices sunt dialogi \*) : praecipue tamen hic observandum, alios HISTORICOS \*\*) esse, alios COMICOS \*\*\*). Quae divisio non ab obiecto, sed a forma vel scribendi ratione, desumitur.

\*) Sic PLATONIS dialogi vulgo dividi solent in φυσικῆς, qualis est *Timaeus*; ἠθικῆς, qualis est *apologia Socratis*; λογικῆς, quales sunt *Theages*, *Cratylus*, *Sophista*, *Laches*; ἐλεγκτικῆς, quales *Parmenides* & *Protagoras*; πολιτικῆς, quales *Criton*, *Phaedo*, *Minos*, *Symposion*, *Leges*, *Menexenus*, *Clitipho*, *Philetus*; κειραγωγικῆς, quales *Euthyphron*; *Meno*, *Ion*, *Charmides*; μαγευτικῆς,

Dialogus quid sit?

Quotuplices illi sint?

nēs, qualis *Alcibiades*; ac denique ἀναγρεπτινός, quales *Hippias*, *Euthydemus* & *Gorgias*. Vid. *ALBINI introd. in Platonis dialog.* n. 5. apud *FABRIC. Bibl. Graec. III, 2. p. 46.*

\*\*) *Historicos* dialogos voco, in quibus, quid inter personas actum sit, historice narratur. Tales sunt *CICERONIS* dialogi de oratore, de finibus, de divinatione, aliique, (*VARRONIS de re rustica*, quidam *LUCIANI, G.*) in quibus tum occasio colloquii tum ipsi qui inter amicos ulro-citroque habitant sunt, sermones historice enarrantur.

\*\*) *Comicos* adpello dialogos, ubi, sine narratione, sermones personarum, directa oratione, proponuntur. Tales sunt *CICERONIS* dialogi de legibus, ut & eiusdem *topica ad Trebatium*, nec non *partitiones oratoriae*. *PLATONIS* etiam, *LUCIANI* & *ERASMI* dialogi plerique sunt comici.

## IV

Quales personae eligendae in dialogis historicis?

Ad *historicos* quod adinet dialogos, primo omnium eligendae sunt personae, & quidem tales, quae uno eodemque tempore vixerunt \*), & quas ita loquenturas fuisse verosimile sit \*\*).

\*) *Ridiculum* ergo esset, v. c. *Abrahamum*, *Petrum* & *Mahumedum* colloquentes introducere, qui quum eodem tempore haud vixerint, nec colloqui profecto inter se potuerunt. Et tamen ne *PLATO* quidem sibi ab hoc vitio temperavit, qui in *Timaeo* philosophum hunc *Pythagoraeum* introducit colloquentem cum *Socrate*, quos tamen eodem saeculo haud vixisse iam *MACROB. Saturn. I, 1.* observavit, quamquam & *CICERO* de finib. V. eum a *Platone* auditum referat. (Nempe *Timaeus* & *Socrates* licet non fuerint eiusdem γενεᾶς, ut *Macrobii saeculum* interpretor, una tamen esse potuerunt. G.) Immo & *Socratem* cum *Parmenide*, cuius pueritia vix *Socratis* senectutem adprehenderit, & *Paralum* ac *Xanthippum*, *Periclis* filios, cum *Protagora* committit *PLATO*, quum illos multo ante infamis illa pestilentia *Athenis* absumsisset. *MACROB. ibid.* (*Plutarchus VII.* sapientes conduxit, non satis caute. Generale hoc est dialogorum omnium praeceptum. Ceterum in dialogis mortuorum maior hic licentia, quum apud inferos una esse fingi queant, qui totis saeculis alioquin fuere seiuncti. G.)

\*\*) Ut ubique, ita & hic τὸ πρότερον utramque paginam facit. Hinc ludibrium deberet lectoribus, qui e. g. *Augustum* & *Liviam* de substantiae definitione, aut de usu syllogismorum loquentes introduceret. Quis enim credat, par istud coniugium de

de quaestionibus eiusmodi levissimis inter se disseruisse? Pecavit ea in re ipse *CICERO*. Quum enim in quaestionibus academicis *Lucillum* & *Catulum* introduxisset loquentes, ab *Attico* monitus, tantos † viros de rebus eiusmodi colloquutos, vix esse verosimile, mutavit consilium, aliasque personas elegit.

† (Pro illo *tantos* rectius dictum esset *hos*. Nemo tum tantus, quem non deceret disputare de argumento academicorum. Sed scilicet *Lucillus* & *Catulus* hoc genus litterarum non amabant. Ceteroquin maximi saepe de minimis agunt, & nugas amant maximas. G.)

## V.

Partes eiusmodi dialogorum tres numeramus, παρασκευὴν, (*exordium*) ἀγὼν (*tractationem*) καὶ ἐπίλογον (*epilogum*) \*).

Quot partibus illi constant?

\*) *Παρασκευὴ* occasionem colloquii, ἀγὼν (*commisio*. G.) ipsum colloquium, ἐπίλογος denique, quomodo illud abruptum sit, enarrat.

## VI.

*Παρασκευὴ* partim *prologo* \*), partim *narratione* \*\*), constat, tametsi *prologus* non semper videatur necessarius.

Qualis sit παρασκευὴ?

\*) *Prologus* nihil aliud est, quam totius dialogi *exordium*, quod vel ab ipsa re, vel a circumstantiis loci, temporis, personarum, potest desumi. Sic *CICERO* dialogos de divinatione auspicatur a veteri quaestione, an sit divinatio quaedam praesensioque rerum futurarum? Dialogis de natura deorum praemittit. In principio librorum de legibus, de laudibus municipii *Arpinatis*; alibi de laudibus *Luculli* & *Hortensii* disserit.

\*\*) *Narratio* quasi viam pandit ad colloquium, & qualis fuerit sermocinandi occasio, enarrat. Dicendum ergo, ubi viri isti congressi sint, & qua occasione in hanc disputationem inciderint. Ingenio ergo non magis, quam iudicio, hic opus est, ne quid fingamus, quod circumstantiae non ferant.

## VII.

*Prologus* non aliter, quam quodcumque aliud orationis *exordium*, elaboratur \*). *Narratio* vero ordinem temporis observat, adeoque, quid antecesserit, quidve consequutum sit, sigillatim exponit \*\*).

Ea constat prologo & narratione.

\*) Quemadmodum ergo orationis exordium *protasi*, *aetiologia*, *apodosis* & *basi* absolvitur: ita eadem partes in dialogorum prologis observantur. Id quod vel unico exemplo demonstrare iuvat: CICERO *de nat. deor.* l. 1. in prologo huius dialogi dissensum philosophorum de eorum existentia & natura hoc ordine exponit.

I. PROTASIS. *Magna semper fuit inter philosophos contentio de natura deorum.*

II. AETIOLOGIA. *Disputant enim*

I. *de existentia deorum,*

II. *de eorum essentia.*

III. *de providentia.*

III. APODOSIS. *Et tamen haec quaestio maximi momenti est.*

IV. BASIS. *Hinc philosophiae me sedulo dedi, & maxime amavi academicam, quae nihil temere adfirmat. Unde etiam methodo academicorum de natura deorum disputabo.*

Habes hic omnes exordii partes, ad quas facile etiam reliquorum dialogorum prologos licebit revocare. (Conf. quae supra observata sunt II, 2, G.)

\*\*) Hinc vulgo aiunt, *narrationem constare antecedentibus, concomitantibus, & consequentibus.* CICERO eodem dialogo ita narrationem disponit:

I. ANTECEDENS. *Veni ad Cottam feriis Latinis, & inveni disputantem cum Velleio Epicureo & Balbo Stico.*

II. CONCOMITANTIA. *Tum me Cotta invitavit ad disputandum.*

III. CONSEQUENS. *Facile ei assensus, primo Velleium rogavi sententiam.*

Elegans in primis est *παρασκευὴ*, quam Octavio suo praemisit MINUCIUS FELIX. Exorsus enim a laudibus Octavii Christiani, deinde narrat Caecilium, deorum cultorem, Octavio familiarissimum, salutatum hunc venisse, quocum hic ad maris litus deambulatum exierit. In via Caecilium incidisse in simulacrum Serapidis, quod quum more maiorum veneraretur, Octavium monitum esse a Minucio, ne pateretur familiarem diutius in tanta re errare. Hinc occasionem illis natam de religione disputandi. (Si nihil, Platonis certe *παρασκευὰς* illas legant harum litterarum studiosi. G.)

### VIII.

*Quid sit ἀγών*

*Ἄγών* ipsum enarrat colloquium. Ubi observandum, varias de quaestione sententias inter personas colloquentes esse distribuendas \*). Primae partes plerumque deferuntur personae, quae opinionem vel vulgarem,

rem, vel paullo absurdiorem defendit \*\*). Ubi haec persona dixit sententiam, altera respondet, & prioris argumenta partim probat, partim refellit, &, quid sibi videatur, exponit \*\*\*). Idem & reliquae, si plures sint, personae faciunt. Accedit nonnumquam veluti arbiter, qui totam litem componit \*\*\*\*).

\*) (Si nempe tractatur quaestio una, quod non semper fit: nam interdum narrant de facto, ubi sententiam quisque dicit: de antiquitate disputant, ubi uni hoc, aliud alii in mentem venit. Sed nempe Auctor Socraticum illud genus tractat. G.) Hanc regulam accurate plerumque observat CICERO. Sic in dialogo de natura deorum alium ex mente Epicureorum, alium ex sententia Stoicorum, alium ex Platonicorum principiis de diis disserere fingit. Ita & MINUCIUS FELIX Caecilio partes paganorum, Octavio Christianorum tribuit.

\*\*) Hinc in CICERONIS saepe laudato dialogo VELLEIUS Epicureus, in MINUCII FELICIS OCTAVIO CAECILIIUS, deorum cultor, prior dicit sententiam. (Sic in Tusculanis incipit A. *Malum mihi videtur esse mors.* Sic semper in Petrarcha a principio proponitur vel felicitas quaedam vel infelicitas. G.)

\*\*\*) Hic quoque exemplum luculentissimum dabit MINUCII FELICIS dialogus, in quo Octavio Caecilii argumenta non solum accurate refellit, sed & pro christiana religione copiosius disserit.

\*\*\*\*) Ita eodem dialogo MINUCIUS FELIX veluti arbitri partes in se suscipit. Sed observandum, arbitrio eiusmodi locum vix esse in dialogis CICERONIS. Quum enim hic academicorum scholae dedisset nomen, qui nihil temere adfirmabant, facile patet ratio, cur numquam componat litem, sed lectores veluti sub cultro relinquat. (Conf. HORAT. *sat.* I, 9, 74. G.)

### IX.

*Epilogus* plerumque brevissimus est, & tantum, quomodo interruptum sit colloquium \*), aut quid rei consequutum sit \*\*), enarrat.

*Qualis epilogus?*

\*) Hic quoque aliquid, quod verisimile sit, fingendum, v. c. accessisse amicum, qui alio sermonem inflexerit, vel itum esse ad coenam, in qua aliis de rebus in multam noctem confabulati sint, cetera.

\*\*) Sic MINUCIUS FELIX in epilogo narrat, Caecilium, Oc-

Octavii oratione permotum, profanas de religione sententias eierasse, & christianae ecclesiae dedisse nomen. ( Narratur apud Varronem eventus comitiorum; mors amici, quem expectabant, etc. G.)

## X.

Quales personae eligendae in dialogis comicis?

Dialogi *comici* non historice narrant, quid inter se sermocinati sint amici, sed tantum directa oratione, ut comici solent, singulorum orationem proferunt, praemissis semper personarum nominibus \*). Quo fit, ut veluti κατ' ἑξοχὴν *colloquia* vocentur eiusmodi dialogi.

\*) Quum in dialogis *historicis* plerumque personae verae introducuntur inter se colloquentes; in comicis nomina fere finguntur, quamvis & hic laudem mereatur ὀνοματοποιία, quae characterem personarum quodammodo exprimit, qua in re PLAUTUS inprimis mirus fuit artifex. ( Plerumque illud & fere falsum utrumque puto. Luciani Fontenellique dialogi varia nomina habent. Etiam Platonici quidam sunt comici, ut adeo plane esse indifferens videatur. G.)

## XI.

Quot partibus illi consistent?

Haec quoque colloquia παρασκευὴ, ἀγώνι & ἐπιλόγῃ absolvuntur. Verum παρασκευὴ nec prologum nec narrationem complectitur, sed tantum ipsum ostendit sermonis initium, & quo ordine colloquentes in hos sermones inciderint \*).

\*) Sic ERASMUS colloquium de peregrinationibus religiosis inchoaturus, fingit, peregrinantem quendam, domum redeuntem, in amicum incidere, qui illum blande salutatum de itinere percunctatur. Quumque inter alia hic quaerat, quem inde fructum ceperit, occasio illis subnascitur, de peregrinationibus religiosis liberius confabulandi, Elegans est illud ERASMI colloquium, & quod una cum eiusdem ἰχθυοφαγία palmam reliquis omnibus praeripere existimo. Unde illud colloquendi artificium ex his quam optime addisci posse videtur. ( Sed cicero etiam *Tusculanae* disputationi primae praemittit exordium: deinde, Sed quo commodius, inquit, disputationes nostrae explicentur; sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium. A. malum mihi videtur esse mors, etc. G.)

## XII.

## XII.

De *stilo dialogorum* non est, quod hic plura moneamus; quum illum iam supra \*) satis accurate descriptum meminerimus. Illud tantum addo, hic quoque personarum, quas loquentes introducimus, habendam esse rationem, ne vel pueris cothurnos, vel Herculi soccos aptemus \*\*).

Qualis dialogorum stilus?

\*) Vid. Part. I. c. 2.

\*\* ) Alius enim dicendi character viro erudito, alius indocto, alius viro honesto, alius parasito, alius Thrasoni competit. Haec quoque in re parem vix habent LUCIANUS, PLAUTUS, & TERENCEIUS, quibus nemo fere diversos personarum characteres ipsa etiam forma stili adcuratius expressit. ( Terentius tamen modestior, nusquam plebeius valde est. G.) Contra ea PLATO, cuius stilo omnes tantam tribuerunt laudem, ut ipsum Iovem, si Graece loqui vellet, Platonis oratione usum somniant, ubique eundem servat stili characterem, eandem orationis ubertatem, eaque re multum venustatis dialogis suis detrahit. ( Discrimen personarum servat etiam PLATO: sed nimirum apud eum omnes philosophantur, & quidem ubique Socrates, ubique homines eruditi, ubique de argumento philosophico & politico: unde non tanta potest esse, quanta in LUCIANO, varietas. G.)

## CAPUT V.

## DE INSCRIPTIONIBUS.

## I.

PROsa oratione etiam *inscriptions* conficiuntur, quae cum ultimis potissimum temporibus, id est, patrum nostrorum memoria, novam veluti faciem induerint, recte in *antiquas* & *novas* dispesci possunt \*).

Inscriptiones vel veteres, vel novae.

\*) Quales veteres fuerint inscriptiones, satis adparet e tot marmoribus, quorum epigraphas collegerunt IAN. GRÜTERUS,



RUS, THOM. REINESIUS, RAPH. FABRETUS, IO. BAPT. FERRETIUS, IAC. SPONIUS, IAC. PHIL. TOMASINUS, SERTOR. URSATUS, IAC. SALOMONIUS, ONUPHR. PANVINIUS, MARC. VELSERUS, PHIL. a TURRE, CAR. CAES. MALVASIA, IO. VIGNOLIUS, nuper etiam SCIP. MAFFEIUS in *antiquitatibus Galliae*, (deinde in *musco Veronensi*, G.) & MAIANSIUS in *epistolis*, (HAGENBUCHIIUS in *epistolis epigraphicis*, G.) aliique quam plurimi. Ut iam non dicam de nova MARQUARDI GUDII collectio-  
ne, quae *Leopardiae* typis Halmianis excusa, prodit tandem c1010ccxxxii. (Et de tribus operibus, quibus ANT. FRANC. GORIUS locupletavit saeculum, nempe *inscriptionibus* iis, quas DOMIUS collegerat, tum *Etruscis*, ac denique *columbario* s. *monumento libertorum Liviae Augustae*; de MURATORII *thesauro*, & quae per hanc occasionem disputata, etc. Conf. supra dicta ad I, I, 4. n. \*\*. G.) At postremis temporibus aliud in usu esse coepit inscriptionum genus, ex meris argutijs conflatum, quod cum vetere illo nihil habet commune, nisi quod auctores, & harum inscriptionum breves longasque lineas promiscue ponere solent. Quum enim ob poetarum ineptias ipsa carmina, quantumvis nitida, sordere coepissent viris gravibus: (Quid si etiam hoc addas: Quum ob difficultatem divinae artis carmen desperarent quidam, ingenii laudem captantes viri, sed *aus-  
sai*? G.) coeperunt illi aliquid reperire inter orationes & ver-  
sus medium, & loco carminum, cudere inscriptiones argu-  
tas. Auctores huius rei Itali, inter quos mirifice hoc sive in-  
scriptionum, sive elogiorum genere delectati sunt LAUR. RIG-  
NORIUS, IAC. SALIANUS, EM. THESAURUS, OCT. FERRA-  
RIUS, (huius tamen inscriptiones & elogia potius ad antiqui-  
tatis iudicium conformata sunt: nisi quod quaedam longis bre-  
vibusque versibus distincta, & paullo argutiora, G.) IO. PA-  
LATIUS, aliique, quos deinde & Galli, Germani, ceterae-  
que nationes imitari non dubitarunt. Parum honorifice tamen  
de novo hoc inscriptionum genere sentiunt eruditi, quotquot  
sunt antiquae elegantiae tenaciores. Nam praeterquam quod  
exemplo veterum destituuntur, nescio quid declamatorium &  
sophisticum sapit argutus ille inscriptionum stilus, nec magis  
virum gravem decet, quam vestis auro gemmisque operata. Vid.  
BOECLERI *museum tom. III. dissert. acad. p. 337. sequ. MORH.  
disciplin. argut. III, 4. p. 180. seq.*

Veterum ex-  
emplo conscri-  
ptae

Veteres hodie imitamur, quoties in portis, propu-  
gnaculis, pontibus, aliisque publicis operibus inscri-  
ptio-

ptiones ponendae sunt \*). Idem stilus lapidaris maxi-  
me ornat epitaphia \*\*), cenotaphia \*\*\*), & alia hu-  
ius generis monumenta.

ptae quando  
hodie locum in-  
veniant?

\*) Non temere ullum opus publicum exstruxere Romani,  
quod non addita inscriptione aliqua veluti consecrarint. Illud  
& hodie imitantur principes, famae suae studiosiores, ut vel ex  
solis illustrissimi auctoris (FERD. FUSTENBERGII, episc. Pa-  
derb. G.) MONIMENTIS PADERBORNENSIBUS liquet. Sic &  
hodie saepius titulis eiusmodi ornantur portae urbium aedium-  
que publicarum, catarractae, arcus triumphales, pontes, alia-  
que opera publica, qualia exempla passim exstant in EM. THE-  
SAURI *inscriptionibus*. Hic vero cave, novas illas inscriptiones,  
quarum superiore paragrapho mentionem fecimus, imiteris.  
Exigit enim temporum nostrorum elegantia, ut veterem potius  
illum stilum lapidarem exprimere conemur. (Multo minus lin-  
guae hodiernae talibus inscriptionibus sunt adhibendae. Quanti  
res momenti putentur inscriptiones, ostendit exemplum acade-  
miae inscriptionum, in Gallia institutae A. c1010clxiii. Vid.  
LUCAE oratio *de monumentis Latine inscribendis*, quam Blackwal-  
lo suo subiecit Ill. Ay rerus. Anno nimirum MDCLXXXVI  
disputabatur, an Gallice inscribi deberent monumenta regis?  
etc. Horum monumentorum praecipua fere nummi. G.)

\*\*) Neque enim probantur eruditis epitaphia hodierna, in  
quibus praeter vitae mortisque historiam, & aliquot sententias  
e scriptura sacra depromtas, nihil omnino occurrit, quod pla-  
ceat. Imitandi & hic veteres, quorum epitaphia & brevitate con-  
cinnitateque, & interdum etiam acumine, sed non anxie quae-  
sitis argutijs, sese lectoribus commendant. Plura eiusmodi mo-  
nimenta exstant apud GRUTERUM, REINESIUM, SPONIUM,  
aliosque, e quibus optima quaevis seligi oportet, quae imite-  
mur. Neque enim negari potest, alia sequioris aevi inquinata  
Latinitatem, alia vel auctorum vel lapidarum ruditatem  
redolere.

\*\*\* ) Cenotaphia ab epitaphiis quomodo differant, nemo  
ignorat. EPITAPHIUM est titulus, vero sepulcro suffixus; CENO-  
TAPHIUM *inscriptio sepulcro honorario adiecta*. Talia sepulcra ho-  
norarya sunt monumentum illud Drusi Moguntinum, vulgo *der  
Eichelstein*, (sed hic nihil inscriptionis, quod memorent Grute-  
rus, Reinesius, monumenta Paderbornensia, etc. G.) & ce-  
leberrimum cenotaphium Pisanum, Caii & Lucii Caesarum me-  
moriae positum, quod singulari eoque peregrino commentario  
illustravit doctissimus Romanae ecclesiae cardinalis, HENR. NO-  
RISIUS, *Venet. c1010clxxxii. fol.* [ Monumenti ipsas inscri-  
ptio-

ptiones exhibent etiam Fleetwoodus p. 71. sq. & editiones Suetonii Graeviana ac Burmanniana. N.]

## III.

In iis quid observandum?

Ut vero stilum lapidarem veterem paullo accuratius exprimamus, quaedam tum circa *materiam dispositionemque*, tum circa *eloquutionem* ac *orthographiam* monenda sunt.

## IV.

Earum materia.

*Materiam* facile sufficere occasio. Nemo enim non videt, si verbi gratia aedificium publicum inscriptione vel titulo notandum sit, tunc finem, causam efficientem, & tempus in eiusmodi monumento esse exprimenda \*). Non temere tamen inscriptio publica poni solet, in qua non principis honorifica fiat mentio \*\*).

\*) Sic e. g. muris Veronensibus haec inscriptio addita reperitur apud GRUTER. *Inscript. pag. CCXVI, 12.*

COLONIA. AVGVSTA. VERONA.

NOVA. GALLIENIANA.

VALERIANO. II. ET LVCILIO. COSS.

MVRI. VERONENSIVM.

FABRICATI.

EX DIE III. NON. APRIL.

DEDICATI. PRID. NON. DECEMBR.

Habes hic murorum finem, scilicet ut praesidio essent coloniae Veronensi: habes causam, vel certe quibus consulibus Romanis id factum sit, habes denique aedificationis ac dedicationis tempus. Omnia enim haec scire posteritatis intererat.

\*\* ) Quaecumque in monarchia geruntur principis geruntur auspiciis. Unde non facile praetermitti solet grata ac honorifica eorumdem mentio. Quid? quod legibus cautum sit, ne privatorum nomina operibus publicis inscribantur, sed principum, l. 3. *Dig. de oper. publ.* nisi privati sumtus in illa fecissent, l. 2. §. 2. l. 3. §. 2. *D. eod.* Notandum tamen, adulationem illam, quam in Romanis posterioribus ubique animadvertimus, ex inscriptionibus etiam passim elucere. Nihil enim frequentius est loquutionibus: DEVOTUS NUMINI MAIESTATIQUE EIUS, DIVINA EIUS PROVIDENTIA, cet. (Ubi tamen observandum, alio sensu haec talia de principibus dicta, alio de aeterna natura, quam Deum vocamus. *Numen* est auctoritas, quae nutu per-

perficere multa ac magna potest: *devotus*, qui pro aliquo se mori velle promittit. G.)

## V.

Ad dispositionem quod adinet, a *publicis monumentis* seiungere soleo *epitaphia*, quo olim & Inscriptiones privatorum status subiectae pertinebant: quamvis uti antiquioribus temporibus inscriptiones vel titulos statuarum plane ignorabant, & plerosque a posteris demum additos esse, observat IAC. PERIZONIUS *Animadv. histor. c. 7. p. 302. sequ.* (vid. EDM. FIGRELIUS *de status illustrium Rom. G.*) ita & iam pridem exolevit mos ille, privatis dedicandi statuas. In EPI-TAPHIIS plerumque praemittitur CONSECRATIO \*), cui deinde subiungitur MORTIS vel SEPULTURAE mentio \*\*). Hinc porro sequitur NOMEN defuncti \*\*\*), cui ELOGIUM aliquod breve & acutum \*\*\*\*) addi solet. Accedit postea DIES EMORTUALIS & defuncti AETAS. Nonnumquam & ALLOQUUTIO vel ad defunctum \*\*\*\*\*), vel ad viatorem \*\*\*\*\*), subiicitur. Quibus omnibus denique subiungitur NOMEN illius, qui istud monumentum fieri curavit †). Reliqua, tamquam *πάρεργα*, merito praetermittimus ††).

Earumdem dispositio, & quidem epitaphiorum.

\*) CONSECRATIO illa vel dedicatio saltim non temere omittebatur a Romanis, apud quos sepulcra pontificii iuris, adeoque religiosa, putabantur. Vid. *antiquitat. Roman. iurisprud. civil. illustrant. II, 1, 4. p. 409.* Quum vero illa dicata dicerentur diis inferis: semper fere epitaphiis praemitti solebant litterae: D. M. id est, *dis manibus*, vel: D. M. S. *dis manibus sacrum*, item: D. I. M. S. *dis inferis manibus sacrum*, IAC. GUTHER. *de iure man. III, 1.* Verum quum apud nos superstitionem illam iam pridem expulerit sanctior religio: consecratio illa in Christianorum epitaphiis vel plane omitti, vel certe in has litteras inflecti potest: D. O. M. S. vel D. O. M. id est: *Deo optimo maximo sacrum*, vel *Deo optimo maximo*.

\*\* ) Solet haec elegantiore aliqua phrasi exprimi, v. g. MORTALE, QUIDQUID HABUIT, HIC DEPOSUIT. ADSTAS VIATOR TROPAEI. SITAE SUNT SUB HOC MONIMENTO EXUVIAE, cet.

\*\*\* ) Hic

\*\*\* ) Hic quoque cavere solent antiquae elegantiae studio-  
siores , ne nomina longo titulorum syrmate onerent. Sic prin-  
cipis titulum veteri exemplo ita liceret reddere : INCOMPARA-  
BILIS PRINCEPS , vel : IOSEPHUS , IMP. CAES. AUG. P. P. vel :  
PRINCEPS PIUS , FELIX. AUG. P. P. vel : CAROLUS , IMP. CAES.  
AUG. GERMANICUS. GALLICUS. HISPANICUS. ITALICUS. HUN-  
GARICUS. TURCICUS. ( Notandum , a devictarum gentium no-  
minibus hos titulos sumtos. Itaque nec HISPANICUM , nec  
ITALICUM , nec HUNGARICUM , minime omnium GERMANI-  
CUM , ex ista ratione vocari Carolum debuisse. Civilia bella  
nec triumphum nec nomen dabant. Potius itaque consueta &  
sollemnia titulorum verba hic servarem. G. ) Talia etiam sunt  
elogia : PRINCEPS IUVENTUTIS , ( PRINCEPS EQUITUM , G. )  
PRINCIPIS AMICUS , PRINCIPIS A SECRETIS , AB EPISTOLIS , cet.

\*\*\*\* ) Id quo brevius atque acutius , eo erit elegantius ;  
V. C. INCOMPARABILIS EXEMPLI FEMINA , QUAE NUMQUAM  
MARITUM , NISI MORTE , TURBAVIT. PUER VENUSTULUS ,  
IPSISQUE GRATIIS AMABILIOR. PRINCEPS IMMORTALITATE  
DIGNISSIMUS , SI ALIUD AD AETERNITATEM ITER PATUIS-  
SET. AMOR DELICIIUMQUE GENERIS HUMANI. QUEM AUT  
NASCI NUMQUAM , AUT NUMQUAM MORI OPORTUISSET , cet.  
( Haec & sequentia valde augeri possunt , & sunt indices ta-  
lium peculiare , exemplo Gruteriani operis solent esse XIII.  
XVI. G. )

\*\*\*\*\* ) Talis est vetus illa : HAVE BEATISSIMA ANIMA,  
NOS TE EO , QUO QUEMQUE NATURA , IUSSERIT , ORDINE  
CUNCTI SEQUEMUR. Talis etiam formula in antiquis moni-  
mentis frequentissima ; H. S. E. S. T. T. L. hic situs est : sit  
tibi terra levis. GRUT. *Inscript.* p. CCCXXI. , 6. p. DCLXXV. 10.  
p. DCXCIII. 8. p. DCLXXVI. 1. p. DCCII. 10. p. DCXCV. 9.  
Quemadmodum vero his locis omnibus litterae tantum singu-  
lares occurrunt : ita tota formula expressa est apud eundem  
p. DCCCXLIII. 1. p. DCCXVII. 9. p. DCCCLXXXV. 3. Add. MAR-  
TIAL. *Epigr.* V. 34. & IX. 30. Sunt & aliae formulae adloquen-  
di cineres : HAVE TE ANIMAE , REINES. *class.* XIII. 70. HA-  
VE DULCIS , DULCIS VALE , REINES. *class.* XIV. 192. SAL-  
VE , HAVE , VALE , GRUTER. p. DCXCI. 6. p. DCCCLXIX. 4.  
REINES. *class.* XIII. 31. @APPEI , @APPEI , ET@YMEI,  
@APPEI KAI @YMON EXE AFA@ON , REINES. *praefat.* p. 8.  
& *class.* XIV. 31. GRUTER. p. CLCCXX. 4. p. DCCCCXXXIII. 11.  
HELIOD. II. 1. III. 1. ETYTXEI META TOY OΣIPIΔOΣ,  
REINES. *inscript.* *praefat.* p. 8.

\*\*\*\*\* ) Sepulcra Romani solebant condere in agris iuxta  
vias , ubi & spatium quoddam , septo plerumque cinctum , re-  
li-

ligione occupari credebatur. Vid. *antiqu. Rom. iurisprud. illustr.* II.  
4. p. 409. *seq.* Hinc tam frequens viatorum mentio in epita-  
phiis Romanis , ( hodie plerumque absurda. G. ) Saepae etiam  
defuncti viatores adloqui , & de communi mortalitate rerum-  
que omnium vanitate admonere fingebantur. Tales sunt ele-  
gantes illae adloquutiones : NON FUI , ( sed sum ratione ani-  
mae , G. ) FUI , ( ratione corporis & completus homo , G. )  
NON SUM , ( plenus homo , G. ) ERO , ( post resurrectio-  
nem. G. ) VIXI , UT VIVIS , MORIERIS , UT SUM MORTUUS.  
SIC VITA TRUDITUR. SOLUS CUR SIM , QUAEIS , UT CEN-  
SORIO ILLO DIE TANTO FACILIUS SINE IMPEDIMENTO RE-  
SURGAM , quamvis hanc formulam non antiquam , sed post  
renatas litteras inventam esse , facile pateat , idque praeclare  
demonstratum sit a TH. REINESIO in *praef. inscriptionum.* Ad-  
de & hanc , quae in pueri sepulcro locum habere posset : QUUM  
FATA INTERCIPIANT PUEROS , TIBI QUID EXSPECTANDUM  
SIT , MEMENTO. Aliquando & colloquium aliquod instituitur  
inter defuncti cineres & viatorem : BONUS HOMO SICUT ET  
TU. XPHETH XAIPE , KAI ETTE. Exempla habet REINES.  
*class.* XI. *inscr.* I. p. 606. Est ubi aliquid rogare fingitur  
defunctus a viatore , veluti : NEMO NOS INQUIETET , REINES.  
*class.* XII. 60. TE QUICUMQUE TITULUM NOSTRUM RELEGES,  
ROGO PER SUPEROS , SIC UT AD INFERNAS PARTES RECI-  
PIARIS , NE VELIS TRIBUS SEPULCRIS MOLESTARI , REINES.  
*class.* XIV. 33. ROGO PER SUPEROS , QUI ESTIS , OSSA MEA  
TUEATIS , PRO tueamini , REINES. *class.* XVII. 170.

† ) In hac subscriptione plerumque necessitudo , quae in-  
ter defunctum & superstitem intercesserat , vel caussa , cur  
monimentum positum sit , exprimitur. Tales sunt formulae :  
PARENTI OPTIMO ET B. D. S. M. ( id est , bene de se merenti )  
C. CRISPUS FILIUS , HOC MONIMENTUM L. L. Q. ( id est , lu-  
bens lugensque ) , vel CUM LACRUMIS POSUIT. PATRUO B. D.  
S. M. C. MANLIUS EX TEST. F. F. vel F. C. id est , ex testamen-  
to fieri fecit , vel faciendum curavit. Paulo maioris momenti  
sunt litterae : H. M. H. S. id est , hoc monumentum heredes se-  
quitur , quas , quoties hereditario iure conditorum posside-  
mus , epitaphiis subiicimus. Ceterum , ne exemplum desit epi-  
taphii , hoc ordine compositi , illud hic fingemus :

D. O. M.

ADSTAS. VIATOR.

TROPAEO.

VIRI. INCOMPARABILIS.

Q

ET.

ET. QVO. VNO. NOMINE.  
OMNES. LAVDES. OMNIAQVE.  
DECORA.

CONTINENTVR.

HYGONIS. GROTH.

QVI.

VTIVSQVE. FORTVNAE.

VICTOR.

SOLI. THEOLOGORVM. INVIDIAE.

ET.

MORTI.

SVCCVBVIT.

VIXIT. ANNOS. LXII.

OBIIT. ROSTOCHĪ. IN ITINERE.

KAL. SEPT. CĪDĪCXLV.

HAEC. SCIRE. TVA. INTERFVIT.

VIATOR.

TV. IN. REM. TVAM. ABI.

ET.

QVAM. MAGNA. VEL. VNA. VRNA.

CAPIAT.

HOC. LOCO. MONITVS. DISCE.

PATRI. B. D. S. M.

HOC. MONIMENTVM.

GROTHVS. FILIVS. ET. COGNATI.

L. L. Q. POSS.

(Ponamus & nos epitaphium:)

SANCTAE. ANIMAE. VIRI.

IMMORTALIS.

GRATAE. POSTERITATIS. PIAE.

MEMORIAE. SACRVM.

HIC. DEPOSITVM. EST. QVOD.

MORTALE. ERAT.

VIRI. NON. MVNERIBVS. MAGIS.

QVAM. SVA. DIGNITATE.

VENERABILIS.

IOANNIS. CHRISTOPHORI. WOLFĪ.

QVI.

QVI. NATVS. WERNIGERODAE.

A. CĪDĪCCLXXXIII. A. D. XXI. FEBR.

EDVCATVS. HAMBVRGI.

WITEBERGAE. ERVDITVS.

SPECTATVS. EXTERIS.

E. FLENSBVRGENSI. SCHOLA.

WITEBERGAM. REVOCATVS.

PHILOSOPHIAE. ATQVE. ORIENTIS.

LITTERAS. DOCVIT.

ET.

ORNAVIT.

IDEM. FECIT. IN. GYMNASIO.

HVIVS. VRBIS.

AB. ANNO. SAECVLI. XII.

ECCLESIASTES. AD. DIVAE. CATHA-

RINAE. ELECTVS. ANNO.

SAECVLI. XVI.

DE. CIVITATE. DEI. DOCENDO.

PARITER. ET. FACIENDO.

SIC. MERVIT.

VT. BONVM. HVIVS. VRBIS. CIVEM.

GERERET. SE. ALIOS.

FACERET.

ORIENTIS. THESAVROS.

IN. BIBLIOTHECAM. SVAM.

COLLECTOS.

CVM. PVBLICASSET. INGENIO. SVO.

AC. DILIGENTIA. OMNIBVS.

TVM. VLTIMIS. TABVLIS. PVBLICAE.

VUTILITATI. DEDICAVIT.

EISDEM. TABVLIS. EGENOS. CATHA-

RINIANOS. IVVIT.

SPIRITVM. IMMORTALEM. COMMEN-

DAVIT. DEO.

A. D. XXI. IVLI. A. R. G. CĪDĪCCCXXXIX.

INTER. THEOLOGOS. LITTERA-

TISSIMVS.

Q2

MO-

MODESTISSIMVS. LITTERATORVM.  
 AETERNVM. DECVS. HVIVS.  
 VRBIS.  
 QVAM. IPSVM. HOC. MONVMENTVM.  
 ORNAT.  
 QVOD. VIRO. PONENDVM. LOCARVNT.  
 CVRATORES. ECCLESIAE.  
 CATHARINIANAE.  
 HAVE. SANCTA. ANIMA. G.)

††) Talia in vetustis epitaphiis & titulis sepulcralibus quam plurima observamus, quae iam BARN. BRISSONIUS & alii collegerunt. (vid. Gruteriani operis ind. XVI. & XVII. G.) Ut paucis rem exemplis illustremus, aliquando adiciebatur poena, inferenda in arcam pontificum, si quis sepulcrum alienaret. GRUTER. *inscript. p. LX, I. p. XII, 12. p. CCCCXXXIX. 12. p. DCCCXLVI, 6. p. DCII, 8. REINES. inscript. class. I, 43. p. 87.* Aliquando edicitur, ne extraneum corpus in idem monumentum, vel infra finem maceriae inferretur, REINES. *class. XII, 37.* ne ustrinum monumento adplicaretur, *ibid. n. 123.* ut dolus malus monumento abesset, REINES. *class. XV. 25.* Inprimis frequentes in veterum epitaphiis imprecationes, quibus iis dira quaevis minabantur, qui sepulcrum violare non dubitaturi sint. E. g. OLLAM EIUS SI QUI INVOLARIT, AD INFEROS NON RECIPIATUR, REINES. *class. XVII, 168. conf. class. XIV, 133.* Quin, quod mireris, ne Christiani quidem ab huiusmodi imprecationibus in titulis suis sepulcralibus abstinuerunt. Vid. REINES. *class. XX, 440, 441. p. 1000.*

## VI.

Reliqua monimenta publica ita disponi possunt, ut praemisso PRINCIPIS nomine & titulo \*) brevis rerum gestarum addatur HISTORIA \*\*) . Eam deinde sequitur descriptio OPERIS PUBLICI, hoc titulo notandi, vel OCCASIONIS, operi huic construendo datae \*\*\*). Denique additur SUBSCRIPTIO personarum vel collegii, cuius impensis hoc monumentum constructum est \*\*\*\*).

\*) Hic quoque repetendum, quod supra §. 5. huius capituli monuimus, dandam scilicet esse operam, ne cum longo pro-

provinciarum symmate nomen principis proferamus. Quum enim stilo lapidari hic utendum sit: satius erit, vetere more principum titulos recensere. (Sed malunt plerumque viri civiles veterem morem migrari, quam immutari aliquid in consuetis titulis principum. G.)

\*\*) Res gestae fere casu ablativo solent describi, e. g. PROSTRATIS. HOSTIBVS, CONCILIATA. PACE, PATRIA. OPIBUS. LOCUPLETATA, cet.

\*\*\*) Nonnumquam & operis ipsius & occasionis simul inicitur mentio, e. g. CIVIBVS. IN IUS. IURANDUM. ADACTIS. ARCUM. HUNC. TRIUMPHALEM. CONSTITUIT. DEVOTA. VIRTVTUTI. MAIESTATIQUE. EIUS. CIVITAS.

\*\*\*\*) Ubi tamen cavenda est antiquitatis adfectatio. Sane merito ludibrium debent cordatoribus, qui sollemne istud S. P. Q. omnibus fere municipiis tribuunt, ubi populo nihil iuris est in administranda republica, & ubi umbra potius collegii, quam senatus hoc nomine dignus occurrit. (Senatus de republica Venetiana, Belgica, Polonica, Anglica recte dicitur. Romani non patiebantur senatus consulumque nomen communicari cum municipiis, aut quibuscumque urbibus. Curia, & decuriones, & duumviri, & aediles, & quinquennales (i. e. censores) erant. G.) Romae saepe nomina subscribebant operum publicorum curatores. Hi erant viri senatorii ordinis, qui sub dispositione praefecti urbi erant, & sub se habebant procuratores & dispensatores operum publicorum. De his erudite, ut solet, REINES. *inscript. class. IX, 45. p. 571.* Ceterum nostrum erit, huius quoque paragraphi doctrinam exemplo illustrare. Tale est, quod sequitur:

D. O. M.

IMP. CAROLVS.

REX. GERMANORVM. HISPAN.

HVNGAR. BOEMORVM.

SICVLORVM.

PRINCEPS. PIVS. FEL. AVG. P. P.

PROFLIGATIS. HOSTIBVS.

REDDITA. CIVIBVS. PACE.

IMPERIO. CLASSE. MILITIBVS.

OPERIBVS. FIRMATO.

ALBAM. GRAECAM. TVRCIS.

EREPTAM.

NOBIS. HIS. PROPVGNACVLIS.

MVNIVIT.

OPTIMO. PRINCIPI.

HOC. MONIMENTVM.

POSS.

DEVOTI. VIRTVTI. MAIESTATIQVE.

EIVS.

REGNI. HVNGARICI. PROCERES.

(¶ Nostra exempla in opus Hamelense haec sunt:

I.

B. F.

GEORGIVS. II.

M. BRIT. FRANC. ET. HIB. REX.

D. BRVNSV. ET. LVNEB. S. R. I. ARCHI-  
THES. ET. EL.

PROVIDENTISSIMVS. PRINCEPS.

LOCVPLETATOR. PATRIAE.

DEPRESSA. HAC. FOSSA.

ET.

MVRIS. E. QVADRATO. SAXO.

CLAVSTRISQVE. MVNITA.

AQVARVM. DECVRSV. IN. POTESTA-  
TEM. REDACTO.

PERICVLA. NAVIGANTIVM. AVERTIT.

COMMERCIORVM. FACVLTATEM.

EXPEDIVIT.

2.

OPVS.

DIV. VOTIS. EXPETITVM.

FRVSTRA. SAEPE. TENTATVM.

FATO. VIDEBATVR. DEBITVM.

FELICI. AC. MITI. IMPERIO.

GEORGII. II.

CVIVS. ANNO. VII.

INTRA. BIENNIVM. A. QVO.

COEPTVM. FVERAT.

PERFECTVM. DEDICATVMQVE. EST.

MDCCLXXXIV.

QVI.

QVI. SECVRE. IAM. NAVIGAS.

AVCTORI. TANTI. MVNERIS.

OPTIMI. PRINCIPVM.

GRATVS. RECORDARE.

3.

B. F.

GEORGIO. II.

PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI.

SECVRITATEM. HANC. DEBETIS.

NAVIGANTES.

4.

OPVS.

DIV. FRVSTRA. EXPETITVM.

DENIQVE. SVB.

FELICI. AC. MITI. IMPERIO.

GEORGII. II.

PERFECTVM. DEDICATVMQVE.

MDCCLXXXIV.

5.

GEORGIVS. II.

P. F. A. P. P.

PROVIDENTISSIMVS. PRINCEPS.

FVNDATOR. QVIETIS. PVBLICAE.

HAC. MOLE. IMPOSITA.

VISVRGIN.

MINISTRARE. COMMEATIBVS.

MERCANTIVM.

COEGIT.

ET.

POPVLOS. SVOS.

ETIAM. QVI. IN. MEDITERRANEO.

HABITANT.

MARITIMORVM. COMMODORVM.

PARTICIPES. ESSE. IVSSIT.

A. IMP. VII. G.)

Q4

VII.

## VII.

*Stilus lapida-  
ris qualis?*

Potissimum vero respiciendum est ad STILUM, quem LAPIDAREM vocant critici. Eum enim nonnulla singularia habere, nemo ibit inficias \*).

\* ) Praecipua hic tantum consecrabimur. Observandum itaque est

I. In marmoribus multa occurrere vocabula, multasque loquutiones, reliquis Romanae linguae auctoribus ignotas, quales sunt ABANTE, DEANTE, AETERNALIS. Vid. SCALIGERI indices, GRUTERI inscriptionibus additos, qualem etiam cap. 18. suis indicibus inseruit REINESIUS. Ex eo notamus vocabula BALLATIO, BALLEMATIO, VALLATIO pro saltatione, CAPI-TULARIS pro servo arcario, DUPLICARIUS pro eo, qui utriusque parti favet, (quin qui duplici stipendio fruitur. G.) FRUNITUS pro fruitus, SCHOLA OLLARUM pro receptaculo unnarum. TATA *περσφώνησις φιλεταιριική νέε προς μελίζονα*, [Est Graecorum Τέττα, quod sic explicant Scholia *ia. d. 412. §. 518. N.*] POR pro puer, [quod Archaismus est. Nam vulgo sic loquebantur, v. c. *Marcipor, Publipor*, etc. pro *Marci, Publii, puer. N.*] PORA pro puella, VIRGINIA CONIUX, VIRGINIUS COMPAR, VIRGINIUS VIR, UTERQUE ALTER pro fratre. Quae pauca tantum specimen loco damus. Verum cave in his quaeras delicias. Multa enim huius generis lapidatarum ruditati; multa vulgi dialecto, (vel sequiori aevo, G.) debent originem. Forsan etiam aliquando aberratum est ab iis, qui inscriptiones veteres e lapidibus descripserunt. (Quod ostendit lectionis varietas. Summa fide in *Etruscis inscriptionibus* versatus est laudatus ante GORIUS. G.) Exempla sane eiusmodi lapsuum plurima notavit CAR. SPONIUS: plura adhuc dabit MARQ. GUDIUS, cuius correctiones orae operis Gruteriani adscriptae maximam partem publici iuris factae sunt, cum in nova & splendida marmorum Gruterianorum editione, tum in *actis eruditorum Lipsiensibus*, ipsaque nova marmorum Gudianorum collectione.

II. Singulares quoque esse in marmoribus constructiones, quallium haud paucas notavit idem SCALIGER, e. g. CUM FERARUM LIBYCARUM. Sed nec hic est, quod imiteris, quum caedem id prohibeant rationes, & haec nimis archaismum sapiant. Licebit, ex eodem indice Reinesiano quaedam huius generis excerptere. ADQUIESCERE CUI, pro *prope aliquem quiescere*, AD CUMULUM AEDIFICARE, id est, *ad colophonem perducere*. COMITARI CUM ALIQUO, EX PARVO CREVIT, MOLESTARI ALCUI, MONERE TAUROBOLIUM.

## III.

III. Inprimis inscriptiones praeferre orthographiam antiquam, veluti OLLI pro ILLI, COERAVERUNT pro CURARUNT, ABEI pro ABI, QUOT pro CUI. (Distingui debet in inscriptionibus saeculum & artifices. V. g. e cenotaphio Pisano orthographiam constituunt NORISIUS & SCHURZFLEISCHIUS. Paucae ita accuratae. Quam vero in iisdem lapidibus diversa sit saepe orthographiae ratio, ostendit in praefatione Fleetwoodus. Ipsum monumentum Pisanum habet quaedam illo saeculo fere indigna. G.) Imitari licebit, quae frequentissima reperies in bonae aetatis monumentis, veluti HEIC pro hic, SULPICI pro Sulpicii, KALENDAE pro calendae, EIDUS pro idus. Reliqua pro obsoletis habenda. Neque enim adfectionis notam effugies, si orthographiam vetustissimam immo & falsam aliquando in hodiernis monumentis sequendam existimaveris. Talis est usus frequens AE pro E, e. g. CAELERIS, CAEREALIS, immo, quod mireris, DIAE, COMPARAES, PACAE, PRAESBYTER, QUINQUAE pro celeris, *Cerealis, die, compares, pace, presbyter, quinque*. Eo etiam referimus promiscuum usum B. & V. (qui in libris optinis quoque frequens esse solet, v. c. in pandectis Florentinis. G.) ut ABABUS pro *abavus*, ATABUS pro *atavus*, BALERIA pro *Valeria*, UXORI BENE BIBENTI pro *uxori bene viventi*, DUVIUS, INCOMPARAVILIS, VENE MERENTI, VONAE (DUONUS, G.) pro *dubius, incomparabilis, bene merenti, bonae*, (bonus. G.) Talia, quae magno numero dedit REINESIUS in *indice inscript. cap. 19.* qui sanus imitanda putet?

IV. Frequentissimas esse in inscriptionibus formulas quasdam, quas merito notabis, v. c. BENE DE SE MERENTI LUBENS LUGENSQUE, Plures idem index Scaligerianus antea laudatus suppedabit.

V. Denique praecipue notandas esse siglas, vel vocum abbreviationes, de quibus singularis exstat liber SERTORII URSATI, in IO. GEORG. GRAEVII *thesauro antiquitatum Roman. tom. XI. p. 507.* recusus. [Saeculo iam secundo de interpretandis Romanorum litteris, etc. scripsit M. VALERIUS PROBUS, cuius liber prodit cum notis HENR. ERNSTII, *Sarae 1647. 4. N.*] Addi possunt indices SCALIGERI & REINESII, nec non IO. NICOLAI commentatio de siglis veterum, *Lugd. Bat. c1510cciii*, in quibus eiusmodi notae vel abbreviationes, in lapidibus obviae, plena manu proferuntur.

## VIII.

Pergimus ad inscriptiones novas, quae, quod ad materiam adinet, parum a carmine differunt \*).

*Inscriptionum  
novarum ma-  
te-*

teria, inven-  
tio, & elo-  
quutio.

omnis ad unicam regulam redit, non temere scilicet in inscriptione ponendam lineam, quae non acutum quid & admirandum prae se ferat \*\*). Attamen si dicendum, quod res est, quo magis hanc observabis regulam, eo minorem laudem reportabis ab iis, qui, quam frigida sit illa acuminum nimia adfectatio, non ignorant.

\*) Quaecumque ergo inventio poemati conscribendo inseruit, eadem & inscriptioni suppeditat materiam. Parum enim interest inter carmen & inscriptionem novam.

\*\*\*) Quum ergo fontes acuminum me iam supra, sub finem Part. I. cap. 2. §. 63. dare meminerim: hic quidem actum agere nolo, sed exempli loco addere sufficet inscriptionem EMAN. THESAURI, ut, quales sint illae lautitiae, harum rerum cupidus exemplo ostendamus. Exstat illa p. 319. & Iobi, quem ipse Esau pro nepotem putat, continet elogium:

In arenam, o cives!

Gemini congregiuntur athletae,  
Orientis alter; alter occidui solis imperator,  
Iob & Daemon.

Simplicem illum videbitis cum multiplici hoste  
pugnantem,

Illum semper eundem, hunc semper alium:  
Qui forma carens, formas alternat.  
Sed proderit Iobo adversarii varietas,  
Toties unum triumphaturo.

En mollium Sabaeorum specie simulatus hostis.  
Iobi boves praedatur,

Haec prima daemonis velitatio, robur enervare  
delicitiis.

Sed irrito eventu.

In flammam mutatur flammaram hospes,  
Et coelo cadens, ubi stare non potuit,  
Incendit, quacumque incedit;

Et pascentes oviculas igni depascitur,  
Hinc magicum Chaldaeorum agmen mentitus,  
Camelos cum rectoribus corripit.

Sustinet hanc iacturam divinus pugil,  
Qui opibus impeditior, quo ditior,

Aequae beneficium vocat numen, sive opes adferat,  
sive auferat.

Sic praedonem angit, dum de praeda non angitur,  
Haecenus prolusit adgressor: iam propius,  
Ut regiam evertat, in ventum vertitur.

Nil enim aulae nocentius vento.  
Omnes turbat hic turbo, praeter illum, cui nocet;  
Qui ruinas inter infraetus,

Latiore coelo fruitur, dum tellus subsidunt.  
Sed maiores ciet lacrymarum nimbos hic ventus.  
Dulcem senis sobolem inter epulas ruina sepelit.

At facilius terram movet, quam Iobum,  
Qui ruente familia sustinere potest orbitatem.  
Spoliato quid superest? Vita.

Hanc tortoris imagine, cruciat, non rapit:  
Ut intra corpus & cadaver medius,  
Iob vitam optet, vel mortem.

Iob neutrum curat.

Et ante numen cadens aemulum sternit, dum  
sternitur,

Debellaverat: nisi defessus antagonista  
Deteriorem sibi vicarium sufficeret, feminam.  
Viro igitur uxorem delegat,

Quae postremam suis malis imponere manum  
suadeat,

Et mortem morte antevertere.

Beneficam crederes hanc maleficam, nisi esset uxor,  
Cui luxus est, debili marito carere.

Detrahit hanc pietatis larvam mariti pietas,  
Ac linguam lingua retundens,

Vivere mavult, invisus coniugi ac sibi;  
Totiesque hostem verberat, quoties spirat.

Et nihil amaturus, praeter Deum, mortem etiam  
odit.

Nam postremis in malis,

Fortius est mortem arcere, quam arcessere.

Iam inter rapinas & ruinas nudus, palmam tenet.

Sed ipsam in palmam victus involat daemon,  
Et ultimos conatus adhibet, amicorum probra,

Hi tanta virtute, amaris salibus respersa,  
Famosis carminibus victoris famam  
corrumpunt.

Habet hanc felicitatem novissima calamitas,  
Quod invidiam extinguit: hoc uno invidenda.


Iob omnium miserimus, invidos habet  
amicos,

Nimirum poetas.

Tam male mordaces, ut vel ulcerosum mor-  
deant.



Adeo inter aulicos virgines musae lasciviunt.  
 Evicit extremum hunc laborem strenuus Iob,  
 Qui contemptus & contentus, hostes hostiis lustrat.  
 Hic toto coeli theatro plausus excitat,  
 Nec minore praemio, quam praelio,  
 Regno, liberis, opibus, duplo auctior, hos ipse  
 luctus cecinit:  
 Et calamitates calamo felices fecit.



## PARS III. DE VARIIS CULTIORIS STILI

FACULTATEM ADSEQUENDI SUBSIDIIS.

### CAPUT I.

#### De auctorum lectione.

##### I.

**L**atina lingua iamdudum inter mortales conticuit. In Latio enim ipso, ubi olim quam maxime floruit, sensim ita barbarorum commercio coepit inquinari, ut demum nova inde enata sit dialectus, quam Italicam dici moris est \*). Idem in provinciis huius linguae fatum fuit, in quibus LUSITANICA, HISPANICA & GALLICA linguae in priscae Latinae locum successere \*\*). Ut adeo nulla hodie sit provincia, in qua vetus illa lingua Romana ita vigeat, ut eam usu vel consuetudine cum provincialibus, addiscere possis \*\*\*).

*Latina lingua inter demortuas referenda.*

\*) Praeclare linguae Latinae μεταμορφώσεις, & ut ea sensim in Italicam mutata sit, ostenderunt CAR. DU FRESNE in *dissertatione, glossario mediae & infimae Latinitatis praemissa*, & CHR. CELLARIUS in *dissertatione de linguae Italicae origine*. (Conf. supra I, 2, 7. G.)

\*\*) De earum linguarum natura praeclare disseruit ED. BREWERTON in *scrutinio linguarum*, cui iungendus MORHOF. *Polyb. I, 4, 3. & 4. p. 19. sequ.*

\*\*\*) Exstat libellus ἀδισποτος, Gallice primum scriptus, dein Londini c1010c1xix. in 12. excusus sub titulo: *An examen of the way of teaching the latin tongue to little children by use alone*, in quo regi suadet auctor, ut civitatem aliquam Latine instituat, in qua solo usu ac consuetudine linguam doceantur pueri: quod consilium etiam, quod mireris, probatur MORHOFIO, accurati iudicii viro, in *Polyb. I, 2, 9, 21. p. 461.*

p. 461. Sed vereor ego quidem, ne & infructuosum hoc consilium, & eadem Latinae huius civitatis fata futura sint, ac olim reipublicae Platonicae, quae nusquam, nisi in Platonis cerebro, existit. (V. c. non est sperandum, qui Latine recte loqui possit, eum sutorem, aut pedissequum, aut calonem novae civitatis futurum. G.) Latinam linguam comparandam esse non colloquiis, sed stilo, docet SANCTIUS in *Minerva*. p. m. 859. sequ.

## II.

*Hinc potissimum ex auctoribus classicis discenda.*

Ex eo vero consequitur, ut Romanae linguae puritas ac elegantia non aliunde, quam ex veteribus, qui naufragium evaserunt, auctoribus classicis, hauriri possint \*). Quum vero multum referat, quo ordine, quaque ratione auctores evolvas \*\*): de ea quoque re nonnulla, more nostro, monebimus.

[Exstat IO. NIC. FUNCCII *de lectione auctorum classicorum ad comparandam Latinae linguae facultatem necessaria liber singularis. Lemgoviae 1730. 4. N.*]

\*) Cave tibi persuadeas, ex usu tantum & loquendi consuetudine ad Latinae linguae facultatem posse perveniri. Tantum enim abest, ut hoc fieri possit, ut potius inde nasci soleat inquinatum illud ac sordidum dicendi genus, quo monachi maxime, nec non Poloni & Hungari delectantur. Quo fit, ut Itali, Latinae elegantiae studiosiores, a sermonibus Latinis etiam cum viris doctis de industria abstineant, ne dictio aliquid ex idiotismo vernaculae trahat, quem etiam viri, quamvis eloquentissimi, in colloquiis vix effugiunt. Neque sola scriptione Latinae eloquentiae facultatem adsequimur. Quid enim iuvabit scribere, nisi antea ipsam linguam indolem ac genium animo conceperis? Id vero qua alia ratione consequi possis, quam lectis diligenter auctoribus, ego quidem vix intelligo. (Paulo distinctius hac de re videndum est, si pronunciare aliquid velimus. Nobis ita videbatur. I. Ex usu solo loquendi in nulla lingua discas accurate scribere. Satis hoc apparet in plebe, mulieribus, loquentibus saepe prudenter, absurde tamen scribentibus. II. Sed ex usu loquendi loqui discas, ut loquuntur ii, a quibus didiceris. III. Qui igitur volunt aliquando loqui Latine, iis cum idoneis hominibus loqui prodest. IV. Immo etiam ad intelligendum & scribendum tantum confert, quantum in vigentibus hodie linguis conferre quotidie experimur. V. Sed ad hoc, ut accurate & ornate scribere possimus, insuper opus est lectione, & iis, quae mox dicentur ab auctore, remediis.

## VI.

VI. Habitus male loquendi nocet scribere accurate volentibus. VII. Ceterum sunt tres gradus, simul quidem tractandi, sed ordine, quo eos indicamus, perficiendi in adultis, a) intelligere, b) scribere, c) loqui. VIII. In infantibus inverti ordo potest, & res modo illo naturali tractari, quo alias linguas discimus. IX. Sed illud tum demum fiet, quum idoneis praemiis invitati idonei homines parvorum institutioni praeficiuntur. Haec non temere dici, satis docet experientia Mich. Montani, Albert. Gentilis, etc. X. Ad grammaticam certe admitti non debet, nisi qui ex lectione & interpretatione facilius librorum qualemcumque facultatem linguae adepti, & analogiae assuefactione ipsa compotes facti sunt: quod viderunt ii, qui grammaticas Latinas, Latino sermone conscriptas, dedere, quas scilicet non putarent adhibitum iri, nisi a linguae Latinae utcumque usu peritis. G.)

\*\* ) Sunt equidem, qui solum legendum CICERONEM existimant. Verum Ciceronianos illos, si diis placet, iam dudum exagitarunt viri cordatissimi. Alii omnes auctores eo, quo scripserunt, ordine, id est, secundum aetatum, in quas incidunt, seriem legi iubent, qua ratione usum ferunt CL. SALMASTIUM. (Et ad ipsarum rerum cognitionem nihil potest fieri accommodatius. G.) Sed inde, (si nempe fiat ad stilum formandum, G.) non potest non inaequale ac frigidum nasci dicendi genus, quod nec magnus ille criticus semper evitare potuit. Eo itaque ordine utendum puto, ut sensim ad perfectionem linguae perveniamus, & auctor unus alteri veluti viam sternat; quo facilius intelligi ac in succum ac sanguinem verti possit.

## III.

Quod ad ordinem huius lectionis adinet, semper mihi se probavit TANAQUILLI FABRI methodus, tanto magis admiranda, quanto iucundius eius experimentum in ipso filio cepit, quem, a decimo aetatis anno ad decimum quartum, hac ratione ita utraque lingua expolivit, ut cum viris certare posset \*). Nos vero, quamvis FABRUM non per omnia sequuti, FABRI tamen methodo praecipuos Latinae linguae auctores ita disponemus, ut quatuor cursibus ille ambitus absolvi, ex prioribus semper animus ad posteriorum intelligentiam praeparari possit.

*In lectione auctorum certum ordinem commendavit.*  
TAN. FABER.

\* ) Men-

\* ) Mentionem huius methodi aliquoties facit FABER in epistolis, sed postea etiam adcuratius descripsit in libello: *Methodo pour commencer les humanites Grecques & Latines*, Salmurii c1010LXXII. 12. ex quo tractatu pleraque excerpit, & *Polyhistorii* suo intexuit MORHOF. *Part. I. lib. II. cap. 9. n. 44. sq.* Hanc methodum ergo & nos sequemur, sed ea usi libertate, ut in ipso auctorum ordine pleraque, nostro arbitrio, mutemus.

## IV.

Primo itaque cursu, in quo singulari cura ac diligentia opus esse videtur, PHAEDRI fabulas, POMPONII MELAE geographiam, EUTROPIUM & CORNELIUM NEPOTEM evolvendos suaserim. *Ex primo* enim auctore vocum phrasiumque aliqua copia, *ex secundo* geographiae veteris notitia, *ex tertio* historia Romana, *ex ultimo* denique historiae Graecae non minima pars poterit hauriri. His vero praesidiis praemunitus, facile, ex mea quidem sententia, reliquos auctores omnes facilius intelliget.

Qui auctores primo cursu perlegendi?

Phaedrus.

Equidem FABER, pueri se accommodans ingenio, loco PHAEDRI, quem difficiliorem pro tironum captu iudicabat, capita aliquot ex evangelio IOANNIS proposuit †. Sed non desunt mihi rationes, quare hoc consilium minus commendandum putem. Inquinatior est interpretis, quem vulgatum vocant, Latinitas, quam ut ab ea auspiciam fieri possit Latinae linguae: & nimis altas radices agunt, quae ista aetate imbibimus. Nec video, quid in PHAEDRI fabulis difficilius videri possit. Argumentum earum, si pauca paullo obsceniora omiseris, puerile est, ac summa cum voluptate coniunctum. Stilus tenuis, & plane talis, quali in familiari sermone utebantur Romani. Summa quoque in his fabulis est orationis puritas, nec iudicium suum eruditis umquam probavit SCIOPPIUS, qui nescio quem Thracismum in PHAEDRI stilo sibi subolfacere visus est. Videatur SCHEFFERUS in *vita Phaedri*, eius fabulis praemissa, & MORHOFIUS de *Patavinitate Livii*, p. 159. Inter minores PHAEDRI editiones praestant IO. CHRISTOPH. WOLFII, quae prodiit *Flensburgi* c1010CCIX. 8. & PETRI BURMANNI, quae prodiit *Hagae Comitum* c1010CCXIX. 12. Inter maiores duae *Burmanni*anae, prima, quae cum integris commentariis GUDII, RITTERSHUSII, RIGALTII, NEVELETI, HEINSII, SCHEFFERI, PRASCHII, & excerptis aliorum prodiit *Ul-*

tra-

*traiecti* c1010CCXXIX. c1010CCXVIII. 8. mai. & altera, quae cum commentario novo ipsius BURMAN. prodiit *Leidae* c1010CCXXVII. 4. mai.

†) (Rectissime Faber, & quisquis pueros velut a gremio formandos accipit. In Phaedro certe traiectiones quaedam & brevitatis obscuritatem adferunt. Hodie ad initia illa tenerorum nihil accommodatius *historiis sacris* HUBNERIANIS, Castellionea Latinitate a KRIGELIO donatis; ac deinde ipsa interpretatione CASTELLIONIS, de qua supra dictum §. 12. extr. *Epistolae Ioannis* ob simplicitatem orationis & repetitionem eorundem verborum, grammaticis initiis accommodatissimae sunt. Sed ad haec post usum demum aliquem accedendum. G.)

Geographiae causa Phaedro subiungimus POMPONIUM MELAM, Claudiani aevi scriptorem. Ex eo enim non solum terrarum situs addisci, verum etiam vocum phrasiumque copia non parum poterit locupletari. Latinitas enim huius auctoris, etsi non adeo elegans & florida, pura tamen est, & satis castigata, id quod profecto tironibus praecipue utile est. Inter meliores editiones est ISAACI VOSSII, cui IAC. GRONOVII suam opposuit editionem, in qua potissimum CLAUDIUM SALMASIUM adversus VOSSII censuras insigni, & familiari Gronoviano calamo, acrimonia vindicavit. Sed & hoc non impune tulit, siquidem VOSSIUS *adpendicem observationum ad MELAM Londini* publici iuris fecit. Denique huic. *πλάτα περί πάλτων* reddidit IAC. GRONOVII. Novissime prodiit cum notis integris HERMOLAI BARBARI, PETR. IO. OLIVARI, FREDERANDI NONII PINTIANI, PETRI CIACCONII, ANDR. SCHOTTI, ISAACI VOSSII, & IAC. GRONOVII, curante ABRAH. GRONOVIO, *Lugd. Batav.* 1722. 8. mai. (In usum pueritiae recudendum curavit ad exemplar GRONOVII, & *indicibus* commodissimis instruxit vir doctus M. HENR. ADAM. MEISNERUS, *Curiae Variscorum* c1010CCXXXVIII. 8. G.)

Pomponius  
Mela.

EUTROPIUM, quamvis sequioris aevi historicum, vel ideo subiungendum MELAE duximus, quod nullus scriptor, qui stilo simpliciore historiam Romanam ab ipsis scribis primordiis, ad occasum paene occidentalis imperii usque tradiderit. Romanae vero historiae cognitione non poterit is carere, qui se ad reliquorum scriptorum lectionem accingit. Accedit, quod iam habet in hoc auctore tiro, in quo geographiae veteris, quam a MELAE edoctus fuerat, usum perspiciat. Latinitas est simplex, & nonnumquam satis tersa, ut adeo & vocum phrasiumque copia legendo illo possit auferri. Si quid ex saeculi genio naevi trahit auctor, facile illud notari evitarique poterit, si iungantur notae CHRISTOPH. CELLARII,

Eutropius.

R

in

in quibus illi lapsus adcurate notantur. Quare & eius editionem prae ceteris commendandam existimamus. Novissime EUTROPIUM cum *metaphrasi Graeca PAEANII*, (quae praeparatio est optima ad Graecos historiae Romanae scriptores, G.) & notis integris ELIAE VINETI, HENR. GLAREANI, TANAQUILLI & ANNAE FABRI, THOM. HEARNII, item selectis FRID. SYLBURGHII & CHRIST. CELLARII edidit SIGEBERTUS HAVERCAMPUS, *Lugd. Bat.* c1600cxxxix. 8. mai. qui & suas, & CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI notas adiecit, in qua tamen editione multa itidem viri docti desiderant. [Bene etiam editus est a V. Cl. IO. FRID. GRUNERO *Cob.* 1752. 8.]

Subiicimus Eutropio CORNELIUM NEPOTEM, †) idque ob multas rationes. Nam primo, si quid ex Eutropio aeruginis haereat, illud eius lectione facile poterit abstergi: deinde ex eo insignis parabitur elegantissimarum loquutionum copia. Denique eadem opera ex Graeca & Punica historia tantum addiscet tiro, quantum satis erit ad sequentes auctores tanto facilius intelligendos. (Plura, quam vulgus videt, disci ex hoc scriptore possunt. Atticus ediscendus est, e quo vita Romanorum publica & privata, status tempore Ciceronis, & multa alia, si bonus doctor contingat, cognosci queunt. G.) Editiones exstant innumerae: sed ego, quod ad hunc usum adinet, *Cellarianam* reliquis existimo longe anteponendam. Optima editio est, quam cum notis integris IANI GEBHARDI, HENR. ERNSTII & IO. ANDR. BOSII, & selectis AND. SCHOTTI, DIONYSII LAMBINI, GILBERTI LONGOLII, HIER. MAGII, IO. SAVARONIS, aliorumque doctorum, nec non excerptis PETRI DANIELIS, & indice locupletissimo omnium vocabulorum, studio & opera IO. AND. BOSII confecto, edidit AUGUSTINUS VAN STAVEREN, *Lugd. Bat.* c1600cxxxiv. 8. mai. (Nihil est cursoriae lectioni & usui scholarum, quin virorum etiam, accommodatius editione IO. MICH. HEUSINGERI, *Ise-naci* c1600cxlvii. 8. G.)

† [Cur auctor noster Iustinum illis modo reliquerit, qui se totos dare litteris velint humanioribus (§. VII.) non possum exputare. Cum ille sit historiae compendium antiquae pulcherrimum, puerili autem aetati nihil fere conveniat nisi fabulae & historia; cum porro in Nepote & reliquis historicis passim intexta sit historia plurium gentium; consultum mihi videtur lectioni historicorum tanquam fundamenti loco substernere Iustinum, & eum, si non ante Eutropium, certe ante Nepotem tractare, inprimis cum Cornelius non valde alliciat pueros, ut plerique auctores, qui hoc dicendi genere utuntur, in his Caesar quoque & Cicero. Horum enim vir-

Cornelius Nepos.

virtutes non placere magnopere possunt nisi subactis ingeniis. N.]

V.

Emensus hoc iter tiro, iamque tot adminiculis ad maiora instructus, alterum auspiciabitur cursum, quo TERENTIUM, CICERONIS *epistolas & libros* aliquot *philosophicos*, nec non IULIUM CAESAREM & MI-NUCIUM FELICEM diurna nocturnaue manu versabit.

*Qui secundo?*

Qui superiore cursu commendati sunt auctores, ad puritatem pertinent: danda ergo postea erit opera, ut & concinnitatem elegantiamque veterum imitemur, & huc pertinent auctores in hanc classem relati. TERENTIO enim nihil potest reperiri elegantius. Phrasis eius, si ab archaismis quibusdam discesseris, non solum pura, sed & nitida est, quod ipse, quamvis alioquin modestissimus, in *praefatione Heautontimorumeni* prae se ferre non dubitat. Unde Lector iam sensim elegantiae adsuescet, quae in Latino illo scriptore est maxima, ceu vel ex *chrestomathia Terentiana*, editioni BOECLERI, *Argent.* c1600clvii. 8. adiecta, adparet. Quare haec editio & *Lindenbrogiana*, quae c1600cxxxiii. 4. prodiit, reliquis omnibus anteferenda videtur, maxime, quum posterior veteris grammatici, AELII DONATI, *scholia* in TERENTIUM simul exhibeat. Add. BARTH. *advers. lib. IX.* Splendidissima editio est, quam *commentario perpetuo* illustravit, & cum AELII DONATI, EUGRAPHII, CALPHURNII & FRID. LINDENBRUCHII *observationibus* edidit ARN. HENR. WESTERHOFIUS, *Hagae Comitum* c1600cxxxvi. duob. volum. 4. mai. Contractiorem hanc omisis aliis cum *interpretatione* DONATI & CALPHURNII, ut & *commentario perpetuo*, idem auctor postea edidit *Hagae Comitum* c1600cxxxvii. 8. mai. (Criticae artis studiosis, & metri comici rationem discere volentibus, super omnes commendanda editio RICH. BENTLEII, quae cum PHAEDRO & P. SYRI *aliorumque veterum sententiarum iterum* prodiit *Amstelaed.* c1600cxxxvii. 4. [Ad intelligendum recte comicum nostrum plurimum sane facit Daciae versio Gallica. Quanti semper maximi quique viri fecerint Terentium, non solum indicio sunt, quae de Caselio, Scaligero, Grotio, narrat MORHOF. *Polyb.* I, 4, 11, 6. sed etiam, quod N.] Vitebergae profesio Terentii a Friderico Sapiente constituta est, & Greg. Pontanus cancellarius post catechismum primas detulit eidem, apud SECKEND. *histor. Luther.*

*Terentius.*

ther. III, 17, 68. p. 198. Inprimis admirabilis est in eo, quod τὸ πρέπεν & ἡδὸς ubique eximie observat. G.)

Ciceronis epistolae.

Ut Terentius elegantiae Romanae: ita CICERO concinnac pariter ac fusae orationis gustu nos imbuat. Hinc merito iam eius epistolae in manibus erunt, in quibus & elegantia, & ars periodica tanta adparet, ut facundiam ex earum lectione se adsequutos multi fateantur, & in his HERMANNUS BUSCHIUS apud FREINSHEMIUM *orat. IV. p. 46. Conf. MURET. part. II. orat. XVI.* ubi Ciceronianarum epistolarum usum & praestantiam egregie demonstrat. Nec adeo difficilis amplius erit harum epistolarum lectio ei, qui iam non poenitentiam historiae Romanae & geographiae antiquae partem primo cursu ex Eutropio & Pomponio Mela sibi reddiderit familiarem. Selectu tamen & ordine hic quoque opus est. Merito ergo I. *epistolis ad Atticum*, in quibus CICERO ἀντιπέθεσι, praefero *epistolas ad diversos*, nec non ad *Quintum fratrem*. II. In his ipsis omitti possunt eae, quae a Coelio, nec non a Tirone scriptae sunt; seligendae vero inprimis III. epistolae, quas in proconsulatu scripsit. Iis enim nihil solet esse elegantius. Denique IV. comparanda eiusmodi editio, in qua ordine chronologico epistolae dispositae sunt, (ut *Reimmanniana*, sed qui alia omnia melius poterat, quam Ciceronem illustrare, vel quae indicem illius ordinis adiectum habet, ut illae, quas statim laudabimus, ut *VERBURGIANA. G.*) Ita enim lectio eo facillior erit ob historiae nexum, & continuam seriem. Reliquis tamen editionibus palmam iure quodam suo praeripiunt *Cellariana*, quae una cum GOTTLIEB CORTII *adnotationibus* novissime prodit *Lipsiae* c1833xxxv. 8. *Bengeliana*, quam iis *instruxit rebus*, quae ad *interpretationem imitationemque* pertinent, IO. ALB. BENGLIUS, *Stuigardiae* c1833cxix. 8. mai. & (*FUNCCIANA* c1833ccxxxix. 8. Sed omnium procul dubio praestantissima. G.) *Graeviana*, quae cum *notis integris* PETR. VICTORII, PAULLI MANUTII, HIER. RAGONII, D. LAMBINI, FULV. URSINI, nec non *selectis* IO. FRID. GRONOVII, & *aliorum*, ut & cum IO. GEORG. GRAEVII *animadversionibus*, & *ex eiusdem recensione* prodit *Amstelod.* c1833ccxiii. duob. voll. 8. mai. (Certe sine Manutii commentariis aggredi interpretationem epistolarum Ciceronis veto, nisi qui ipse sit historiae & antiquitatis Romanae consultissimus. Manutius aetatem consumserat in συγγράμωις. Paraverat sibi indices omnium personarum, magistratum, etc. G.)

*Epistolae ad Atticum* (sunt contexta paene historia temporis Ciceronis a consulatu, sed non admittunt nisi exercitatos, G.) optime prodierunt *Amstelodami* c1833clxxxiv. duob.

*volum. in 8. mai. ex recensione* IO. GEORG. GRAEVII, & cum *notis integris* P. VICTORII, PAULLI MANUTII, MALAESPINAE, LAMBINI, FULV. URSINI, SIMON. ROSII, & *chirographo eius auctioribus*, FRANC. IUNII & POPMAE, *ineditis idem antea* IS. CAUSAUBONI, MURETI & IO. FRID. GRONOVII, *selectisque* CORRADI, *atque aliorum*.

Eiusdem *epistolarum ad Q. fratrem libri tres*, & *ad Brutum liber unus*, cum *notis integris* PETR. VICTORII, PAULLI MANUTII, LEON. MALAESPINAE, D. LAMBINI, F. URSINI, FR. IUNII, IAN. GRUTERI & IAC. GRONOVII, nec non FRAC. HOTOMANI *commentario in epistolam primam de provincia administranda*. Adiectus est *ad Marcum Tullium fratrem de petitione consulatus liber*, cum *intero commentario* VALERII PALERMI VERONENSIS, prodierunt *Hagae Comitum* c1833ccxxv. 8. mai.

Libris philosophicis reliquis praemittendos ego iudicarim *Catonem Maiorem & Laelium*, ob facilitatem. His deinde subiiciendos suaserim *libros de officiis*, ob adcuratam eloquutionem & concinnitatem egregiam, quam ipse CICERO in *prooemio* filio ad comparandam linguae Latinae facultatem profuturam iudicat. Proximos esse iusserim *libros de divinatione*, (hos legere consultius videtur post *libros de natura deorum, G.*) & *de finibus bonorum & malorum*, ex quibus, (& praecipue *academicis, G.*) praeter Latinitatis elegantiam hauriri poterit insignis historiae philosophicae cognitio, qua plane non potest carere, qui reliqua opera philosophica Ciceronis evolvere statuit.

*Libri tres de officiis*, *Cato maior*, *Laelius*, *paradoxa*, *somnium Scipionis* ex *recensione* IO. GEORG. GRAEVII, cum *eiusdem animadversionibus* & *notis integris* A. LAMBINI, F. URSINI, C. LANGII, ER. FABRITII, A. MANUTII, *selectisque aliorum* prodierunt *Lugd. Bat.* c1833ccx. duob. vol. 8. mai.

*Libri II. de divinatione*, & *liber I. de fato* cum *notis integris* PAULLI MANUTII, P. VICTORII, I. CAMERARII, D. LAMBINI, F. URSINI, HADR. TURNEBI & IO. DAVISII prodierunt *Cantabrigiae* c1833ccxxi. 8. mai.

CICERONIS opera, quae exstant omnia adcuratissime edita sunt a IAC. GRONOVIO cum *notis integris* IANI GUILIELMI & IANI GRUTERI, ut & ASCONIO PEDIANO & *veteri scholiaste*, *Lugd. Bat.* c1833ccxii. 4. & 12. (Splendido typo & forma oculis commodissima est *VERBURGIANA, Amstelaed.* c1833ccxxiv. fol. 4. & 12. simul excusa, in qua ad Gronovianam (non totam) adiectae sunt notae P. VICTORII, I. CAMERARII, F. URSINI *integrae*, *aliorum vero selectae*. Reprehendit tamen Davisius in *praefatione* ad *Cic. de finibus*. Utilissima & lectioni currosoriae accommodatissima est, quae studio IO. AUG. ERNESTI

prodiit *Lipsiae* c1010ccxxxix. 8. mai. 5. Voll. quorum ultimum, *clavis Ciceroniana*, [ iterum perpolitata *Halae* 1757: 8. m. N. ] indices continet, qui commentarii perpetui vices implere commode possunt; laboriosius utriusque opus, quam speciosius, quo immortaliter de litteris nostris meritis est vir clarissimus. Magnificentissimam editionem anno c1010ccxli. 4. in usum Delphini procurare coepit OLIVETUS, ubi contextus orationis, cum varietate editionum principum, separatim ponitur, delectus annotationum veteri more revocato, ad finem reiicitur. Adhibita hic frequenter est laudata modo ERNESTI editio. OLIVETIANA mox recusa Genevae IX. tomis 4. in qua annotationes sub textum revocatae. G.)

*Iulius Caesar.*

Perlectis Ciceronis epistolis iam perspicuus admodum, & intellectu facilior videbitur IULIUS CAESAR, maxime in libris *de bello civili*, quos illis *de bello Gallico* praemittendos arbitror. Tota enim illa historia partim ex Eutropio, partim ex Ciceronis epistolis memoriae succurret. Stilus eius, (quem ad Longini disciplinam expendit Bergerus *de naturali pulchritudine orationis*, G.) est elegans, sed simplex, unde eum ideo, Ciceroni subiungendum puto, quod quidquid redundantis copiae ex lectione Ciceronis ( quarumdam orationum, vid. supra I, 2, 40. G.) forsitan haeserit, lecto CAESARE, possit abstergi. Optima editio est, quae *cum animadversionibus integris* DION. VOSSII, IO. DAVISSII, *aliorumque variis notis ex museo* IO. GEORG. GRAEVII prodiit *Lugd. Bat.* c1010ccxiii. 8. mai. (Regia magnificentia typorum & imaginum exornavit SAM. CLARCKE *Lond.* c1010ccxii. fol. mai. adiectis LXXX. tabulis aere expressis. Plenissima est OUDENDORPIANA c1010ccxxxvii. 4. quae integras DION. VOSSII, IO. DAVISII & SAM. CLARCKII *notas*, & collationem plurimorum MSS. continet, editoris annotationibus intextam. G.)

*Minucius Felix.*

Quum omnes, quos commendavimus, auctores profano deorum cultu sese polluerint, merito iam his subiungimus MINUCIUM FELICEM, christianum scriptorem, quum ille & elegantiae, & concinnitatis sit studiosissimus. Duae vero sunt huius consilii mei rationes. Nam praeterquam, quod inde nostrae religionis principia ac mysteria stilo elegantiore exprime-re discimus: dialogus iste, quem *Octavianum* inscripsit, etiam bonam partem mythologiae continet, adeoque viam sternit ad lectionem *Ciceronis de natura deorum*, & poetarum, in quibus mythologia utramque paginam facit. Attamen ei, qui cum fructu lecturus est MINUCIUM, suaserim, ut simul ad manus habeat IULII HYGINI *fabulas*, ( IO. BOCCATI *genealogias deorum*, G.) vel NATALIS COMITIS *mythologiam*, vel alium ex eius-

eiusmodi scriptoribus mythicis, e quibus veteres coniunctim prodierunt *Amstelod.* c1010clxxxi. 8. (curis secundis THOM. MÜNCKERI. Auctior splendidiorque editio *Amstel. an.* c1010ccxlii. 4. debetur AUG. VAN STAVEREN, qui tamen indicem unum alterumque omisit non bene. Inter parvos huius argumenti libellos FR. POMEY *Pantheum mythicum* tironibus commendandum ob facilem methodum, imaginesque deorum additas, quarum ope statuas, picturas, nummos facilius intelligunt. G.) Ceterum MINUCIUM nitidissime ediderunt CELLARIUS, (in usum scholarum aliquoties, G.) & IAC. GRONOVIVS, *Lugd. Bat.* c1010ccix. 8. mai. [ Nuper vero *cum notis variorum selectis atque etiam suis* IO. GOTTLIEB. LINDNERUS, *cum praefatione* IO. AUG. ERNESTI, *Longosolissae* MDCCLX. 8. N. ]

## VI.

In tertio auctorum cursu ad stili differentiam respicio. Hinc in manibus iam erunt SALLUSTIUS, CICERONIS *orationes selectiores*, LIVIUS, SÜETONIUS, PLINII *panegyricus*, TACITUS, CURTIUS, PLAUTUS, SENECAE *aliquot libri philosophici*, & denique LACTANTIUS. Si cui non vacat tam vastos auctores totos perlegere: ei potiores inde partes decerpere licebit.

*Qui tertio?*

Ut stili vere *Attici* formam animo concipias, commendanda erit lectio c. CRISPI SALLUSTII. Nemo enim fere Atticam Thucydidis dictionem inter Latinos illo adcuratus expressit. Tribus verbis integras explet sententias, non circumducit, non interponit, (quod facit in orationibus Thucydides, G.) asyndetis frequentissime utitur, & ubique adstrictior adparet. Vid. LEO ALLATIUS *de erroribus magnorum virorum in dicendo* p. 36. ubi sententiam SCALIGERI, breviter SALLUSTIO *lib. IV. poet. cap. 24.* negantis, refellit. (Nempe brevis est, qui abruptis verbis utitur, & quaedam reticet intelligenda a lectore. G.) Verborum tamen obsoleto- rum atque archaismorum nonnumquam adfectator est, quod merito in eo reprehendit SCIOPPIUS *de exercit. rhet. generib.* p. 13. seq. Omnibus editionibus palmam praeripiunt *Wassiana*, quam *cum notis integris* GLAREANI, RIVII, CIACCONII, GRUTERI, CARRIONIS, MANUTII, PUTSCHII, DOUSAE, & *selectis*, CASTALIONAEI, CORN. & AUSON. POPMAE, IANI MELLERII, PALMERII, FULVII URSINI, IO. FRID. GRONOVII, PETRI VICTORII, cet. edidit IOSEPH. WASSE. *Can-tabrigiae* c1010ccx. in 4. (recusa & aucta studio HAVERCAMPI, c1010ccxliii. G.) & ea, quam adnotationibus (suis tantum,

*Sallustius.*

tum, sed copiosis & doctis, G.) illustravit GOTTLIEB COR-  
TIUS, ac edidit Lipsiae c1010ccxxiv. 4.

Stili Rhodii & Asiatici, nec non oratorii morati & concita-  
ti indoles optime ex CICERONIS orationibus elucet. Unde ad  
earum lectionem merito nunc se accinget elegantioris stili stu-  
diosus. Selectas vero commendo, quales sunt pro S. Roscio Amé-  
rino, pro Archia poeta, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro  
lege Manilia, pro T. Annio Milone, Philippica secunda, & quae-  
dam aliae, coniunctim aliquoties editae. Prae ceteris tamen  
adolescentibus CHRIST. CELLARII editio, ob dispositiones, no-  
tas & indices commendari meretur. (Item Heumanniana. Om-  
nium orationum plenissima optimaque editio I. G. GRAEVII, VI.  
voll. 8. cum notis omnium praecipuis, inprimis MANUTHII. Ce-  
terum hic debebat Auctor memorare etiam Ciceronis oratorios  
libros, & reliqua omnia. Certe Plautum, Tacitum, Plinium,  
ante Ciceronis omnia perlecta, nihil opus est legere. Et ipsas  
epistolas Ciceronis ad Atticum non legendas puto, antequam  
reliqua sint cognita. G.)

Livius.

LIVII stilus est Rhodius, elegans & gravis. Hinc ut & hi di-  
cendi characteres exemplo quodam perspiciantur: merito de-  
cas aliqua huius praestantissimi scriptoris erit evolvenda. Ube-  
rius de eius stilo disputatum est a MORHOFIO in *dissertatio-  
ne de Patavinitate Livii*. Optima editio est IO. FRID. GRONO-  
VII, quae tertium emendatissime prodiit Amstelod. c1010clxxix.  
8. mai. vol. III. (Hanc fundamento quasi substratam *supple-  
mentis* FREINSHEMIANIS, & incredibili vi suarum alienarum-  
que observationum auxit ARN. DRAKENBORCH, cuius tomus  
ultimus s. VII. prodiit Amstelodami c1010ccxxxvi. 4. Tales  
editiones valent ad integritatem scriptorum servandam, ne im-  
pune grassari possint criticastris. Suas tantum dedit notas, sed  
*supplementa* FREINSHEMIANA adiecit I. B. L. CREVIER Paris.  
c1010ccxxxvi. 4. [Commodissima est EIUSDEM editio minor  
VI. voll. 8. sine *supplementis* FREINSH. & cum notis brevi-  
bus. N.] IO. CLERICI editio repetita, Lips. c1010ccxxxv. 8.  
3. voll. lectioni cursoriae apta, de qua praefatus sum. G.)

Suetonius.

Tenuis stili effigiem sistit SÜETONIUS, saeculi II. scriptor,  
qui nusquam adsurgit, semper humi repit, (qui scilicet vitam  
potius privatam caesarum, quam res gestas, potest equatur: e  
quo proinde *προσωπογραφία* & vitae ratio disci potest monstro-  
rum etiam, Caligulae, Neronis, Domitiani. G.) Praestan-  
tissima editio est, quam cum notis integris IO. BAPT. EGNA-  
THII, HENR. GLAREANI, LAEVINI TORRENTII, FULV. URSI-  
NI, IS. CASAUBONI, IANI GRUTERI, THEOD. MARCILII.  
IO. GE. GRAEVII, CAR. PATINI, (qui ex numismatibus il-  
lu-

lustravit), & *selectis aliorum*. edidit vir magnus PETRUS BUR-  
MANNUS, qui & suas adnotationes addidit. (Postquam XXX.  
annis fere singulis illum interpretatus erat. G.) Prodiit haec  
editio Amstelod. c1010ccxxxvi. in 4. mai. duob. vol. (Multum  
bonae frugis speramus a studio IO. AUG. ERNESTI, qui novae  
editionis spem fecit. G.) [Cui satisfactum est Lipsiae  
c1010ccxlviii. 8. N.]

Eodem tempore, quo Suetonium floruisse constat, stili su-  
blimis exemplum egregium dedit PLINIUS IUNIOR, conscripto *Plinius.*  
admirabili *panegyrico*, cui parem vix habet Romana antiquitas,  
cuius editionem tandem dedit V. CL. CHR. GOTTLIEB SCHWAR-  
ZIUS, Norib. c1010ccxxxvi. 4. & longae expectationi satis-  
fecit cumulate. Sed & Attici atque acui stili specimen edidit  
PLINIUS, maxime in *epistolis*, de quibus tamen iam supra iu-  
diciam nostram dedimus. Optima editio est Cortiana, quae  
cum notis *selectis* IO. MARIAE CATANAEI, IAC. SCHEGKII,  
IAC. SIRMONDI, IS. CASAUBONI, HENR. STEPHANI, CONR.  
RITTERSHUSII, CLAUDII MINOIS, CASP. BARTHII, AUG.  
BUCHNERI, IO. SCHEFFERI, IO. FRID. GRONOVII, CHRIST.  
CELLARII, GOTTL. CORTII, & PAULLI DAN. LONGOLII pro-  
diit Amstelod. c1010ccxxxiv. 4. mai. (Eadem ratione *Panegy-  
ricus* editus studio IO. ARNTZENII, Amstelodami c1010ccxxxiv.  
4. Eundem *Panegyricum* minuto, sed eleganti typo edidi *Goet-  
tingae* c1010ccxxxv. 8. *epistolas* autem & *panegyricum cum no-  
tis perpetuis*, Lips. c1010ccxxxix. 8. G.)

In TACITO praeter acumen etiam *σεμνότητα* seu gravitatem  
stili maxime commendant eruditi: idque nemo, nisi in istius  
lectione plane hospes inficias iverit. Unde non moramur CASP.  
SCIOPIIUM, ANDR. ALCIATUM, & AEMIL. FERRETUM, qui-  
bus soloecus iste auctor, & plane e iuvenum manibus excu-  
tiendus videtur. Vid. VOSSIUS *de histor. Latin.* I, 3. (Com-  
muni iudicio eruditissimi suae aetatis fuerunt Tacitus & Pli-  
nius IUNIOR. Brevitas illius aliquantum abrupta, prudentiae  
quamdam & doctae invidiae speciem praebet. Nimis ipse vi-  
detur callidus interpretis aut calumniator consiliorum; nimis  
forte illum callidum nonnumquam faciunt politici interpretes,  
eum putantes nimis argutum, & secretis causis assignare,  
quae forte fortuna ita evenerint. G.) Inter TACITI editiones  
reliquis palmam dubiam reddit, immo praeripit, praeclara illa,  
quam ex nova parentis sui IAC. GRONOVII ad MS. Florenti-  
num recognitione excudi curavit ABRAH. GRONOVIVS, Lugd.  
Bat. c1010ccxx. 4. mai. cum notis integris B. RHENANI, F. UR-  
SINI, MURETI, IOSIAE MERCERII, IUSTI LIPSIJ, VALENTIS  
ACIDALII, CURTHII PICHENAE, IANI GRUTERI, HUG. GROTH,  
IO.

IO. FREINSEMI, IO. FRID. GRONOVII, IAC. GRONOVII & IO. IENSI; *selectis* autem ALCIATI, AURELI, BARCLAH, BOXHORNII, COLERI, MARCELLI DONATI, FERRETI, GUTHERII, KIRCHMAIERI, LOCCENII, LUPANI, REINESII, RUPERTI, SALINERII, SABILIS, SCHEFFERI, VERTRANII, VIRDUNGI, & *aliorum*. [De Tacito etiam magna merita sunt Vener. ERNESTI, *ex cuius recensione cum notis integris* I. LIPSII & I. F. GRONOVII, quibus & suas adiecit, editus est *Lips. MDCCLII. II. vol. 8. mai. N.*] (Cursoriae lectioni accommodatae BERNEGGERIANA 8. & RYCKIANA, 12. G.)

*Curtius.* Stili *elegantis & floridi* ideam dabit CURTIUS, incertae aetatis scriptor, quem ob declamatorium & anxium dicendi genus, naevosque varios multi plane novum ac supposititium scriptorem putant. Vid. VOSSII *de histor. Latin. I.*, 28. GUID. PATIN. *epist. 27. p. 96.* CELLAR. in *iudicio de Curtio, editioni suae praemisso*, WAGENSEILIUS in *pera libror. iuvenil. tom. I. p. 136.* Verum, utut facile largiamur, non immunem esse CURTIUM a variis naevis, in dictione aequae ac in geographia admissis: non tamen ideo nitidum illum scriptorem vel novum, vel plane e manibus iuvenum excutiendum arbitramur, vel ideo, quod stilus ille *venustus*, quem supra descripsimus, a nemine, quam a CURTIO, feliciter exprimitur. (Iuvenibus carus est, nec iniuria, ob picturas, quae vero potius ad delectationem valent, quam ad rerum declarationem. G.) CURTIUM a IO. CLERICI, (qui in *arte critica* inclementius de illo iudicaverat, G.) iniuriis vindicavit V. CL. IAC. PERIZONIUS in *2. Curtio Ruffo restituto in integrum, & vindicato, Lugd. Bat. c1010ccliii. 8.* Optima CURTII editio est, quae *cum omnibus supplementis, variantibus lectionibus, commentariis ac notis perpetuis* FR. MODII, VAL. ACIDALII, T. POPMAE, IO. FREINSEMI, [non tamen integris, N.] IO. SCHEFFERI, CHR. CELLARII, NIC. HEINSEII, *ut & selectis & excerptis aliorum, cura* HENR. SNAKENBURGI prodiit *Lugd. Batav. c1010cclxxiv. 4. cum figuris.*

*Plautus.* In *iocoso* stilo regnat PLAUTUS, qui & purus est, & tersus. Verum hic observandum, I. archaismos nimis amare PLAUTUM, id quod tamen saeculo, quo vixit condonandum est. (Tum enim non erant archaismi. G.) II. Eundem stilum ex personarum, quas in theatro sistit, ingenio formare, & hinc III. saepius fingere phrases ac voces, ridiculas magis, quam Latinas, (a qua re ne in gravioribus quidem personis satis temperat, risum movisse undecumque contentus. G.) IV. Iocos quoque serviles, quibus abundat, aliquando parum esse urbanos, quod iam HORATIUS in *arte poet. v. 270. sq.* notavit:

At

*At nostri* PLAUTINOS & *numeros & Laudavere sales: nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte mirati; si modo ego & vos Scimus inurbanum lepido seponere dicto, Legitimumque sonum digitis callemus & aure.*

Conf. DAN. HEINSII *dissertat. in hunc locum HORATII*, Terentii editionibus addi solita, & VAVASSOR *de ludicra dictione*. His observatis fructum ex PLAUTI lectione non levem capiemus. In optimis editionibus eminent FRID. TAUBMANNI, *cum eiusdem luculentissimo commentario, & notis* IANI GRUTERI, quae prodiit *Amstelodami c1010cclxxi. 4. itemque* IO. FRID. GRONOVII, quae prodiit *Amstelodami c1010cclxxiv. 8.* [ & repetita est *Lipsiae c1010cclxx. 8. N.*] Nec negligendum PHIL. PAREI *Lexicon Plautinum*, quod insignem utilitatem adferet omnibus, qui dictionis Plautinae sunt paulo studiosiores. Novam PLAUTI editionem minatus est ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

In *acuto ac sententioso*, quem vocant stilo prae ceteris commendandus SENECA, quamvis eum etiam hac in re iusto esse diligentiorum, iam supra ex QUINCTILIANO (X, 1, 125. sqq. G.) aliisque sit observatum. Abundat sane SENECA dulcibus vitis, quae facilius, quam saniora, a iuventute in imitationem trahuntur: unde merito eius lectionem in tertium demum cursum reiecit. Ex philosophicis eius scriptis hic seligendos existimarem libros *de tranquillitate animi, de providentia, & de clementia*. Reliqua, ut & *epistolae* ultimo cursui poterunt reservari. Editio IO. FRID. GRONOVII, quae prodiit *Amstelod. c1010cclxxii. 8. volum. III.* reliquis adcuratior, commodior, atque elegantior habetur.

Subiungimus his omnibus LACTANTIUM, Christianorum Ciceronem, quem saeculo IV. ineunte floruisse constat. Eo enim duce facile discemus, quae optima sit imitandi ratio. Nam Ciceronis dictionem atque ubertatem tam adcurate expressit, ut non temere quisquam paria, illi ea in re fecerit. Sunt tamen & in LACTANTIO naevi quidam, saeculo, quo vixit, condonandi, quos aequae, ac virtutes illius cum cura expendit IO. AUG. KREBSII *dissertatio, Halae Magd. c1010ccclii. habita de stilo Lactantii Firmiani* (Sermonis naevos facile condonaremus, quum praesertim nec multi sint, & magnis pensentur virtutibus, sed doctrinae sunt tanto graviore. G.) Institutiones eius divinae multo nitidiores sunt libello *de mortibus persecutorum*, quem STEPH. BALUZIUS e codice Colbertino exscriptum primus extulit *tomo II. miscellan. Paris. c1010cclxxix. 8.* Unde hunc librum non Lactantio, sed Caecilio cuidam tribuendum existimat MASSUETUS. Sed nec is libellus vel ob res, quas

Seneca.

Lactantius.



quas complectitur, notatu dignissimas videtur praetermittendus. (Videtur ille pro plebe scriptus, ut Arnobii commentarius in psalmos, cuius in praefatione Erasmus de illo plebeio sermone pulchre disputavit. G.) Editiones *institutionum divinarum* exstant variae, in quibus *Cellarianae* locus haud postremus debetur; (auctae & emendatae a. c. A. HEUMANNO, *Goettingae* c1010ccxxxvi. 8. Magno apparatu critico rem gessit IO. LUD. BUNEMANNUS, cuius editio *Lips.* c1010ccxxxix. reliquis omnibus haud dubie praefenda est. G.) Alter vero libellus *cum notis* STEPH. BALUZII, GIBERTI CUPERI, COLUMBI, TOINARDI, GRAEVII, EL. BOHERELLI, TH. GALE, IAC. TOLLII editus est a PAULO BAULDRI, *Ultraiectionis* c1010ccxii. 8. (*Opera omnia* splendidissime prodierunt cum LXXX. *codicibus MSS. collata & notis uberioribus illustrata* a IO. BAPT. LE BRUN & NIC. LENGLET DU FRESNOY, *Paris.* 1748. II. *volum.* 4. G.)

## VII.

Qui quarto?

Quarto cursu, iis potissimum, qui sese totos amoenioribus musis consecrarunt, destinato, non solum reliqua auctorum haftenus recensitorum scripta adeunda, sed & per ceteros scriptores omnium aetatum divagandum est\*). Evolvendi itaque erunt scriptores rei rusticae CATO, VARRO, COLUMELLA, scriptor architecturae doctissimus VITRUVIUS, historici porro VELLEIUS PATERCULUS, VALERIUS MAXIMUS, CAIUS PLINIUS, FLORUS, IUSTINUS, *scriptores historiae Augustae* sex, & AMMIANUS MARCELLINUS, rhetores item & oratores M. ANN. SENECA, QUINCTILIANUS, & *auctores panegyricorum veterum*, quibus denique accedent CORNELIUS CELSUS, T. PETRONIUS ARBITER, FRONTINUS, AULUS GELLIUS, APULEIUS, CENSORIUS, IULIUS OBSEQUENS, EL. VEGETIUS, MACROBIUS, & MARCIANUS CAPELLA. Reliqui enim scriptores, quibus & SYMMACHUM, & CASSIODORUM, & patres plerosque accenseo, historiae potius, quam Latinitatis causa evolvendi sunt.

\*) Quum enim viro eloquenti de variis rebus disserendum scribendumque sit; facile adparet, non sufficere ei paucos auctores. Hinc phrases ad rem bellicam pertinentes ex scriptoribus

bus historicis, tacticis, & qui de castrametatione egerunt; phrases oeconomicae ex Catone, Columella, Varrone; loquutiones medicas ex Celso; architectonicas ex Vitruvio & Palladio; alias denique ex aliis petet. Unde simul intelligere licebit, quanto in errore versentur, qui solo lecto Cicerone ad summam eloquentiae perfectionem se perventuros existimant.

CATO, quum dudum ante Ciceronem scripserit, non adeo elegans est. Archaismos adhuc habet saeculo suo familiares. (Nec habemus librum illius, ut manibus ipsius exiit. G.) Optimum tamen agricolam fuisse, iam CORNELIUS NEPOS in *vita eius* observavit. VARRO innumera paene scripsit, in quibus tamen praeter libros tres *de re rustica*, & *de Lingua Latina* IV. ad IX. non integros, fragmenta tantum commune illud naufragium evaserunt. Scripta eius iam olim doctrinae, (quam ubique ostentat, G.) potius, quam eloquentiae laude commendabantur, QUINCT. *Instit. orat.* X, I. AUGUSTIN. *de civitate Dei* VI, 2. Elegantissimus de re rustica scriptor est COLUMELLA, qui sub Claudio floruit, vir eloquentissimus, adeoque cum cura legendus. (Videtur aemulatio quaedam illi intercessisse cum Plinio maiore, quod vix aliter illius mentionem facit, quam ut reprehendat. Est in eo copia incredibilis verborum & nitor campo cultissimo similis. PALLADIUS aevi inferioris hominibus placuit, quod in menses descripsit opus suum: sed hinc etiam interpolatus est frequentissime. G.) Coniunctim hos scriptores (adiecto VEGETIO Mulomedico, G.) *cum notis virorum clarissimorum & lexico rei rusticae* edidit IO. MATTH. GESNERUS, *Lips.* c1010ccxxxv. 4. *Vol.* II.

M. VITRUVIUS POLLIO architecturae scriptor doctissimus est, nec nitidissimus tamen, quamvis saeculo Augusteo flourerit. (Videtur architectis & fabris multum dedisse: in proemiis vero vela quasi pandit eruditioni & eloquentiae. G.) Hinc in eo peregrinitatem & plebitatem notant EARTHUS *adversar.* I. IO. CASP. SCIOPIUS. Saepe in linguas varias translatus est hic auctor. (Versiones Italica DAN. BARBARI, & Gallica CAR. PERRALTI habent etiam praeclaros commentarios. G.) Latinae quoque editiones exstant haud paucae, in quibus commendanda praestantissima, quam cum GUIL. PHILANDRI *Castilionaei integris commentariis, excerptis notis* DAN. BARBARI, & *lexico Vitruviano* BERNARDINI BALDI Urbinatis, tum IO. BUTEONIS, NIC. GOLDMANNI, CLAUD. SALMASII & MARCI MEIBOMII *ad loca quaedam Vitruvii observationibus, addita eius vita*, vulgavit IO. DE LAET, *Amstelod.* c1010ccxlix. *fol.* (in qua multae PHILANDRI annotationes omissae sunt: nec Dan. Barbari inventa, ut oportebat, adhibita. Spem praestantissimae editionis faciunt

Scriptores rei rusticae.  
Cato.

Columella.

Scriptor architecturae Vitruvius.

10. POLENI *exercitationes Vitruvianae*, Patav. c1010ccxxxix. 4. max. & ea, quibus Frontinum de aquaeductibus illustravit. G.)

Velleius Pa-  
terculus.

VELLEIUS PATERCULUS sub Tiberio floruit, historiamque edidit, cuius in postrema parte ubique ostendit animum parasiticum, (satis erat adulatorium, ex metu, ut credibile est, ne irritaret malam bestiam, senem Tiberium, G.) stilumque Tiberio & Seiano obnoxium. Unde eum potius panegyristen dixeris, quam historicum. Dicitio tamen eius, quidquid alii, est plane Romana, elegans, & vel ideo commendanda, quod hominum indolem cum cura descripsit. Inde 10. HENR. BOECLERI enatus est libellus *de characteribus politicis Velleianis*, Argentor. c1010clxxii. 8. Praestantissima omnium ac nitidissima editio est, quae cum integris scholiis, notis, variis lectionibus & animadversionibus doctorum curante v. cl. PETRO BURMANNO prodiit Lugd. Bat. c1010cccxix. 8. mai. cui ex illa Oxoniensi etiam HENR. DODWELLI *annales Velleiani* accesserunt. Fragmentum VELLEII, quod circumfertur, a WOLFG. LAZIO editum, ab eruditis dudum explosum est.

Valerius Ma-  
ximus.

Eodem Tiberio imperante VALERIUS MAXIMUS vixit, qui historiam memorabilium dictorum factorumque in varios titulos distributam scripsit. Sed cum stilus vix sapiat tam bonum aevum; (certe quum declamatorius sit, qui admirationem ubique capet, qui non tam mitem doctrinam spectet, quam aut laudes hyperbolicas, aut reprehensiones tumultuosas: G.) non dubitarim ego quidem eorum accedere sententiae, qui non tam integrum auctorem, quam eius excerpta quaedam ad nos pervenisse iudicant. Unde & raro inter se conspirant codices MSS. ceu observavit BARTHIUS *adversar.* XIX. 15. (Accidit nempe huic operi, quod Catoni primum, deinde Palladio. Homines in usum suum describebant eos, atque licere adeo sibi putabant, mutare pro re sua, etc. G.) Omnibus editionibus palmam praerepturus fuisset IAC. PERIZONIUS, si eius prodiisset editio. Sed in spongiam incubuit hic Ajax, nisi quod nuper *Perizoniana*, quae reperiri potuerunt, novae ac splendidae editioni suae inseruit v. cl. ABRAH. TORRENIUS. Prodiit haec editio *Leidae* c1010ccxxvi. 4. mai. cum notis integris HENR. LORITI GLAREANI, STEPH. PIGHII, IUSTI LIPSII, CHRISTOPH. COLERI & IO. VORSTII, nec non *selectis aliorum observationibus*, quibus accedunt *emendationes ineditae* CASP. BARTHII, FRANC. GUYETI & MARQ. GUDII, item ANT. SCHULTINGII *exercitatio ad lib. VII. cap. 7. de testamentis rescissis*.

Plinius.

C. PLINII SECUNDI *historia naturalis* iustae instar bibliothecae est, unde reliquorum eius librorum iactura tanto tristior

ac-

accidit reipublicae litterariae. Vid. PLIN. *lib. III. epist. 5.* Auctor nondum satis castigatus videtur ob codicum MSS. penuriam, & eorum, qui exstant, naevos, de quibus conqueruntur *Scaligeriana prima* p. 20. Reliquis tamen praefereandae editiones 10. FRID. GRONOVII cum notis *variorum*, Lugd. Bat. c1010clxix. 8. mai. tom. III. & illa cedro digna 10. HARDUINI, Lutet. Paris. c1010ccxxiii. fol. (Quam emendatiorem & auctiorem *Goettinga* parturiebat, ea variis rebus adhuc impedita & strangulata est, eo praesertim, quod *Basiliae* recusa HARDUINI editio pluteos implevisse videtur. G.) [Novam editionem accuratiorem parturit Italia, deditque iam *Disquisitiones Plinianas*, in quibus de utriusque Plinii patria, rebus gestis, scriptis codicibus, editionibus atque interpretibus agitur, auctore ANTONIO IOSEPHO, comite a Turke REZZONICI *et. T. I. Parmae* 1764. Ubi praefatio Pliniana ad xxxix. Codd. emendata exhibetur. N.] *Exercitationes* in Solinum *Plinianae* CL. SALMASII, incredibili eruditionis varietate refertae sunt, adeo ut vir ille doctissimus omnes fere vastae doctrinae thesauros in iis exhausisse videatur. Sed multa etiam insunt parum accurate scripta, multae hariolationes criticae, multae coniecturae satis audaces, ut postea viris doctis tantum non omnibus vapularit SALMASIUS. Prodierunt post Parisinam editionem *Ultraiefti* c1010clxxxix. in fol. Tom. II.

FLORUS ex Annaeorum gente, qui sub Traiano scripsisse videtur, historiam stilo magis poetico, quam historico, composuit. Ubique adfectat magnificentiam & acumina, quae tamen aliquando in frigus abeunt, ut supra aliquot exemplis demonstravimus. Non tamen sine fructu eum leges, si iudicium adhibueris. Splendidissima editio est, quae cum integris SALMASII, FREINSHEMII, GRAEVII, & *selectis aliorum animadversionibus ex recensione* & cum notis CAR. ANDR. DUKERI prodiit Lugd. Bat. c1010ccxxii. 8. mai. (Sed magnificentior erat, si tota esset, ea, cuius duo libri priores in usum Borussici & Brandenburgici principis heredis a LAURENT. BEGERO editi sunt *Coloniae March.* c1010cciv. fol. G.)

Florus.

Incertae aetatis est IUSTINUS, quem plerique ad ferream Latinitatis aetatem referunt. In compendium redigit TROGI POMPEII, severissimi & priscae eloquentiae viri, *historiam Philippicam*, (i. e. *Macedonicam*, quam persequitur a lib. VII. ad XLI. imitatione Theopompi, ut Demosthenis, suas in Antonium orationes Philippicas dixit Cicero: G.) sed stilo ultra aevum suum elegante, ut illum dictionem Trogi sui ubique retinuisse verosimile sit. Optima editio est, quae cum integris *commensariis* I. BONGARSII, F. MODII, M. BERNEGGERI, M. Z.

Iustinus.

BOX-

BOXHORNII, I. VOŠII, I. F. GRONOVII, I. G. GRAEVII, T. FABRI, I. VORSTII, I. SCHEFFERI, & excerptis aliorum prodiit *Lugd. Bat. c1010ccxix.* 8. mai. curante ABRAH. GRONOVIO, [ & secundo auctior *ibid.* c1010cclx. 8. N.] Adcuratissimam nobis editionem dedit, & (praeter praefationem, lectu dignissimam, G.) *variantes lectiones adiecit* v. cl. PETR. BURMANNUS, *Lugd. Bat. c1010ccxxii.* in 12.

Scriptores historiae Augustae.

Scriptores historiae Augustae vocantur, qui historiam imperatorum Romanorum, inchoatam a SÜETONIO continuarunt, AELIUS SPARTIANUS, IULIUS CAPITOLINUS, AELIUS IAMPRIDIUS, VULCATIUS GALLICANUS, TREBELLIIUS POLLIO & FL. VOPISCUS qui omnes imperantibus Diocletiano & Constantino M. floruisse videntur; quamvis quas singuli vitas composuerint; non adeo videatur expeditum, ceu ostendit vir doctissimus HENR. DODWELLUS in *praefationibus Cambdenianis*. Maximi merito habentur ob rerum, quas tradunt, varietatem: stilus vero haud parum ex aevis illius sordidus trahit, nec adeo temere imitandus est. Coniunctim saepe editi sunt isti VI. viri, de quibus optime meriti sunt IS. CASAUBONUS & CL. SALMASIUS, quorum notae cum saepius, tum potissimum *Lugd. Bat. c1010cclxx.* in 8. mai. vol. II. prodierunt, in qua editione & IANI GRÜTERI notae occurrunt. (Neque contemnenda minor editio OBRECHTI *Argent. c1010cclxxvii.* 8. G.) Novam horum scriptorum editionem parat v. cl. GODOFREDUS MASCOVIUS, [quam anno MDCCLX. mortuus absolutam reliquit. A.]

Ammianus Marcellinus.

AMMIANUS MARCELLINUS, Graecus natione, Latine tamen scripsit temporum suorum historiam. Quumque sub Iuliano demum imperatore vixerit: facile colliges, qualem eius dictionem esse oporteat. Duriuscula illa est, & horridior, quam ut stili causa legi possit. Est tamen AMMIANUS scriptor prudens, gravis, severus, & veritatis studiosissimus, unde viri doctissimi in eo illustrando multum industriae collocarunt. Editio optima est, quae *cum integris observationibus* FRID. LINDENBROGII, HENRICI HADRIANIQUE VALESIORUM & IAC. GRONOVII prodiit *Lugd. Bat. c1010cxciii.* fol. & 4. multis imperatorum numis, gemmis, imaginibus, obeliscis aeri incisus exornata. (Vir bonus est & prudens, sed semigraeca oratio: Medius inter Christianos & gentiles, infensus caussarum patronis. Ostentator doctrinae locos communes amat, v. g. de doctrina Aegyptiorum, etc. G.)

Seneca.

M. ANNAEUS SENECA Rhetor, Lucii philosophi parens, more saeculi, controversias & suasionem, i. e. declamationes, scripsit. Vigeant enim tum umbratiles illae exercitationes, quas suo more exagitavit PETRONIUS. Quamvis vero non nisi

ex-

excerpta habeamus, quae ipse SENECA in filiorum gratiam e penu memoriae, qua ad miraculum usque valuit, depromsit: scripta tamen illa sunt ea dictionis puritate & elegantia, ut nihil in eo genere purius exstet aut venustius. (Prout sunt, quos excerptit. Distincte videndum est. G.) Solent plerumque *declamationes* istae philosophi operibus iungi, id quod etiam a IO. FRID. GRONOVIO factum.

M. FAB. QUINCTILIANUS a Galba imperatore ex Hispania Romam deductus, rhetoricam ibi docuit, tanta fama, ut viros doctissimos; & in his PLINIUM (iuniorem G.) etiam, discipulos habuerit. Exstant eius *institutiones oratoriae*, aeternum opus, & *declamationes*, quae tamen, quum ad Quinctiliani praeccepta non sint compositae, eius esse haud videntur; (certe non omnes. G.) Splendidissima omnium ac utilissima editio est ea, quam *cum virorum doctorum integris notis ac animadversionibus* edidit v. cl. PETR. BURMANNUS *Lugd. Bat. c1010ccxx.* 4. mai. Vol. II. Conferenda omnino eiusdem v. cl. *epistola ad* CLAUD. CAPPERONNERIUM, *diaconum Ambianensem, & Graecae linguae professorem, de nova eius M. FAB. QUINCTILIANI de institutione oratoria editione, Leid. c1010ccxxvi.* 4. mai. (Prodiit CAPPERONNERII editio *institutionis oratoriae Paris. c1010ccxxv.* fol. quae BURMANNIANAM (quantum ad hoc opus, nam *declamationes* non habet) refert, & plurimas editoris annotationes bonas malas adiunctas habet. Opus *de institutione oratoria cum perpetuo commentario* edidi *Goettingae c1010ccxxxviii.* 4. G.)

De auctoribus his panegyricorum veterum iam supra actum est *Part. II. c. 3.*

CORNELIUS CELSUS, suavissimae Latinitatis auctor, artem medicam nitida dictione expressit, unde eum Latinorum Hippocratem, (quia primus, brevis, Hippocratem sequutus, G.) & medicorum Ciceronem vulgo audias cognominari. Optime de eo meritis est medicus THEODOR. IANS. AB ALMELOVEEN, qui Celsum emendatissimum, suisque illustratum notis dedit *Amstelæd. c1010ccxxx.* 8. [De nova editione publice iam spes facta quidem est *Goettingae* a GEORG. MATTHIAE, v. cl. N.] Nuperrime vero ex officina *Casparis Fritschii* prodiit utilissimus ille liber ex fide vetustissimorum librorum recensitus emendatusque a CAROLO CHRISTIANO KRAUSE in Academia Lipsiensis Medicinae Professore celeberrimo.

Accedit celeberrimus ille elegantiarum pariter ac nequitiarum arbor, [vid. proem. §. 3. N.] T. PETRONIUS ARBITER, *satyrici* auctor, a quo sola si abesset obscenitas, nemo felicius manum ad scribendum adpulisset. Perstrinxisse videtur

S

Ne-

Quintilianus.

Auctores panegyricorum veterum.  
Corn. Celsus.

Petronius.

Neroniani aevi infelicitatem, & forsan, si integrum exstaret satyricon, auctorem habituri essemus non minus gravem vitiorum insectatorem, quam IUVENALEM. Verum videtur aliquis, parum castus, ea tantum ex opere illo excerptisse, quae invenerat maxime obscena. (Pro tantum melius dixisset Auctor praecipue. Obscena enim vix decimam partem horum fragmentorum implebunt. G.) Commendandus itaque est non pueris ac adolescentibus, sed compositae mentis viris, qui & inde haud pauca praeclare discent. Optima editio est, quam cum integris virorum doctorum commentariis, & notis NIC. HEINSII ac GUIL. GOESII nunc primum editis, una cum IANI DOUSAE praedicaneis & D. IOS. ANT. GONSALI DE SALAS commentis edidit v. cl. PETRUS BURMANNUS, *Traiecti ad Rhenum* c1010ccix. in 4. mai. Editio altera, cui immortuus est vir doctus, prodiit c1010ccxlii. 2. vol. Exstat & aliud fragmentum, Traguriae in Dalmatia repertum, de quo mirae inter VALESIIUM, SCHEFFERUM, WAGENSELIUM, aliosque viros doctos intercessere lites. Edidit illud cum notis suis IO. SCHEFFERUS, *Upsaliae* c1010cclxv. 8. deinde THOM. REINESIUS, *Lipsiae* c1010cclxvi. 8. hinc CHR. ARNOLDUS, *Norimb.* c1010cclxvii. 8. qui etiam totius illius litis historiam texuit, variaque virorum doctissimorum iudicia adiecit. (Quae omnia habet Burmanniana editio. G.) Fuit etiam, qui totum PETRONIUM Albae Regiae anno c1010cclxxxviii. repertum in lucem extulit, FRANC. NOODTIUS, *Roterod.* c1010ccxiii. 12. Sed non tam creduli adhuc fuerunt eruditi, ut hunc sibi fucum fieri paterentur a milite. (Interim illud quodque insertum est editioni *Lipsiens.* c1010cccxxxi. 8. G.)

Frontinus.

E Traiani aevo est SEXTUS IULIUS FRONTINUS, qui & de strategematibus, & aquaeductibus stilo non adeo nitido scripsit. Strategemata Vegetio plerumque addi solent: sed & separatim cum notis integris FRANC. MODII, GODESCALCI STEWECHII, PETR. SCRIVERII & SAM. TENULII edidit FRANC. OUDENDORPIUS, *Lugd. Batav.* c1010cccxxxi. 8. mai. Liber de urbis Romae aquaeductibus opera & studio IO. POLENI splendidissime prodiit *Pataviae* c1010cccxxii. 4. mai.

A. Gellius.

AULUS GELLIUS, quem alii AGELLIUM vocandum contendunt, *noctes Atticas*, sed luculentissimas, scripsit, quo in libro innumera philologica, critica, historica, philosophica, promiscue tractavit. Optima editio est, quae *Lugd. Bat.* c1010ccv. in 4. mai. cura IAC. GRONOVII prodiit, [ & repetita est *Lipsiae* MDCCLXI. 2 Vol. 8. mai. cum accessionibus luculentis cll. vv. OTHONIS & CONRADI. N.] Novam exspectamus a v. cl. ABR. GRONOVIO. (Accepimus a P. D. LONGOLIO utilissimo indice illustratam, *Curiae Regnitiae* c1010ccxli. 8. G.) Maxima ex-

spe-

spectatio est de illa, quam *Argentorati* adornat v. cl. ELIAS STOEBERUS. N.]

APULEIUS, Madaurensis, Afer, monstrosae ac tumidae Latinitatis auctor est, ut eum rudere cum asino suo lepide iudicaret PHIL. MELANCTHON. Proprietatis quidem satis est amans, & diligens veteris Latinitatis conservator, (unde plurima velut fugitiva antiquorum verba retrahere illius ope licuit, G.) sed qui tumore & adfectione ita omnia corrumpit, ut phrasin eius non immerito docto ineptam cum VOSSIO & LIPSIO possis adpellare. Mirifice tamen APULEI stilum amavit PHIL. BERROALDUS, a multis hinc iure notatus. Commodissima editio est GEVERARDI ELMENHORSTII, quae cum spicilegiis IANI RUTGERSII, ER. PUTEANI & IO. BRANTII cet. prodiit *Frff.* c1010ccxxi. 8. *Apologiam* edidit (IS. CASaubonus *Heidelb.* c1010ccxiv. 4. & G.) SCIP. GENTILIS, Ictus doctissimus, cum MEURSII *castigationibus*, *Hanou.* c1010ccvii. 8. *Metamorphoseos* autem *libros XI.* IO. FRICAEUS, *Goudae* c1010ccl. 8. (qui etiam *apologiam* edidit cum commentario. *Paris.* c1010cccxxv. 4. Opera omnia in usum *Delphini studio* IO. FLORIDI prodierunt *Parisiis* MDCLXXXVIII. II. volum. 4. G.)

Apuleius.

CENSORINUS, quem sub Alexandro Severo vixisse constat, librum scripsit astrologica mathematicaque (i. e. chronologica, G.) doctrina refertissimum, de die natali. Stilus simplex est, nec planè contemnendus. Optimae editiones sunt HENR. LINDENBROGII, *Lugd. Bat.* c1010ccxlii. 8. & quae *Cantabrigiae cum notis variorum* prodiit, nuper HAVERCAMPI studio recusa.

Censorinus.

IULIUS OBSEQUENS de prodigiis, quae Romae & in vicinia acciderunt, *libros II.* stilo simplicissimo scripsit. Eos cum *animadversionibus* IO. SCHEFFERI, & *supplementis* CONR. LYCOSTHENIS edidit FR. OUDENDORPIUS, *Lugd. Bat.* c1010cccxx. 8.

Iulius Obsequens.

FL. VEGETIUS, aevi Theodosiani auctor, tum de re militari, tum de *mulomedicina*, scripsit. Prior liber una cum reliquis scriptoribus cum notis variorum prodiit. Posteriorem splendidissimae editioni scriptorum rei rusticae tom. II. inseruit v. cl. IO. MATTH. GESNERUS.

Vegetius.

Eiusdem aetatis scriptor AURELIUS THEODOSIUS MACROBIUS utilissimo ad posteritatem instituto optima quaevis ex Latinis Graecisque auctoribus excerptis. (Furem quidem appellant, sed hic fur tamen multas ex antiquitate gemmas nobis conservavit. Incipiebat pessum ire notitia antiquitatis ex ipsa lingua. Obviam iere Gellius & Macrobius. G.) Quare etsi eius stilus varius est: multa tamen veterum fragmenta hodie intercidisse conquereremur, nisi a MACROBIO in *libris VII. Saturnaliorum* fuissent conservata. Debemus eidem luculentissimum

Macrobius.

illud e CICERONIS libris *de republica ἀποστομαχίῳ*, quod *somnium Scipionis* adpellatur, in quod commentarium doctissimum conscripsit. Prodierunt MACROBII opera saepius, sed optima est editio, quae cum notis integris IS. PONTANI, IO. MEURSI & IAC. GRONOVII prodit *Lugd. Bat. c1616clxx. 8. mai.*

Marcianus  
Capella.

MARCIANI CAPELLAE stilius adeo horridus & (ex doctrinae affectatione G.) durus est, ut eum *pecudalis eloquentiae* auctorem suo stilo vocet CASP. BARTHIUS *adversar. XXV, 13.* Fabulam scripsit *de Mercurii & philologiae nuptiis*, qua totam encyclopaediam, sed non satis feliciter, complexus est. (Gemmae tamen plurimae in hoc quoque sterquilinio G.) Auctori huic adolescens XIV. annorum lucem accendere studuit HUGO GROTIUS, (adiutus, ut aiunt, a Scaligero, G.) cuius editio prodit *Lugd. Bat. c1616clxix. 8.* De cetero hic & ille Fulgentius, *continentiae Virgilianae* auctor, & Ennodius peccarunt a) congestis antiquatis, quae undique assumere, (β.) audaci novorum confictione, in quo analogiam nimis extendere. Prius litteris profuit, posterius est cavendum: G.)

### VIII.

An etiam poëtarum lectione opus sit?

Omissos videbis poëtas. Nam PLAUTUS, TERENCEIUS, PHAEDRUS, quos recensuimus, licet metro se adstrinxerint, dictione tamen familiari potius, quam poëtica, utuntur \*). Neque tamen exiguus est poëtarum usus etiam in soluta eloquentia, si cum iudicio legantur \*\*). Inprimis vero commendandi sunt ob puritatem sermonis, VIRGILIUS, HORATIUS, OVIDIUS \*\*\*), CATULLUS, TIBULLUS, PROPERTIUS, ob phrasin LUCRETIIUS \*\*\*\*), ob acumen LUCANUS \*\*\*\*\*). A tumidorum vero poëtarum, quales sunt STATIUS, CLAUDIANUS, & alii \*\*\*\*\*), imitatione plane, me quidem auctore, abstinebit elegantiae castioris studiosus.

\*) Comici enim personas sistunt viliores, veluti senes, agricolas, servos, libertos, parasitos, & huius generis alios, qui cothurnis incedere haud solent. Hinc & eiusmodi eligunt metrum, quod vix familiari & soluta oratione possit distingui. (Terentius tamen semper modestus est. G.) Paulo adstrictior est

est PHAEDRUS, qui tamen & ipse comicos potius, quam poëtas alios imitatur.

\*\* ) Qui paullo subactiore (per ipsum legendi usum, G.) sunt iudicio, ii, quid in poëtis sit poëticum, quid Latinum, facile discernent. (Vid. supra I, 2, 15.) Ergo ex poëtis magnam optimarum vocum phrasiumque copiam colligent, quae etiam in prosa oratione inveniet locum. Dabimus exempla quaedam e CUNAEI. Dixerat HORAT. *Carm. IV, 4.*

*per damna, per caedes, ab ipso  
ducit opes animumque ferro.*

Hanc phrasin eleganter imitatus CUNAEUS *orat. I. p. 14.* de academia Lugdunensi: *Quo plures, inquit, emergerent belli difficultates, tanto illa maior in dies pulchriorque effloruit, ita, quod prope inauditum est, per damna, per caedes, ab ipso ferro duxisse vires suas & augmentum videtur.* Sic & LUCANUS *Pharsal. V, 108.* de infantibus, a Mario occisis:

*Crimine quo parvi caedem potuere mereri?  
Sed satis est iam, posse mori.*

Haec ita imitatur CUNAEUS *orat. II. p. 39.* *Crudelitatem in omnes cives exercuit, etiam in eos, quorum nullum erat aliud crimen, nisi quod mori possent.* Ita IDEM *orat. IV. p. 72.* Aristotelem vocat *maximum ubique auctorem naturae verique*, idque stilo HORATHI, qui *lib. I. od. XXVII.* Pythagoram hoc elogio ornavit. In deliciis quoque ipsi sunt phrases: *sub faustis enutritus penetralibus*, ex HORAT. *Carm. IV, 4.* *Romani rerum domini*, ex VIRGIL. *Aen. I. v. 282.* *love aequo iudicare*, ex HORAT. *epist. II. v. 68.* *Victima suorum civium*, ex SEN. *Herc. Fur. v. 922.*

II. Poëtae etiam saepe suppeditabant praestantissima epitheta, nec non

III. pulcherrimas similitudines, imagines (ἠὲν & πᾶσιν, G.) & alia huius generis. (Hic magnum usum habent DEKENI *observationes poëticae.* G.) Quam pulchrum v. c. est epitheton HORAT. *satyr. II. 3. v. 287.* *foecunda Menenii gens*, pro stultis? Quam eleganti imagine de tardiore gressu utitur PLAUTUS in *Poenul. III, 1. v. 10:*

*Nam iste quidem gradus succretus est cribro pellinario.*

Cave tamen hic arripias epitheta vere poëtica, qualia iam supra notavimus. Non pauciora

IV. e poëtis petes acumina & ingeniosas loquutiones. Sic MARTIALEM (II, 80.) G.) imitatus, de eo, quem mortis metus manus sibi consciscere iussit, eleganter dices: *nihil eum*

potuisse facere stolidius, quam dum, ne moreretur, mori voluerit.

V. Nonnumquam integra poetarum loca oratione soluta reddi possunt, quod saepe ipsum CICERONEM fecisse adparet. CUNAEI exemplum iam supra adduximus ex eius *Sardis venalibus* p. 412.

\*\*\* ) VIRGILII dictio elegans est ac plane Latina. Ad solutam tamen orationem propius accedunt eius *eclogae & georgica*, quam *Aeneis*, in qua absolutissimum dare voluit sublimis & heroici carminis exemplum. Ea vero propria est VIRGILII laus, quod res verbis aequat, & ex lectoribus fere efficit spectatores. (Nempe ut *pictura poësis erit*, HORAT. *art. poet.* 361. G.) Optima & splendidissima omnium est editio, quam cum *integræ commentariis* SERVII, PHILARGYRII, PIERII, & *adnotationibus* SCALIGERI & LINDENBROGII ad *culicem, cirin & catalecta* edidit PANCRATIUS MASUICIUS, *Leopardiae* c1010ccxvii. 4. tom. II. Inter minores editiones praestat *Burmänniana* c1010ccxiv. 12. ex *emendationibus* NIC. HEINSII, (cuius poetarum sospitatoris observationes, cum multis aliis ornamentis, & SERVII commentario etc. nunc maxime Amstelædamsia Wetstenii prela exercent, nec moram illis BURMANNI fatum iniciet. G.) [Prodierunt *Amstelod.* c1010ccxlv. 4. IV. *Vol. N.*] Q. HORATIUS FLACCUS, suppar aetate Virgilio, *carmina lyrica, satyras, epistolas, & de re poetica* scripsit. In his satyrae, epistolae & de arte poetica libellus proxime ad solutam orationem accedunt. (Quod ipse docet passim; ideo *sermões* vocat satyras. G.) Dictio in illis est gravis, morata, amoena, & caste Latina. Textum HORATHI emendatissime exhibent editiones duae *Burmännianae, Traiecti Batav.* c1010clxxxix. 12. cum RUTGERSII *lectionibus Venusinis*, & *ibid.* c1010ccxiii. 12. ad *emendationes Bentleianas*, & ALEXANDER CUNINGAMUS, cuius editio prodit *Hagae Comitum* c1010ccxxi. 8. BAXTERIANA editio, propter excerpta veterum scholiastarum commodissima lectioni cursoriae prodit *Londini* c1010ccci. 8. (quam *recudi curavi, & varietate lectionis observationibusque auxi.* Lips. c1010ccclii. 8. G.) IACOBI TALBOT editio tota tabulis aeneis insculpta, multis ornamentis additis a IO. PINE, etc. Denique P. OVIDIUS NASO scripsit *libros amorum, metamorphoses*, in quibus omnibus iuveniliter saepe lascivit. (Metamorphoses leguntur facile & iucunde ob argumentum & stilum, utiliter ob fabularum cognitionem. G.) Maiore iudicii maturitate compositi sunt *libri tristium, de Ponto & fasti*, antiqua eruditione referti. *Heroidum epistolarum* purissima quidem dictio, sed impurae (id est, pellaces, illecebrosae, non ob-

sc-

scenae, G.) saepe sententiae sunt, ut solet in libris eroticis. Stilus ubique candidus, natus, & facilis, quive plurimum adiuventi solutae orationis scriptoribus suppeditare possit. Ita enim plerumque scribit OVIDIUS, ut demto numero poetico, solutam orationem audire te crederes. Quin *disiecti*, etiam *membra poetæ*, ut loquitur HORAT. *sat.* I, 4, 62. agnoscunt, qui de poetis iudicare possunt. G.) Optima editiones sunt quae *Burmännianae*, altera, quae tribus voluminibus in minore forma prodit *Amstelod.* c1010ccxiv. & textum tantum exhibet; altera, quam cum *integræ* IAC. MYCILLI, HERCULIS CIOFANI & HEINSIORUM & excerptis aliorum *adnotationibus* edidit vir laude nostra maior PETRUS BURMANNUS, *Amstelod.* c1010ccxxvii. 4. *vol. IV.*

\*\*\*\* ) T. LUCRETIUS CARUS, Ciceronis aequalis, philosophiam Epicuri naturalem carmine Latino exposuit, cuius dictionem puram admodum esse vel ideo oportet, quod post Lucretii fata ipse Cicero amici poemati limam adhibuit. Fugienti tamen archaismi quidam, quibus aliquando indulsit LUCRETIUS. Optima ac emendatissima sine dubio est editio, quam cum *interpretatione & notis* edidit THOM. CREECH. *Lond.* c1010ccxvii. 8. *mai.* [ & repetivit *Basilea* MDCCLIV. 8. N.] quamvis non ignorem, recentiorem esse editionem *Havercampianam*, quippe quae *Lugd. Bat.* c1010ccxxv. 4. *vol. II.* prodit, quae tamen ob integros aliorum commentarios adiectos commendari meretur. (Nempe habet splendidissima haec editio *notas integras* LAMBINI, GIFANII, T. FABRI, CREECHII & *selectas aliorum*, tum magnam vim *variarum lectionum*, ipsiusque HAVERCAMPI & PREIGERI *annotationes*, & ornamenta alia. Eleganter admodum, minutis tamen typis recusus hic poeta *Paris.* c1010ccxlv. 12. G.)

\*\*\*\*\* ) Acutissimus poeta est LUCANUS: ex Annaea gente, M. Senecæ rhetoris ex filio Annaeo Mela nepos. QUINCTILIANO *instiit. orat.* X, 1. sagacissimo ingeniorum censori, *ardens videtur, concitatus & sententiis clarissimis usus, sed oratoribus magis, quam poetis adnumerandus.* Nos vero non poëseos, sed acutae dictionis caussa, commendamus LUCANUM, non ignari, versus paullo inamoeniores & nonnumquam tragicos furores in eo notari. LUCANUM cum lectionibus variantibus edidit v. cl. GOTTLIEB CORTIUS, *Lips.* c1010ccxxvi. 8. cum *scholiaste* vero inedito & *adnotationibus integræ* HENR. GLAREANI, IAC. MYCILLI, IOACH. CAMERARI, HUG. GROII, & selectis aliorum edidit vir doctissimus FRANC. OUDENDORPIUS, *Lugd. Bat.* c1010ccxxviii. 4. *mai.* (Cum *commentario* PETRI BURMANNI prodit *Leidae* c1010ccxli. 4. cuius praefatio

tio censuram satis acerbam in poëtam continet. G.)  
 \*\*\*\*\* ) Meteora potius orationis , quam solidam stili elegantiam deprehendimus in PAPINIO STATIO , quem cum *animadversionibus* suis edidit CASP. BARTHIUS. Unde miror , eius tumores adeo placuisse IUSTO LIPSIO , AUG. BUCHNERO & aliis , quibus magni spiritus poëta videtur. Ubique excrescit in tumorem , ubique eo sublimitatis tendit , ubi , quo loco pedem ponat , non inventit. Unde recte illi , qui STATIUM fingunt in summo Parnasso sedere , sed casuro similem. ( *Παζακενιδυρευμένα* , cum periculo dicta , etiam sunt ea , quae maxime probantur. Magnis tamen excidit ausis. In poëta quidem nescio an non melius sit , interdum labi , quam semper reperere. Multum iuvare potest Statius , qui excessu virtutis peccet. G. ) Eundem tumorem in SIDONIO APOLLINARI , CLAUDIANO , aliisque sequioris aevi poëtis reperimus , quorum lectionem ideo non adeo multum cultioris stili studiosis profuturam arbitramur. ( CLAUDIANUS , aevo meliore dignus poëta , etiam propter argumentorum rationem , & morum praecepta egregia commendandus illis , qui ex Virgilio & Horatio iudicium & velut gustum formarunt. Editiones meliores C. BARTHII *cum amplissimo commentario* , Francof. c1701. 4. *cum notis* NIC. HEINSII , ac *selectis variorum commentariis* , Amstel. 1665. 8. G. ) [ *cum varietate lectionis & perpetua annotatione* I. M. GESNERI , Lips. 1759. 8. & *cum notis integris* DELRII , CLAVERII , DEMPSTERI , *auctioribus* N. HEINSII , & *ineditis* P. BURMANNI , & *adnotationibus* P. BURMANNI secundi , Amst. 1760. 4. N. ]

## IX.

In auctorum  
lectione quae  
observanda?

Sed haec quidem de ordine , quem in lectione auctorum observandum arbitramur. Proximum est , ut , quae in ipsa lectione observanda enotandaque sint , doceamus.

( Quum vero a ) multo crebrior occasio sit , ubi intelligere oportet , quam ubi scribere : b ) quum scribere nemo discat , nisi ex lectione : multo maioris facienda est lectio , & occasio intelligendi numquam praetermittenda. G. )

## X.

Primo phrasas  
elegantiores.

Primum ergo danda est opera , ut sensum auctoris probe capiamus \* ). Deinde respiciendum ad voces & phrasas elegantiores , nec non ad compositionem

nem ac constructiones rariores \*\* ). In his enim quantita sita sit stili elegantia , ii intelligent , qui , quae superioris partis primae capite primo ea de re diximus , sibi in memoriam revocaverint.

\*) Equidem in ipso , quem commendavimus , ordine ad intelligentiam auctorum magnum positum est momentum. ( Quia praecedentes sunt remedium interpretandi eos , qui sequuntur. G. ) Suadendum tamen simul est auctores cum fructu lectoris , I. ut optimas sibi editiones comparent. Quo emendatior enim est textus , eo auctor intelligitur facilius. ( Frustra explicatur , quod falsum est , & ab auctore non dictum. Emendatio textus fundamentum est reliquorum omnium. Exemplo sit illud Cic. *epist. VII* , 6 , 3. *quibus illa manibus gypsatisissimis persuasit* ; ubi pro *manibus* legendum est III. *anibus*. Vid. BURMANNI *praefatio* ad Iustinum. G. ) Praeterea non tam facile librorum vitia , ( ut illud *recommendatur* , ut *quod* pro accusativo cum infinitivo , ut *comessare* , *contra* , etc. G. ) pro loquutionibus rarioribus atque elegantioribus adripiant , sed prudenter abstinebunt ab iis , quae dubiae lectionis esse , ex editionibus cum MSS. collatis intelligunt. II. Ut notas eruditorum diligenter conferant , in quibus difficillima plerumque loca cum cura explicantur. ( Sed non prius , quam vel haerere sibi aquam sentiant , vel certe dubitandi causam habeant : ne tempus , quod melius in ipsis antiquorum monumentis collocatur , in rebus forte consumatur , ad rem nostram non necessariis. Hinc primi editores animadversiones solebant ad calcem reicere. G. ) Neque tamen aliorum sententiis , tamquam scopulis , est inhaerendum. Saepe enim attentior lectio & meditatio aliquid suggeret , quod quis frustra in variorum notis quaesiverit , maxime quum illae notae variorum saepe rem eandem repetant , difficiliora haud raro praetervehantur , & in rebus exiguis & vulgo notis aliquando sint verbosissimae. III. Ut ne adspernentur subsidia illa , quae ad explicandos auctores quam maxime faciunt. Sic LIVIUM v. c. lecturus facilius progredieris , si praeter geographiam antiquam , etiam antiquitates Romanas & LIPSIUM praeclearum opus *de militia veteri Romanorum* in consilium adhibueris. Immo & in librorum omnium historicorum lectione inprimis utile ac frugiferum est , & chronologiam quamdam paullo accuratorem , veluti DION. PETAVII *rationarium temporum* , & eos scriptores , qui de veterum Romanorum familiis commentati sunt , veluti GLANDORPIUM , ANT. AUGUSTINUM , FULV. URSINUM , a *Petavio* ( *Patinum* puto , voluit , G. ) &

*Vaillantio* editum auctumque, in consilium adhibere. Utrique usui servient etiam STEPH. VIN. PIGHII *annales Romani*, quamvis hic auctor, quod ad magistratus & personarum originem gentiumque successionem adtinet, multa indulsisse ingenio videatur. (IV. Ne diu haereant in locis obscuris, sed ea notasse contenti pergant, dum vel ipse se aperiat, quod saepissime contingit, scriptor, vel sit interrogandi peritioris occasio, vel tempus interpositum aptiores ad interpretandum faciat, etc. De his & aliis egi, quantum licuit, accurate in *praefatione* ad LIVIUM, Lips. c1510ccxxxv. editum, cuius argumentum *de scriptorum veterum lectione tum stataria, tum cursoria*. G.)

\*\*) Exempli loco esto locus quidam SENECAE *Consol. ad Marc. XV*. Prima periodus haec est:

*Quid aliorum tibi funera caesarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, ut sic quoque generi humano prosint, ostendentes, ne eos quidem, qui diis geniti, deosque genituri (Aen. 9. 642.) dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum alienam.*

Hic mihi notare elegantem compositionem: *aliorum tibi funera caesarum*. Notare etiam phrases & vocabula: *funera caesarum*, pro funera in domo Augusta; (nempe *caesar* nomen proprium familiae tum imperantis, G.) *in hoc*, pro ideo, *principem violat fortuna*, pro fortuna principi adversa est. Satis enim patet, SENECAM ad sacrosanctam principum personam respicere, quam alioquin violare nefas est. Nec inelegans est locutio: *fortunam suam in potestate habere*. Succedat iam altera & tertia periodus:

*Divus Augustus, amissis liberis, nepotibus, exhausta caesarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, tamquam eius iam res ageretur, cuius quum maxime intererat, de diis neminem queri.*

Hic *divus* est ἀποθεώσεως signum. Inde vero statim ego quidem colligerem, male dici *divus Paullus, divus Petrus*, quos numquam in deorum numerum retulimus. (Vid. quae monuimus ad I, 21, 2. de verbo *canonizare*. *Divos* puto recte dici, quos a morte sua in coelum receptos, & gloria atque honore inter homines florentes indicare volumus: idque demonstrare ex divinis humanisque litteris conatus sum *programme*, gener. RANTZOVII *orationi in divam Carolinam praemissa*. G.) Notarem quoque, *caesares* hinc dici principes iuventutis, qui in spem imperii succrescunt. (Quin familiae simpliciter hic nomen est. Illa ratio, quam auctor memorat, Constantini demum aevo coepit. G.) Nec praetermitterem phrases: *turba liberorum exhausta est*, pro numerosa proles morte intercepta est, quam-

quamvis durior sit translatio, quum *turba* non *exhauriri*, sed dissipari, opprimique soleat. (Exhauriri ad fontem, certe ad multitudinem, pertinet. G.) Sane & haec non satis accurate vel eleganter dicta enotare utile est. *Deserta domus*, pro orbitate, *adoptione fulcire desertam domum*, pro adoptione sibi liberos in demortuorum locum surrogare, ubi denuo non satis elegans est translatio, quum non *domus desertae*, sed hiscentes, ventremque facientes & ruinam minantes fulciri soleant. (Sed domus deserta paullatim collabitur: certe hic in applicatione. G.) *Nemo iam de deo queritur*, pro felicissima sunt tempora. (Illud praesertim observandum, respici hic ad consecrationem, quam sperabat Augustus; quum ipse mox inserendum se senatui deorum, cogitaret, nolebat de eo velut collegio queri, cuius ipse paullo post pars futura esset. G.) Pergit SENECA:

*Tiber. caesar, & quem genuerat, & quem adeptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, & fente populo Romano non flexit vultum, experiendum se dedit Seiano, ad latus stanti, quam patienter posset suos perdere.*

Hic occurrunt vocabula *amittere* & *perdere*. Prius de filiis Tiberii; posterius de Seiano eiusque sociis usurpat SENECA. (Sic LIPSIUS. Sed, puto, hoc voluit Seneca, Seianum docuit hoc ipso exemplo Tiberius, quam patienter ferret suos perire, audaciorumque ad rem gerendam fecit. G.) Hoc mihi in animum revocaret differentiam utriusque vocabuli, *amittere* scilicet nos dici, ubi spes sit recuperandi, *perdere*, ubi evanuerit. Illa spes scilicet liberos caesarum non minus, ac ipsos caesares, in divorum numerum referebat eorum temporum superstitione. (Non puto, istam esse veram differentiam, sed *amittere* est *fabren lassen*, ἀποβάλλειν; *perdere*, *hin und weg geben*, ἀποδίδειν: verum non observant scriptores semper origines illas, & grammaticorum observationes contemnunt. Ita apud auctorem. ad *Herenn.* IV, 44. *Decius amisit vitam, at non perdidit*. G.) Observandae porro loquutiones: *hoc oculos ab ea re arceret*, pro hoc inter oculos & rem interiectum; *non flexit vultum*, pro eodem vultu perseveravit; *experiendum se alicui dare*, pro experimentum in se dare. Plura addere, nihil adtinet.

## XI.

Nec ad verba tantum respiciendum, verum etiam ad ingeniosa iudicia vel acumina. quae auctor immiscuit \*).

Deinde acumina variora.

\*) Haec



\* ) Haec dici non potest , quantam suavitatem adferant orationi , si ea cautione , quam supra commendavimus , adhibeantur. Sic in SENECAE periodis paullo ante recensitis , mihi notarem arguta illa iudicia : *principes non ita suam fortunam in potestate habere , quemadmodum alienam.* Item : *principis quam maxime interesse , neminem suo tempore de diis ( de fortuna ) queri.* Sic quoque si legissem PHAEDRI *fab. I, 14.* praeter voces & loquutiones praecipue mihi in usus meos seponerem acutum illud regis iudicium : *quantae putatis esse vos dementiae , qui capita vestra non dubitatis credere , cui calceandos nemo commiserat pedes ?* Talia enim eleganter imitatione exprimi , aliisque rebus accommodari poterunt , ceu infra docebimus.

## XII.

Denique quam maxime ratio habenda est rerum \*). Vix enim operae pretium videretur , verborum tantum caussa per tot omnis aevi scriptores divagari.

\* ) Per res imprimis intelligo , I. ritus antiquos , ( praesertim ea loca , ubi manifesto iudicatur ritus , ut inde intelligantur obscuriora. ( Classica vocari solent. Haec in thesauro L. L. diligenter annoto. G. ) II. ea , quae ad illustrandam historiam ecclesiasticam , civilem , naturalem , iuris & legum , philosophiae & litterarum pertinent , III. doctrinas e philosophia depromptas , ita tamen , ut semper , cui sectae aut methodo philosophandi addictus fuerit auctor , consideremus , ( quum sensum alium atque alium habeant eadem verba pro diversa secta scribentis. Seneca habet multa cum Christianorum doctrina consentientia , quantum ad verba : sed distant toto coelo. v. g. filius Dei , providentia divina , paradoxa , etc. G. ) IV. sententias & apophthegmata , V. similitudines & comparationes , VI. exempla memoratu digniora , aut si quid aliud ad institutum nostrum facere videbitur. ( In his colligendis ad stuporem usque diligentes olim homines cogitandi sollertiam solebant intermittere : nunc omnia ex sese quidam , utinam bona omnia ! Medium tenere beati , i. e. utraque in re , quantum satis est , elaborant pro rei ipsius natura. G. ) Fieri enim potest , ut quis singularia quaedam themata aliquando adcuratius tractare constituerit. Huic ipsa suadebit ratio , ut res omnes , in auctoribus obvias , quae ad istud thema pertinere videbuntur , cum cura observet , & in suos usus seponat. Id quod pluribus exemplis docuit SAGITTARIUS in libello *de lectione atque imitatione Ciceronis.* ( Bene faciunt , qui mature sibi constituunt argumen-

Denique res notatu digniores.

mentum , hinc *πολυγραφία* Fabricii , Wolfii , etc. Ille etiam discipulis commendare argumenta solebat. G. ) Nos , ut iisdem SENECAE periodis regulam nostram illustremus , ex iis notare possemus *exempla* Augusti & Tiberii , qui liberorum amissionem forti animo tulerunt. Notarem etiam *exemplum* stultitiae Seiani , qui se gratia principis excidere haud posse , putaverat. ( Nititur , ut observatum ante , falsa interpretatione. G. ) Porro observarem *ritum* veterum , quod etiam principes suos pro rostris laudarint , nec non *alterum ritum* , quod pontificibus maximis Romanorum funera adspicere non licuerit , ideoque interposuerint velamentum , quod oculos ab isto conspectu arceret. ( Inprimis hoc ubique agamus , ut quaeramus ,  $\alpha$  ) quid vult probare scriptor ?  $\beta$  ) quibus argumentis vel probat vel illustrat ?  $\gamma$  ) an vere ? materialiter & formaliter. G. )

## XIII.

Quum vero fallax plerumque sit memoria , & nemo velit tantum laboris lectioni auctorum ideo insumere , ut quae legerit observaritque , eorum paullo post obliviscatur : *opus etiam erit excerpenti arte* \*), quam tamen non confusam \*\*), aut cum taedio coniunctam \*\*\*), sed expeditissimam esse oportebit.

Inde conscientia excerpta.

\* ) Fuerunt equidem , qui memoria felicissima freti hac excerpenti opera supersederunt. Sed ii plerumque ipsi postea de ista negligentia sua conquesti sunt. Nam praeterquam quod memoria , quamvis felicissima , subinde fallit , aliaque pro aliis suggerit , molestus tunc erit evolvendi labor , quando locum auctoris requirere volueris. Accedit , quod , licet iuvenes lecta facile teneamus memoria , senectus tamen homines plerumque reddat obliviosos. Tunc vero iucundum erit , omnia , quae legimus , in collectaneis nostris tamquam in cella penaria recondita intueri. ( Illud *omnia* nimium est , & non nisi iis suadendum , quorum curta valde supellex , quique ex alienis libris sibi quosdam thesauros colligunt. Perversus etiam usus fecit , ut multi excerpta oderint damnarintque , quod in scholis phrasium & sententiarum excerptis praeter rem & cum iactura temporis se fatigatos noverant. Multi toto vitae spatio scripsere , quae nihil vel ipsis vel aliis profuere. Multi ex libris illis suis solis sapientes , scribere putabant esse colligere ; *compilare* medio aevo. Saepe etiam peccatur , quod ex excerptis , non denuo consultis auctoribus , quaedam referuntur. Nihil scribi debet in hoc genere , nisi quod in ipso usu evolveris. Maxima illa

illa perversitas, quod putant, se scire, quidquid chartis traderunt, quas deinde negligunt. Saepe etiam pereuntibus chartis operam & oleum se perdidisse, conqueruntur. Raro magna excerpta & magna ingenia concurrunt. Ita Io. Sturmius, ipse quoque Morhofius, de se fatentur, excerpta se non habuisse, polyhistores ambo maximi. Optabile est, ut aliquis mature se ad aliquam rem accingat, ut v. c. Fabricius ad historiam litterariam. G.)

\*\* ) Confusa erunt collectanea, si ea ita conficias, ut, quae quaeris, invenire nequeas. Hinc non suaserim, ut quis, more vulgari, verba & res sub titulis quibusdam colloquet. Nam primo ita res ad varias disciplinas pertinentes adcumulantur, & res diversae naturae saepe sub eodem titulo adparebunt. Deinde quum titulos arbitrio nostro fingamus, & una saepe observatio sub decem titulis inveniat locum: haud raro fiet, ut eam sub pluribus titulis frustra queramus. Omitto alia, quae huic excerptendi rationi insunt, vitia. (Nihil est, quod hic praecipere possit simpliciter. Quisque suam commoditatem sequitur. Nizolius, Schubarti & Schurbfleichii care redempti a bibliopola, neuter alicuius ad rem illius pretii, ambo suis possessoribus utiles, quorum alter illo pro titulis omnis generis excerptorii usus erat; Schurzfleischius suo ingenio variabat orationem, phrases applicabat, etc. G.)

\*\*\* ) Innumera exstant de excerptendi arte consilia, quae non magis plerumque necessaria videntur, quam si quis artem reponendi thesauros magno adparatu docere vellet. Quis quaeso probaret v. c. VINC. PLACCII scrinium? (In libro de arte excerptendi, qui omnium copiosissimus est, & aliorum rationes & suam complectitur. G.) quis alia eiusmodi inventa, qualia haud pauca recensuit MORHOVIUS (in *Polyhist.* cuius liber III. totus XIII. capitibus agit  $\alpha$ ) de auctoribus, qui hac de arte egerunt, quibus addi potest IO. FRID. BERTRAM *von der Klugheit zu excerptiren*, Brunsv. 1727. 8. *Mihi ea demum excerptendi ratio videtur optima, quae ad omnium minime laboriosa, & tamen ad rem quamlibet reperiendam expeditissima est.* (Hac etiam in re suum cuique pulchrum, suam quisque commoditatem, suum consilium, suo ex ingenio sequitur. Bonum interim est, vias quasdam proponi adolescentibus, unde, quam placet, eligant. G.)

## XIV.

Et quidem lexicographica.

Magno vero laboris compendio excerpta locupletissima conficies, si lexicon aliquod adcuratius \*) , & ad-

adversariorum librum tibi paraveris. Et lexico quidem adscribes vocabula, si qua inveneris, rariora \*\*) , significationes vocum elegantiores \*\*\*) , phrases selectiores \*\*\*\*) , epitheta notatu digniora \*\*\*\*\*) , signatis simul auctorum locis \*\*\*\*\*) , additisque observationibus criticis & philologicis, quas in virorum doctorum adnotationibusprehendisti †).

\*) Excerpta eiusmodi lexicographica mirifice commendant IAC. THOMAS. in *erotem. rhet.* p. 66. VINC. PLACC. in *hist. excerpt.* eius libro de excerptendi arte adnexa, & MORHOF. *Polyhist.* I, 2. 3. 4. 619. Usui hic erit *lexicon Fabrianum* GESNERI, vel ideo, quod vir hic diligentissimus iam plurima notavit, adeoque multum laboris nobis detraxit. (Non decoimus, spero, hanc diligentiae laudem in eo, cui tandem plane emittendo quum maxime operam enixam damus, *Thesaurus L. L.* qui & amplior & accuratior reliquis sui generis libris ut prodiret, nulli certe labori peperimus, & quod nunquam nos facturos iterum scimus, illud ultimum quam potest bene facere conatu omni studemus. Dedimus etiam descriptiones reales, v. g. in *textu*, *charta*, *petaurista*, *pegma*, *Bellonarii*, etc. G.)

\*\* ) Talia sunt, quae iam MORHOF. *loc. cit.* p. 623. notavit, *vacuefacere* apud NEP. *leno* pro legato apud IUSTINUM, pro quo tamen emendatiores editiones legunt *legatus*, (quod ex glossa esse videtur. G.) *calculo* pro calculatore apud CICERONEM, aliaque huius generis. Probe tamen in eiusmodi vocabulis dispiciendum, I. an forte sint dubia? Multa enim, expensis codicibus MSC. evanescere solent. Sic & PETR. BEMBUS apud CICERONEM invenerat, *multissimus*, eaque voce tamquam Ciceroniana fuerat usus. Verum postea ex codicibus MSS. adparuit, non legendum in CICERONE esse *ex multissimis miseriis*, sed *multis meis miseriis*. Dispiciendum quoque II. an sint obsoleta? item III. an ioci causa inventa? Sic CICERO aliquando dicit *dextella* pro *dextera*, *epist. ad Attic. XIV*, 13. sed quis dubitaret, quin ipse hanc vocem ioci causa invenerit? (Igitur non nisi ioci & blanditiarum causa adhiberi debet. G.) Talia etiam multa apud PLAUTUM occurrunt. Haec quidem tamquam rariora notanda, sed non temere imitanda videntur. Denique & id generatim observandum, rariora, quantumvis bona, vel ideo non esse frequentanda, quia rariora sunt. Notanda tamen sunt diligenter, ut ne bonis auctoribus, qui aliquando talibus usi sunt, dicam temere impingamus. Sic rara quam

quam plurima occurrunt in *digestis*, quae in libro *parergon* diligenter collegit BARN. BRISSONIUS, & acerrime exagitavit LAUR. VALLA. Et tamen pleraque defendi posse, satis ostendunt *opuscula de Latinitate veterum Ictorum*, Lugd. Bat. c1010-ccxi. 8. recusa & adnotationes doctissimae, quae iis adpersit v. cl. CAR. ANDR. DUKERTS.

\*\*\* ) Rariores nonnumquam occurrunt vocum significatio- nes, quas notari in lexicis omnino par est. Sic *insanire* est im- modicos sumtus facere apud PLAUT. *mil. glor.* III. 1. v. 150. VIRGIL. *ecl.* III. v. 36. TERENT. *Phorm.* IV, 3, 37. ( *Auct. ad Herenn.* IV, 50. fin. G. ) *supplicium* pro supplicatione non semel occurrit apud SALLUSTIUM. Talia notanda sunt, ita tamen, ut & hic consideremus, num forte auctor ad adfectionem sit proclivior : ( inprimis si forte respectu quodam aliquid dixerit, quod deinde ut simpliciter positum in lexica & phrasium libros relatum est, qua ratione peccatur frequentissime. G. ) Multae enim significationes rariores sunt apud SALLUSTIUM, quae vix videntur imitandae, ( nisi in re plane simili. G. )

\*\*\*\* ) Phrases eiusmodi sunt seligendae, quas non facile ipsi fingeremus, e. c. *otium corpori dare*, est apud PHAEDR. *praefat. libri III.* ( Sic *fab. 15. dare lusum animo.* G. ) Hanc ipse non excogitasset facile. Mea ergo interest, ut eam lexicis adscribam margini, ad vocem *otium*. In indice vero Germanico evolvi poterit vox, *sich eine Veränderung machen*, ibique addi pagina lexicis, in qua illa phrasia Latina adscripta est. ( Non satis accurate. Nam etiam *otium* dat corpori, qui domi quiescit. G. ) Eodem modo reliquae phrases elegantiores suaeque loco poterunt adscribi. Neque tamen plane praetermittendi sunt Germanismi falso suspecti. Quamvis enim illi non temere adfectandi sint, multae tamen occurrunt loquutiones Latinae, quae quum nobis ob vernaculae similitudinem haud parum suspectae videantur, in optimis tamen auctoribus reperiuntur, v. c. *magnum se facere, hilarem se facere, vastis bene sedet, pro felice aliquem adspicere.* Conferri meretur VORSTII libellus *de Latinitate falso suspecta*.

\*\*\*\* ) Talia epitheta non statim succurrunt, & tamen mirifice ornant orationem. MARIUS NIZOLIUS laudanda opera singulis substantivis epitheta CICERONIANA subiecit. v. c. ad vocem *bellum* haec notavit epitheta : *bellum acerbum, aeternum, adfectum, non confectum, commotum, confirmatum, perniciosum, exitiosum, crudele, domesticum, triste, turbulentum, durissimum, pestiferum, intestinum, iustum, denuntiatum, inductum, merum, mortiferum, nefarium, occultum, oppressum, reatum, restrictum,*

*ctum, inflammatum, deterrimum, periculosum, externum, profli- gatum, hostile.* Si ex reliquis auctoribus talia colligerentur, quantam nobis enatam videremus epithetorum segetem? ( Hic magna erit thesauri, quem instruimus, commoditas. Neque enim nuda, ut adhuc factum, ibi ponuntur omnia epitheta : sed quoties ea non simpliciter nomen suum declarant, adeoque non semper adhiberi possunt, ex contextu relationem illam & respectum indicamus, quo vera sunt : qua vel sola ratione infinitis scribentium vitiis, ineptis saepe ac ridiculis, occurri potest. G. ) Sed in usu eorum illa revocanda erunt in memoriam, quae supra *part. I. cap. 2. §. 47.* ea de re monuimus.

\*\*\*\*\* ) Hic denuo magno nobis adiumento erunt editiones optimae, in quibus plerumque textus in capita, & haec denuo in incisa sua secantur. Facile ergo phrasi Cornelianae : *petere commigrationis societatem*, poterit adscribi locus NEP. I, 1, 2. ubi primus numerus vitam imperatoris, secundus caput, tertius incisum capitis notat.

† ) In hunc censum veniunt I. *scholiastae veteres*, quos non temere praetermittendos puto, quia insignem suppeditant observationum doctissimarum copiam. Sic in CICERONEM commentati sunt ASCON. PAEDIANUS & MACROBIUS : in VIRGILIUM DONATUS & SERVIUS : in HORATIUM ACRON, PORPHYRION, aliusque *ἀνώνυμος*, cuius scholia ex codice MSC. primus extulit IAC. CRUCQUIUS. De IUVENALE etiam, TERENTIO PERSIO, ( STATIO, G. ) [ Luciano, N. ] aliisque auctoribus bene meriti sunt scholiastae quidam veteres, quos e voluisse haud poenitebit. Consulendae etiam II. adnotationes virorum doctorum, qui a renatis litteris lucem auctoribus accendere conati sunt. In his vero bonae frugis plenissimae sunt notae MURETI, MANUTHII, LIPSII, TAUBMANNI, SCALIGERI, SALMASII, CASAUBONI, GRONOVIORUM, GRAEVII, IS. VOSII, BURMANNI, IANI WOWERI, CELLARII, ( BARTHII, HEINSII, DAVISII, SCHWARZII, DRAKENBORGII, CORTII, BRUCKHUSII, FARNABII, [ CESNERI, N. ] etc. G. ) Nam qui ad solam criticam pertinent commentarii, utiles illi quidem sunt, sed huc non pertinent. Quin quum & sparsim loca quaedam veterum scriptorum vel illustrent, vel interpretentur viri docti : operae pretium facturi sunt, qui huiusmodi opera stromatica & tessellata diligenter & cum iudicio legent. Tales sunt M. ANT. MURETI *variae lectiones* : talia HADR. TURNEBI & CASP. BARTHII *adversaria* : THOM. REINESII *varia*, & quae IANUS GRUTERUS in *face critica* vel *thesauro* suo laudabili industria collegit. Hic merito addendae, quae nuper ab anno c1010ccxxxii. magno optimarum litterarum bono pro-

dierunt, MISCELLANEA OBSERVATIONES IN VETERES AUCTORES. ( Volumina X. erant cōloccxl. deinde mutatus titulus & numeri, addito nomine NOVAE. G. [ quarum Vol. V. idque ultimum prodit MDCCLI. N.]

## XV.

*Nec non adversaria.*

In adversariorum libro promiscue notari possunt, quaecumque acutiora in auctoribus classicis legimus \*). Ea enim subinde perlegendo, & qua occasione usui esse possint, meditando \*\*), facile omnia memoria infigemus.

\*) Hic exscribi velim integra auctorum loca, addito statim numero libri & capitis. Margini deinde adscribi potest titulus aliquis, ut tanto facilius possit inveniri, quod quaeritur. ( Adversaria simpliciter adornarem ad gustum meum, & quicquid tituli habere potest res annotanda, illud praeferem. Schedae separatae in alphabeti deinde ordine collocandae. Inprimis ad hanc rem parvum libellum circumferre bonum est, donec familiaria nobis sint quaedam, deinde facere alios. G.)

\*\*) E. c. si in adversariis meis invenirem acumen illud PHAEDRI: *quantae putatis esse vos dementiae, ei credere capita, cui calceandos nemo commiserat pedes?* cogitarem, qua occasione illud possim imitatione exprimere. Quum ergo PHAEDRUS loquatur de sutore inopia deperdito, qui medicinam facere coepit: fingerem ego, malum advocatum praedia conduxisse. Sic in promptu futura esset imitatio: *quantae putatis hoc esse dementiae, res & fortunas suas committere ei, cui nemo commisset infortunium.* Sed de his paullo post in capite de imitatione plura monebimus.

## XVI.

*Et denique loci communes reales.*

Denique ad res quod adtinet, seiungere ego soleo eas, quae ad disciplinas pertinent, & quae in sola eloquentia usui esse possunt. Illas ad suam quamque disciplinam \*), has in adversaria referri suaserim \*\*).

\*) Totidem puto conficienda collectanea, quot sunt disciplinae. Sed ut hic quoque compendium facias laboris, in singulis disciplinis seligendum erit compendium aliquot vel systema accuratius scriptum, illudque charta munda distinguendum: ( vel margini adscribendi numeri modo indices observationum nostrarum in peculiarem libellum relatarum. G.) Quo-

ties-

tiescumque ergo aliquid legis, quod ad hanc vel illam disciplinam pertinet, statim in compendio illo evolves locum, ubi materia ista occurrit, eoque referes locum auctoris. Sic nec titulis opus erit, nec indicibus. Nec periculum erit, ut omnia invenire possis. ( Pauca autem supererunt, si recte aliquis utatur thesauris, aliorum ope iam congestis. v. g. ad historiam hominum, urbium, etc. lexicon adhiberi potest illud historicum. Disciplinae etiam hodie habent sua lexica. De historicis & geographicis ut taceam, sunt biblica, iuridica, medica, philosophica, mathematica, mythologica, scholastica, grammatica, sanctorum, doctorum, feminarum, artium, fraudum & cuius rei non? quae omnia, tamquam in oceanum magnum, confluxere in *lexicon illud universale Zedlerianum*. Excerpta exegetica institui possunt ad Dorschei biblia numerata, in N. T. ad Wolffii *curas*. Qui pauciora, sed selecta, adnotare volunt, numeros adiciant editioni bibliorum. Litteraria vastissima dederunt Wolfius, & inprimis Fabricius. Sententias veterum philosophorum Cudworthus & Moshemius collegerunt; politica Reinhardus, etc. etc. Si qua autem sunt utilia excerpta, illa sane sunt, quibus librorum & scriptorum classes digeruntur, ut, quoties quaerendum aliquid est vel scribendum, sciamus facile, qui tale quid ante nos egerint. Et hic magnus est usus catalogorum bonorum, qui libros secundum disciplinas dispositos indicant, quorum haud dubie princeps est Bunavianus. G.)

\*\*) Huc refero exempla, similia, sententias acutiores, (silvam inventionum gratulandi, gratiarum agendarum, petendi etc. G.) aliaque huius generis, quae tamquam gemmae intexi solent orationi elegantiori. Haec in adversariis adscribi possunt eo modo, quem superiore paragrapho commendavimus. Si enim in margine addantur tituli, iique deinde in indicem referantur, facile omnia poterunt reperiri. Sed in his omnibus is prudentissime agere videtur, qui suo quemque sensu patitur abundare. ( Oratoria excerpta facerem secundum argumenta, de quibus dicendum. e. g. gratulatio, gratiarum actio, doloris significatio, natalitia, nuptiae, etc. Hanc vocant hylen inventionum. Talia multa sunt apud Morhofium & alios. Possunt etiam ad librum aliquem oratorium exempla adscribi. Hodie tamen mutatum est saeculum. Plane autem desierunt rhapsodiae illae & congesticae moles variarum rerum, male saepe cohaerentium. Itaque iacet *Weidlings oratorische Schatzkammer*, & similes libri etc. Et si cui opus est, adeat Zwingerum a Beyerlinchio compilatum. Caput est sapere, historiarum & philosophiae rudem non esse. G.)

## CAPUT II.

## DE IMITATIONE.

Quid sit imitatio?

**P**arum utilitatis adferet auctorum lectio, nisi accesserit IMITATIO. Haec vero nobis est facultas, auctoris stilum \*) eiusque ideam sine plagii suspicionem \*\*) exprimendi.

(Generatim imitando discimus omnia. Μιμητικὸν est animal homo. Infantes hac ratione incedere discunt, loqui, edere, etc. Sumimus ab aliis gestus, vultum, vocem, mores, etiam non id agentes, ne sentientes quidem. Hinc dialecti etc. Haec facultas inter prima naturae paullatim decrescit, quum non amplius opus est scilicet. Hinc linguas discere, consultum est, quam maturime. Hic autem sermo est de studiosa & consilio suscepta imitatione, non de ea, qua imitatur etiam imprudentes. G.) [De imitatione oratoria libri tres sunt IO. STURMII, Argent. 1576. 8. N.]

\*) Quum vero stilus non consistat in sola phraseologia, sed in ipso orationis habitu: facile patet, non eum imitari CICERONEM, qui phrasibus ex eius libris excerptis utitur, sed qui totum orationis CICERONIANAE characterem sollerter exprimit.

\*\*) Aliud est exscribere auctorem, aliud eundem imitari. Hinc qui integras auctorum periodos orationi suae intexit, is non imitari, sed plagium committere videtur. Qua in re plures forsitan peccarunt eruditi, quam vulgo existimatur.

## II.

Quid de ea notandum?

Ut vero totam imitandi artem recte teneamus, de duobus potissimum capitibus videtur cogitandum, videlicet quem imitari oporteat \*)? & quomodo ea imitatio prudenter sit instituenda \*\*)?

\*) Satis equidem ipsa nos sana docet ratio, exemplum, quod nobis imitandum proponimus, suis numeris absolutum esse debere. Recte enim PLIN. *epist. I, 5. Stultissimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere.* Sed quem, quaeso aucto-

ctorem dixeris optimum? Fieri potest, ut in eodem genere plures eandem laudem, sed diversissimam tamen, consequantur. Sane qui inter se contendit CICERONEM & PLINIUM, NEPOTEM & CAESAREM, LIVIUM & TACITUM, HORATIUM & IUVENALEM, utrosque fatebitur maximos, sed peculiari quadam & sua laude. Quare non adeo expeditum est, quis e tot praestantissimis auctoribus praecipue sit imitandus.

\*\*) Quemadmodum rebus in omnibus, ita & in imitatione, apprime hoc est utile, ne quid nimis. Qui neminem imitaturus suo indulget ingenio, plerumque sibi fingit dictionem quamdam insulsam atque inspidam. (In linguis omnia continentur eo, ut intelligamur; qui autem non cum aliis loquitur, sed peculiare habet dicendi genus, non potest ille non esse obscurior. G.) Contra ea fieri potest, ut nimia imitandi cura in servitute illam evadat, de qua HORATIUS:

*O imitatores, servum pecus!*

Praeclare de hoc hominum genere LIPSIUS *epist. miscell. cent. IV, 52. Ubi, inquit, sola imitatio est, & huic adhaeremus, quid fit? persona scenica; & ut quidam magnorum virorum habitum atque incessum, aut gestus imitantur, cetera & interna dispares: sic dictiunculas aut clausulas aliquas TULLII si forte referimus, ad vim & venerem eius non adspiramus.* Ita LIPSIUS, qui si tam prudenter prius istud extremum evitasset, quam hoc posterius, ad summam eloquentiae laudem potuisset pervenire. Quare & hoc operae pretium est cognoscere, qua ratione ita imitandi sint optimi auctores, ut utrumque vitemus vitium, & nec ingenio plus iusto indulgere, nec κακόζηλι: videamur.

## III.

Ad priorem quaestionem quod adinet, nec neminem imitandum puto \*), nec promiscue omnes \*\*), sed unum optimum. Optimus vero videtur, qui cuiusque ingenio ac captui quam maxime est adcommo-

Quisnam auctor imitandus?

\*) Fuerunt, qui nullum imitandum crederent. (Nempe dedita opera, & ut hoc ipsum agerent. Nam alioqui fieri non potest, ut non, quos audimus, legimus, amamus, admiramur, eorum fiamus etiam non id agendo similes. Imitando enim etiam tum discimus omnia, quum ne quidem imitationis vel consilium habemus, vel nobis sumus conscii. Et sane si plerosque, qui scribunt, interrogas, paullatim didicerunt, ut ipsi nesciant, quem imitati sint. Quidam etiam archetypū

quasi ipsi fiunt. G.) Iam olim Caesarem & Cottam eo maxime nomine admiratus est CICERO, qui in *libro II. de oratore: esse tamen multos*, inquit, *videmus, qui neminem imitentur, & suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur: quod & in vobis animadverti recte potest, Caesar & Cotta. Neque vero vester aequalis, Curio, quemquam mihi magnopere videtur imitari.* [Et esse hoc generatim maximorum ingeniorum, non imitari, scilicet studiose id agendo, & peculiarem ei rei operam impendendo, imitationeque nimia ac servili sufflamina-re quasi naturalem igneorum animorum impetum, quin illum extingui adeo, praeclare ostendit divinum illud YOUNGII ingenium in epistola illa, *coniectures on original composition, etc. Lond. 1759. 8. N.*] Enimvero tametsi facile largiar, Romanos alios in vernacula lingua sola naturae ingeniique bonitate ad perfectionem aliquam potuisse pervenire, quemadmodum id saepe etiam in aliis fieri solet, qui linguam patriam accuratius sibi excolendam existimant: hodie tamen, ex quo lingua illa exspiravit, fieri non potest, ut sine imitatione eius genium ac nativam pulchritudinem adsequamur. Unde ludibrium lectoribus debet ANG. POLITIANUS, qui in *epist. VIII, 16.* omnem imitationem explodere videtur. (Cui respondet proxima epistola CORTESIUS. Si rem bene consideres, non ita multum dissentiunt. POLITIANUS anxiam imitandi dedita opera curam reprehendit ac ridet; CORTESIUS imitationem generatim commendat, ita tamen, ut magis adscriptus glebae Ciceronis videatur. Pulchre, ut reliqua, ita hanc liticulam exposuit F. O. MENCKENIUS, vir illustris, in *vitae Politiani historia p. 194. sq.* & recte hanc summam sententiae POLITIANI posuit, ex fine epistolae laudatae p. m. 240. quae certe ludibrium debere non videtur: *Quaeso, ne superstitione ista te alliges, ut nihil deleat, quod tuum plane sit, & ut oculos a Cicerone numquam deiciat. Sed quum Ciceronem, quum bonos alios multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris, & rerum multarum cognitione pectus impleveris, ac iam componere aliquid ipse parabis: tum denuum velim, quod dicitur, sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio, sollicitudinemque illam morosam nimis & anxiam deponas effringendi tantummodo Ciceronem, tuasque denique vires universas pericliteris, etc.* His meum quaecumque suffragium adiacere, equidem nihil dubito. G.)

\*\*) Fieri non potest, quin inaequali ac sibi parum simili adsuescat dictioni, qui (primo tempore, quo formandum est iudicium, & ille quasi gustus, G.) per omnes vagatur auctores, & modo hunc, modo illum imitatur. Vix oculos prudentum ferret aedificium, in quod architectus ex mille diversissi-

mae

mae structurae palatii coniecisset, quidquid pulchrum ei esset visum (Si quidem sine iudicio id faceret, & naturales constantesque symmetriae s. commensus observationes negligeret. Ceterum laudabitur, si Zeuxin illum imitatus, conquisitis pluribus pulchritudinis exemplis, quantum liceat, in unum illud opus suum transferat. Quod quin in scribendi genere locum habeat, liceatque, ex variis ingeniis excellentissima quaeque libare, non est dubitandum. G.) Ea demum pulchra ac pudica videtur oratio, quae licet artificio varia, ubique tamen eundem servat colorem, nusquam eadem, & semper tamen sui similis. Hanc vero facultatem adsequetur nemo, qui vel neminem, vel omnes promiscue imitatur, ceu vel IUSTI LIPSII exemplo patet. (Nolim hunc ubique exemplum malorum admisceri. LIPSIUS iuvenis ad Tullianam normam scripsit non deterius quovis Ciceroniano, & oratione VI, *utrum a solo Cicerone petenda sit eloquentia?* ita disputavit, ut reprehendi non possit. Postea Tacitum est imitatus & Senecam. Totus suus est & admirabilis. Vid. ad I, 2, 16. G.)

\*\*\* ) Omnes legendos auctores, & ex iis optima quaevis in usum nostrum esse seponenda, ipsi capite superiore docuimus. Neque tamen ideo omnes promiscue sunt imitandi. Unus, isque optimus, (Cicero, G.) eligendus, cuius ad exemplum totius orationis habitum componamus. Ex reliquis phrases, acumina, res peti possunt. Merito vero eum iudicamus optimum, qui cuiusque naturae ac ingenio videtur convenientissimus. Sunt, qui naturae quodam impetu ad ubertatem & copiam feruntur: iis CICERONEM commendaverim. Sunt, quibus nihil, nisi quod adstrictum ac argutum est, placet: his PLINIUS erit imitandus. Alii simplici quodam ac casto orationis genere delectantur: hi facillime vel CAESAREM vel CORNELIUM NEPOTEM imitabuntur. Denique quibus oratio gravis & pressa est in deliciis, ii non invita Minerva TACITUM sibi imitandum proponunt. Hinc naturam cuique suam hac quoque in re esse sequendam, iam olim optime observavit QUINCTILIANUS *Instit. orat. X, 2.* Ergo primum est, ut, quod imitaturus est quisque, intelligat, & quare bonum sit, sciat, tum in suscipiendo onere consulat SUAS VIRES. Nam quaedam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet. Nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia & abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis & vim suam perdat, & elegantiam, quam cupit, non adsequatur. Nihil est enim tam indecens, quam quum mollia dura fiunt. Quis vero auctor ingenio nostro quam maxime videatur adcommodatus, facile ex eo intelligimus, si, quis maxime nobis placeat, & quem facillime

T 4

imi-

imitando exprimamus, subinde facto periculo, experiamur. Ita enim fere natura comparatum est, ut tanto magis quidque nobis placeat, quanto est ingenio ac naturae nostrae convenientius. (Cautione illa hic opus est, quam ad I, 2, 42. n. 1. commendavimus. Cavendum ab ἀνδραδείας noxa. Proclives etiam hic sumus ad vitia. Boni praeceptoris est, ad Isocratis exemplum calcaribus uti non in his, qui nimis exsultant, sed qui tardiores sunt, & contra. Qui nimis siccis delectantur, deducendi ad Ciceronem, Sallustius commendandus his, qui luxuriantur, etc. G.)

## IV.

*Imitatio vel  
puerilis est,  
vel virilis.*

Est vero imitatio vel **PUERILIS**, vel **VIRILIS** seu mascula. Illa verba ac phrases anxie & morose imitatur \*): haec ipsum auctoris ingenium ac orationis habitum cum iudicio ac libertate exprimit \*\*).

\* ) Tales sunt omnes illae imitationes, quas in scholarum trivio deprehendimus. Perlecta CICERONIS periocha, excerptis phrasibus elegantioribus, iisque in epistolam aliquam aut historiam compactis, tum demum discipuli sibi plane Ciceroniani, aut, si mavis, Ciceronianissimi videntur, quasi omnis elegantia Ciceroniana in solis phrasibus, ac non potius in ipso orationis habitu, consisteret. (Hartnaccii, Reinhardi, aliorumque libelli, ut & Muzeliana exercitia possunt forte adhiberi ad primam exercitationem & copiam vocabulorum maxime necessariorum, inprimis ubi multum soli relinqui debent homines paullo stupidiores. Potius interpretationibus mutuis hanc aetatem contineamus, quibus nihil est utilius, primum ex libro vel commentario, deinde illo posito. G.) Mireris ergo, viros quosdam ceteroquin doctissimos nimium huic puerili imitationi tribuisse, ac saepe periodos integras ex auctoribus exscripsisse. (Quot sunt ineptae praefationes ad Cornelianae modum factae! G.) Iam a SCHEFFERO in *gymnas. stil.* p. 31. est observatum, AENEAM SYLVIVM in *historia Europaea* de Hungaris ita disseruisse: *Turcas aurea & discolori veste: Hungaros ferro atque aere fulgere. Christianum agmen & stave paratum & sequi, nec turba nec sarcinis praegrave, intentum quod dux non modo signet, sed etiam innuat.* Atqui haec omnia sunt ex CURTIO, *lib. III. cap. 26.* vix verbo mutato, exscripta. Ferenda haec sunt in pueris; in maturioris iudicii viris reprehensione dignissima, maxime si non loca auctorum rebus, sed res auctorum phrasibus adcommoventur. Cuius rei praeclarum exemplum ab eodem SCHEFFERO p. 32. datum est ex EGINHARDI

*vi-*

*vita Caroli M.* qui Caroli sui descripturus staturam & corporis habitum: *formae*, inquit, *auctoritas ac dignitas, tam stanti quam sedenti, plurima inerat, cervix obesa & brevior, venterque proiecitur, valetudine prospera, praeter quod, antequam decederet, noctibus ita dormiebat, ut semnum quater aut quinque non solum expurgiscendo, sed etiam desurgendo interrumpet.* Omnia haec ex SÜETONII Claudio, Nerene, Iulio & Augusto, quemadmodum & alia, exscripta sunt. Quis vero crederet, Carolum M. illum imperatorum formam ac corporis habitum in plerisque tam accurate expressisse? sic EGINHARDUS ergo, dum inepte SÜETONII premit vestigia, multa adfrigit illi principi insulsa & παρὰ τὸ εἶναι, ut eleganter ait CASAUBONUS.

\*\* ) Virilis & mascula imitatio non verba tantum ac phrasin auctoris exprimit, sed & inveniendi, disponendive artificium, ipsumque orationis habitum, ita tamen, ut illa exscripta esse, nemo possit arguere. (Ut architectus non imitatur lapides, ligna, ferrum, sed formam, ordinem, ornatum. G.) Eleganter QUINTIL. *Instit. orat. lib. X. cap. 2. p. 928. edit. BURMANNIANAE: Imitatio autem, nam saepius idem dicam, non fit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia etiam, quae delectationi videantur data, ad vitam spectent; quid agatur proemio, quae ratio & quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in adfectibus omnis generis movendis scientia, quantaque laus ipsa popularis utilitatis gratia adsumta: quae tum est pulcherrima, quam sequitur, non quam arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur.* E. g. elegans est haec periocha LUCRETII *lib. I.*

*Nec me animi fallit, quam sint obscura, sed acri  
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,  
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem  
Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti  
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante  
Trita solo.*

Haec imitatus est VIRGILIUS, sed ita, ut nemo eum plagii suspectum habiturus sit. Ita enim canit poeta suavissimus *Georg. III.* 289. sequ.

*Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum  
Quam sit, & angustis rebus hunc addere honorem,  
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis  
Reptat amor: iuvat ire iugis, qua nulla priorum  
Castaliam melli diverterat orbita clivo.*

Similia haec VIRGILII sunt illis *Lucretianis*: ast non eadem tamen. Eandem enim rem elegantiore phrasi alioque orationis cha-

cha-

charactere expressit VIRGILIUS. Sic supra etiam hanc produximus periodum CICERONIS ex orat. pro A. Caecina, c. 1. Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret: non minus in caussa cederet A. Caecina Sexti Aebutii impudentiae, quam in vi facienda eius cessit audaciae. Eam nos ita sumus imitati: Si quantum in effringendis carceribus astutia potest, tantum ad effugiendam furcam audacia valeret: non minus iam hic fur carnifices deluderet audacia, quam liſtoribus olim illuſit astutia. Nec verba hic sunt eadem, & res diversissima. Quicumque tamen utramque periodum inter se contenderit, statim deprehendet, nostram e Ciceroniana esse expressam. Scilicet non verba & phrasin, sed ipsum orationis habitum sumus imitati, eaque imitatio iure quodam suo virilis poterit appellari.

## V.

Quid puerilis?

Ad puerilem imitationem quod adinet, ea multo facilior est. Modo enim phrases ab auctore mutuas accipimus \*) : modo sententiam quamdam aliis verbis phrasibusque exprimimus \*\*), modo eandem, additis quibusdam detractisque vocibus aut circumstantiis, reſingimus \*\*\*).

\*) Hoc imitationis genus maxime puerile est. Nihil enim artis habet usus iste phrasium. (Ita sunt quidam loci veterum paene detriti, ut oratio pro Archia, ut praefatio Nepotis. G.) Sic si quis ita loqueretur: Quum & nobilitate generis, & gloria maiorum, & tua virtute unus omnium maxime floreas: omnes non solum sperant, sed etiam confidunt, talem te aliquando futurum, qualem cognitum iudicant: facile unusquisque videt, phrases has omnes e CORNELII NEPOTIS vita Miltiad. cap. 1. esse: sed nemo tamen quidquam artis aut ingenii in hac imitatione deprehendet. (Hoc itaque genus extemporalibus modo quaestionibus tractari debet, non iustis scribendi materiis propositis. G.)

\*\*) Secundam hanc imitationis puerilis speciem iam QUINCTIL. Instit. orat. X, 5. commendavit: Sumamus sententiam, inquit, eamque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliae atque aliae formae duci solent. (Haec non tam est imitatio, quam variatio. G.) Exempli loco sit sententia illa Hectoris apud NAEVIUM: Pulchrum est laudari a laudato viro. Hanc si quis aliis verbis ita exprimeret: Laudari ab iis, qui ipsi sunt laude dignissimi, is vero fructus laudandarum actionum videtur pulcherrimus, dicerem ego, sententiam illam ex NAEVIO quidem, sed mutatis tamen verbis, esse expressam. (Ita potius imitarer:

Pul-

Pulchrum est, reprehendi ab eo, quem omnes vituperant. Sic ad imitationem istius: Concordia res parvae crescunt, discordia magnae dilabuntur, potest dici: Exprobrando offensiones parvae crescunt, benigna interpretatione magnae discutiuntur, & vim suam amittunt. G.)

\*\*\*) Haec quoque imitandi ratio puerilis est, sed paullo artificiosior. Quemadmodum enim prima species furto manifesto similis est: ita haec eorum furum aemulatur sollertiam, qui rebus furtivis signa quaedam detrahunt, aut alia nova addunt, ne tam facile possint a dominis furtum concepturis, vel quaesitoribus agnosci. E. g. supra prolixam admodum ac verbosissimam adduximus periodum ex MURETI orationibus I, 4. Eam coarctabimus facile, omissis nonnullis aut detractis, quae emnere videntur: Si eorum, quae vivunt, unumquodque perficiendi sui desiderio tenetur, animusque noster tum demum, quando ad divinum exemplar propius accedit, videtur perfectissimus: ea profecto erit omnium praestantissima facultas, quae homines Deo, quoad eius fieri potest, arctissime devincit. Eodem modo etiam amplificando reſingi possunt auctorum sententiae. Verum in utraque imitandi ratione danda est opera, ut ne sententiae elegantia ac acumen pereat. Plerumque enim tam pressae ac rotundae sunt optimorum auctorum sententiae, ut neque addi quidquam, neque detrahi possit, quin simul maxima pars pulchritudinis pereat. (Nempe videndum, in quo insit venustas, illud vel servandum vel imitandum. G.) Exemplo esto sententia, ut opinor, PUBLII SYRI: Cuius potest contingere, quod cuiquam potest. Hic sive addas quidquam, sive detrahas, plurimum acuminis ac elegantiae decedet. Unde adcurata opus est prudentis doctoris manuductione, ne adolescentes his decipiantur. (Sumamus sententiam: Omnibus evenire potest, quod uni; dubitas, quin aliis etiam possit? Hoc ita imitari aliquis posset: Nam tua res agitur --- Quis est omnium, qui non in quotidiana vita & privatis rebus ita argumentetur, & ita se instituat, ut alienis incommodis cautior studeat fieri, cogitetque, quae aliis acciderunt, ea & sibi usu venire posse? Vel ita: Quum & naturam habeamus eandem, & iisdem calamitatum opportunitatibus vita nostra sit exposita, neque quisquam ad id fastigium pervenerit, quo fortunae tela aut hominum iniuriae non possint pervenire: quid est, quod ita vivimus, quasi privilegio quodam ab his liberi simus, quae ad omnes pertinent? Potest etiam ad fortunam secundam transferri, item ad spem longe vitae. Huc etiam retulerim illud extemporalis exercitationis genus, quo directa narratio in indirectam s. obliquam mutatur, & contra. Etiam alia ratione variare licet orationem, ut eadem phrases maneant. G.)

VI.



## VI.

*In virili vel inventionem imitamur.*

*Virilis* imitatio non contenta phrasibus aut vocabulis, ipsas auctoris virtutes exprimere docet. Quum vero auctoris virtus modo in inventione, modo in dispositione, modo in eloquutione eluceat: mascula imprimis videtur imitandi ratio, qua auctoris **INVENTIONEM** adsequi contendimus \*).

\*) Inventio versatur in excogitandis argumentis. Ea vero quum in λόγος, ἡδὴ καὶ πᾶσι dividantur, nullum est argumentorum genus, in quo non imitari liceat alios. Saepe auctores nobis suppeditant I. *enthymemata* elegantissima, quae nobis in usus nostros convertere licebit. E. g. **PLINIUS** *epist. I, 10.* laudaturus Euphratem, philosophum Stoicum, quot praeclara *enthymemata* adcumulat? Ait eum esse, I. obvium & expositum, plenumque humanitatis; II. in disputando gravem, subtilem, ornatum, ac paene Platonicum; III. in sermone copiosum, varium, dulcem, ut facile repugnantes quoque ducere possit. Addit IV. multum ipsi venerationis acquirere proceritatem corporis, decoram faciem, demissum capillum, ingentem & canam barbam; V. nullum horrorem in cultu esse, multam tamen severitatem. Laudat quoque VI. vitae sanctitatem cum comitate: VII. severitatem in insectandis vitiis cum summa humanitate coniunctam. Nec VIII. liberos eius, ad veram laudem adcurate institutos, praetermittit. Vide, quot hic *enthymemata* (laxe sumit hoc nomen pro cogitationibus, G.) paucis periodis adcumulet **PLINIUS**? An iam deesse tibi possent argumenta, philosophum vel theologum aliquem praeclarum laudaturo? Equidem adfirmare non dubitarim, toti orationi encomiasticae sufficere posse haec *enthymemata*. (Nempe non eadem ubique assumi possunt, quod a stupidis interdum imitatoribus fieri solet: sed personam & argumentum nostrum intuentibus occurrunt similia. G.) Quem vero tunc deprehensurum putas, te **PLINIUM** esse imitatum? Nec minus II. *adfectus* excitandi rationem optime ostendunt auctores classici. Exemplum denuo praebebit **PLINIUS** *epist. III, 1.* qui amore studiorum inflammaturus Caninium Rufum, praetiorum eius amoenitatem collaudat, ac deinde colligit, recte iis utendum esse; non rectius vero iis usurum Caninium, quam si, omnis sordidis rei familiaris curis, in studiorum sese portum vindicet, maxime quum praedia illa post eum alium atque alium habitura dominum, gloria vero, vigiliis ac lucubrationibus par-

ta,

ta, numquam sit interitura. Quam eleganter hoc argumento *πᾶσι* uti posses, si quando cohortari aliquem volueris ad diligentiam, qui in pingui aliquo recessu, aut alio amoenore loco vivit? Denique III. etiam *mores*, quos vocant, seu ἡδὴ optime ducibus auctoribus classicis addiscimus. Ut hic quoque consulamus **PLINIUM**, *epistola eius XI. libri I.* exemplo esse poterit, quam comiter cum amicis sit expostulandum. Obiurgat Fabium Iustum de infrequentia litterarum, petit, ut vel solum illud: *Si vales, bene est, ego valeo*, scribat, hoc enim sibi fore maximum. Serio se id rogare ait, ut sciat, quid agat, quod sine sollicitudine summa nescire non possit. Tam morata epistola nobis etiam facile licebit cum amicis expostulare, si nostro usi stilo, mutata **PLINII** dictione, solum retineamus argumentum ἡδὴ. Ceterum incredibilem utilitatem eloquentiae studioso hic adferet veterum Graecorum Latinorumque scriptorum comparatio. Hi enim pleraque, quae in Graecis admiramur, imitati sunt, & ita quidem, ut aliquando superarint. Pertinet huc **SCALIGERI** *Poëticae lib. V.* ubi id exemplis innumeris ostendit, addito simul ubique iudicio, [sed nimis saepe iniquo N.] qua in re vel superarint Graecos Latini, vel iis manus dare coacti sint. Quin a *capite X.* eius libri ipsos Latinos inter se contendit eadem cura, ostenditque, saepe unum alterum in eadem sententia exprimenda vel impari passu sequutum esse, vel multis post se parasangis reliquisse. (Magnum hic usum habent F. Ursini, itemque Val. Ger. Guellii *Virgilius*, H. Stephani *Ciceronianum lexicon*, etc. G.) Adde potest **MACROBII** *commentarius in CICERONIS somnium Scipionis*, quo Ciceronem Platonis similem inventionem expressisse, praecclare ipso statim libelli initio demonstrat.

## VII.

Nonnumquam & **DISPOSITIONEM** auctoris imitamur, cum generalem totius orationis \*), tum eam, quam in singulis argumentis deprehendimus \*\*).

*Vel dispositionem.*

\*) E. g. **BUCHNERUS** *panegy. IX.* laudaturus Henricum Frisium, cancellarium Saxonum; ita orationem partitur, ut cancellarium & *genere nobilem*, & excellentem *virtute*, & magnum *peritia*, & *auctoritate* validum esse oportere, easque virtutes omnes in Frisio eminuisse, ostendat. Quilibet, in **CICERONIS** lectione paullo versatior, intelliget, Tullianam esse hanc dispositionem. Is in oratione *pro lege Manilia cap. 10.* eodem modo laudat **POMPEIUM MAGNUM**. Ait enim, summo impera-

ta-

tori quatuor res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem, eaque omnia in Pompeio summa esse.

\*\* ) Permultum enim refert, quomodo disponantur argumenta singula. Fieri id solet per syllogismos & enthymemata. Sed in his disponendis magnam oratori relictam esse libertatem, iam supra observavimus. Non melius itaque nobis consulemus, quam si ea quoque in re auctores veteres duces sequamur. Exemplum petamus ex eiusdem CICERONIS oratione cap. 15. ubi auctoritatem POMPEII hoc ordine collaudat:

I. MAIOR: *Quicumque maxima pollet auctoritate, is imperator optimus est.*

RATIO: *Homines enim ut contemnant, aut metuant, aut ode- rint, aut ament, opinione non minus famae, quam ratione, commoventur.*

II. MINOR: *Pompeius maxima pollet auctoritate.*

RATIONES:

I. *Populus Romanus praeclara de eo iudicia tulit.*

II. *Pompeius rempublicam servavit sola fama ac celebritate nominis.*

III. *Plures gentes ei se dediderunt.*

III. CONCLUSIO: *Ergo Pompeius erit imperator optimus: Hoc ordine CICERO auctoritatem Pompeii celebrat. Dabimus operam, ut eodem ordine EUGENII, Sabaudiae ducis, prudentiam bellicam laudemus.*

I. MAIOR: *Quicumque prudentissimus est, is optimus erit imperator. Et quoniam prudentia multum in bello quoque gerendo ac imperio militari valet: certe nemini dubium est, quin ea quoque mentis perspicacia idem ille dux incomparabilis plurimum possit.*

RATIO. *Plura enim saepe prudentia, quam manu, in bello geruntur. Vehementer autem pertinere ad res feliciter gerendas, quid agatur, ac quomodo unumquodque provide administraretur, quis non intelligit, quum res ipsa doceat, imperatores in profligandis hostibus, expugnandis castris, urbibusque capiendis, plura saepe consilio ac prudentia, quam ferro, effecisse?*

II. MINOR: *Eugenius, dux Sabaudiae, est prudentissimus. Quod igitur nomen umquam in universo orbe christiano ob prudentiae laudem celebrius fuit? Cuius consilia paria?*

RATIO I. *Eius prudentiam tres imperatores Romanorum probaverunt. In quo principe tres Romanorum imperatores, id quod maximum prudentiae argumentum est, tantam spem collocarant, ut eum maximis exercitibus imperiique sui fati summo cum imperio praefecerint. (Haec ratio apud Ciceronem pulchre*

chre procedit, auctoritatem enim faciunt imperatori iudicia de ipso populi: prudentiam non faciunt iudicia principum. Itaque tres auctoris rationes pro prudentia Eugenii ad duas, nempe ad usum rerum, quo comparata est, & ad res gestas, quibus comprobata est, referuntur. Iudicia imperatorum sunt testimonia rationis posterioris. G.)

II. *Prudentiam multis variisque bellis feliciter administratis sibi peperit. An vero quidquam prudentiae ei deesse posse existimatis, quem a prima adolescentia in castris versatum, in omni bellorum genere fortuna exercuit, nullamque rem, in usu militari positam, passa est ignorare?*

RATIO III. *Ubique eius eluxit prudentia. (Haec non differt satis a praecedenti. G.) Itaque ut plura non dicam, neque aliorum testimoniis iudiciisque confirmem, quantum consilio prudentiaeque valeat, ipse ille sibi testis virtutis suae sit locupletissimus, qui, quo anno Gallicano bello in Sabaudia oppositus est imperator, tam repente acutissimo hosti consilia omnia disturbavit, ut prius se fusum fugatumque, quam adventantem EUGENII exercitum animadverteret. Iam, recepta a Turcis Alba Graeca, quum res Christianorum in Hungaria in peius ire coepissent, barbarorum opes animique crevissent, satisque firmum praesidium regnum illud non haberet: amissus fuisset tot victoriarum fructus, nisi ad id ipsum eo tempore EUGENIUM tanto bello providentia LEOPOLDI obiecisset. Huius consilium ac prudentia non solum Turcas, superiori Hungariae cum maximo exercitu imminentes, retardavit, verum etiam castris operibusque clausos e latebris istis in aciem, ex hac in fugam, ac inde in praeterlabentem fluvium coniecit, tantoque terrore concussit Turcarum imperium, ut, pertaesi bellorum, pacis leges, cum summo dedecore suo coniunctas, accipere, quam EUGENII prudentissima consilia diutius experiri malent. Age vero illa res quantam declarat eiusdem ducis in administrando bello sollertiam, quod in postremo bello Gallicano callidissimos Gallorum duces alios intra ipsa moenia ac propugnacula, alios in acie caperet, reliquos plerosque, copiis quamvis superiores, ad internecionem caederet? Quot ille tum victorias reportavit? quot urbes coepit? quot fecit provincias? Quae omnia si quis eum solis armis solaque vi effecisse existimat, nae is, ex mea quidem sententia, magnopere fallitur.*

III. CONCLUSIO: *Ergo EUGENIUS est imperator optimus. Potestis ergo iam colligere, auditores, quantus dux sit EUGENIUS, quem animi robur manu fortem; armorum usus intrepidum: prudentia denique reddit invictissimum.*

Ne-

Nemo, qui nostra cum CICERONIS verbis contulerit, non similitudinem quamdam deprehendet, quum tamen praeter artificium disponendi connectendique formulas nihil admodum verbis Ciceronianis, eo loco obvis, exposuerimus.

## VIII.

Vel eloquentiam.

Denique & eloquentiam auctoris mascula quadam ac decora imitatione effingimus, quoties auctoris cuiusdam characterem \*) , acumina \*\*) , figuras \*\*\*) , ac periodos exprimere \*\*\*\*) studemus.

\*) Sic si constat, characterem dicendi auctoris esse sublimem, mihi quoque perspectam esse oportet rationem, sublimitatem illam exprimenti. Et ita etiam reliquos characteres imitandi rationem cognitam me habere oportebit. Faciam e. g. periculum, an PLINII characterem in epistola III. libri I. obvisum imitatione quadam virili exprimere liceat:

*Quid agit Lipsia, tuae meaeque deliciae? quid horti amoenissimi? quid illud nemus opacissimum? quid smaragdinus praetorum viror? quid illi suaves & tamen serii doctissimorum virorum congressus? quid theatrum anatomicum, quod plurimus aër collustrat & refrigerat? quid acroateria illa spatiosissima? quid illa domestica? quid bibliothecae publicae privataeque? Tenentne te, ac per vices ad se adhaerunt? An, ut solent iuvenes, voluptatis deceptus illecebris, crebris comissionibus indulges? Si tenent, ter quaterque: sin minus, ne beatum quidem dixerim. Quin tu, (ocasio est enim,) indignam te ingluviem aliis relinquis, & ipse te in illo digne musis recessu, honestarum artium studiis adseris. Haec sit occupatio tua, haec remissio: hic labor, haec requies: in his dies, in his item noctes transigantur. Collige aliquid & reconde, quod sit sempiternum. Nam voluptates illae, exactis paucis annis, evanescent, hoc numquam iucundissimum esse desinet, si semel coeperit. Non ignoro, quam indolem, quod horter ingenium: tu modo da operam, ut tantum utaris occasione, quantum uti voles, quum non amplius uteris. Vale.*

Nemo hic PLINII non agnoscet stilum. Eadem est inventio, eadem epistolae dispositio, eadem dicendi forma pressa & acuta, & tamen vix verba quaedam PLINIO debeo. Tentabimus porro, an eadem ratione etiam CURTII stilum exprimere possimus. Describit ille lib. III. c. 5. milites, de Alexandro aegrotante sollicitos. Nos SUEVICOS, GUSTAVI ADOLPHI regis ca-

sum

sum lugentes, characterem Curtiano describemus:

*Ingens lucus ac paene iam desperatio exercitum invaserat. Fletus querebantur, in tam praecipiti victoriarum cursu omnis memoriae fortissimum regem non in acie, non ab hoste, prostratum, sed scelere ac insidiis extinctum, cecidisse. Imminere Austriacos, triumphaturos, antequam conseruissent manus. Sibi per easdem terras, quas victoriis illustrassent, fuga dilabendum. Omnia sibi tuta verenda, qui ne periculosissima quidem reformidarint. Tantum iter, etiamsi nemo impedit, confecturis fame ac lassitudine pereundum. Quem cum imperio praefuturum trepidis? quem GUSTAVO futurum similem? Iam ut mare Balticum fuga attingerent, classem, qua transeant, quem praebiturum?*

Hic quoque aliae phrases, alia materia, character tamen ac stilus idem est.

\*\*) Quoties ergo occurrit acumen aliquod ingeniosius, dispiciendum, qua occasione illud locum invenire possit. Nec hi tamen plagium, sed imitationem requirimus. Non eidem semper rei, sed alii, acutum illud dictum adcommodandum est. E. g. lepide MARTIAL. epigr. II. 8. canit:

*Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit,  
Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?*

Eodem vero exemplo dicere possem: *Quis, quaeso, maior umquam furor poterit excogitari, quam Euclionum, qui, ne esuriant aliquando, per omnem vitam esuriunt? (Vel: Militatum abit studiosus iuvenis, disciplinae impatiens: nonne furiosum est, ut libertatem adipiscare, abire in verissimam servitutem. Dictum Ciceronis de liberalitate, Offic. II, 15. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? applicari potest ad voluptates vel corporis, vel ex studiis literarum immoderatis. G.)*

\*\*\* ) E. g. elegans in primis est illa figura CICERONIS Philipp. XII, 3. *Quid enim per deos immortales potest reipublicae prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura? obfutura? quid si iam nocuit? Eam ita exprimere licet alia occasione: Putatisne, ei pecuniam ad bellum tantum conficiendum superesse? superesse dico? quid si etiam defutura sit? defutura? quid si iam summa labore inopia? (Vel: Quidnam, quaeso, utilitatis adferre tibi potest illud consortium? utilitatis? quid si damnum etiam adferet? adferet? quin iam attulit? G.) Eadem ratione & alias figuras elegantiores licebit imitando exprimere.*

\*\*\*\*) Saepe ita comparata est periodus, ut habeat aliquid admirandum. Tunc vero imitationem merebitur. Exemplum

V

iam

iam adfuit supra, quum primam periodum CICERONIS ex oratione pro A. Caecina imitaremur.

## IX.

Unde opus est  
analysisi & genesi.

Haecenus, quis imitandus sit, quot modis id fieri possit, & quid in puerili aequae ac masculina imitatione in exemplum proponi debeat, paullo adcuratius investigavimus. Proximum est, ut qua arte masculina illa imitatio constet, doceamus. Hic vero duo notanda sunt imitationis capita, quorum alterum ANALYSIN, alterum GENESIN adpellamus \*).

\*) Quicumque alicuius rei (v. c. horologii, aut machinae cuiuscumque, G.) formam ac materiam imitandam sibi proponit, is primo omnium rem interius contemplari, & singulas eius partes earumque dispositionem adcuratius expendere: ac deinde de illis eodem modo effingendis connectendisque debet cogitare. Prius per ANALYSIN, posterius per GENESIN fieri solet. Est ergo nobis ANALYSIS artificiosa periodicae cuiusdam in partes suas solutio, eo consilio suscepta, ut, quid in singulis artificii lateat, perspicui possit. GENESIS vero est artificiosa materiae cuiusdam secundum easdem partes dispositio, ita comparata, ut idem artificium in singulis partibus eluceat.

## X.

In analysisi  
quid considerandum?

Ad ANALYSIN quod adinet, primo periodos, quas masculina ratione imitandas existimamus, logice in membra sua partimur \*), deinde de phrasibus ac vocabulis iudicamus \*\*), ac denique, qua arte singulae partes inter se connexae ac veluti coagmentatae sint, expendimus \*\*\*).

\*) Primo ergo opus est ANALYSE LOGICA. Ea quo modo instituenda sit, iam ex philosophia rationali constare debet. Nos ergo rem exemplo illustrabimus. MURETI Part. I. orat. 22. ita ait:

*Si pro cuius quisque propugnatione ac defensione plura pericula subiit, plus exceptit acerbitatum, pluribus quasi procellis ac tempestatibus agitur, eo plus gaudii ex iis, quae ad retinendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum pervenire credendum est: dubitare non potes, beatissime pater, quin Carolus rex, te pontifice creato, tanto ceteros*

re-

*reges eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudine superaverit, quanto non huius modo memoriae, sed omnium aetatum ac saeculorum reges gravi ac diuturna susceptorum pro sedis apostolicae auctoritate laborum ac discriminum perpe-ssione superavit.*

Iam si uberrimam hanc ac incomparabilem periodum imitandam ducerem: primo omnium cogitandum esset de *analysisi logica*, quam ita instituerem. Tota periodus perfectum continet syllogismum:

MAIOR: *Quicumque pro altero plus periculi ac laborum subiit, is maxime de eius dignitate laetatur.*

MINOR: *Carolus rex pro pontifice plus periculi ac laborum subiit, quam alii.*

CONCLUSIO: *Ergo de dignitate pontificis maxime laetatur.* Accedat alia periodus ex PLIN. paneg. c. 1.

*Bene ac sapienter, P. C. maiores instituerunt, ut rerum agenda- rum, ita dicendi initium a precationibus capere, quod nihil rite, nihilque providenter, sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicerentur.*

Occurrit hic initio

I. THESIS: *Dicendi auspiciam more maiorum a precibus faciendum.*

II. AETIOLOGIA.

1) *Est enim id a maioribus bene ac sapienter institutum.*

2) *Etiam aliae actiones omnes a precibus imbecundae.*

3) *Nihil rite & providenter sine deorum ope geritur.*

\*\*) Accedere deinde debet IUDICIUM DE PHRASI- BUS. Considerandum enim, quid in stilo & dictione auctoris praeclarum ac admiratione dignum videatur. Sic in MURETI periodo observo, 1) auctorem saepe coniunxisse per *μερισμῶν* eiusmodi vocabula, quae paene eiusdem significationis videntur, nec tamen sunt. Nam hoc modo coniungit *propugnationem ac defensionem*, quarum haec etiam scriptis & verbis; illa armis tantum suscipitur. Ita etiam ipsam defensionem ita describit, ut gradatim adsurgat a *periculis* ad *acerbitates*, ab his ad *procellas* ac *tempestates*. In secundo periodi membro eadem ratione coniungit *retinere & amplificare dignitatem*, ut ostenderet, Carolum non solum id dedisse operae, ut ne pontificis conditio deterior redderetur, verum etiam, ut melior esset. In tertio membro, adiectivo in substantivum mutato, amplificat orationem. Nam pro magno gaudio percepto ait: *eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudo*. In postremo membro denuo coniungit huius memoriae & omnium aetatum ac saeculorum reges, nec non labores & discrimina. Et haec quidem in illa MURETI

periodo ad iudicium de phrasibus pertinere videntur. Quod ad PLINII adinet periodum, is quoque coniungit eiusmodi vocabula: *veluti bene ac sapienter rite & providenter, deorum opem, consilium, honorem.* Observanda quoque synonyma phrasium: *initium ab aliqua re capere, & auspiciari.*

\*\*\* ) Sic satis patet, MURETUM periodi suae membra coniungere per particulas & formulas: I. *si quod quisque.* II. *eo plus.* III. *dubitare non potes, quin tanto.* IV. *quanto.* In PLINII periodo connexio est simplicissima. Rationem enim postponit thesi, eique illam connectit per particulam causalem quod.

## XI.

*Quid in gene-  
si?*

ANALYSIN sequitur GENESIS. Perspecta enim interiore periochae alicuius pulchritudine, danda est opera, ut thema quoddam eodem ordine disponamus \*) , eiusdemque generis phrasibus \*\*) , ac connexionibus \*\*\* ) utamur. Sic enim fiet, ut ovum ovo non similius videatur, quam stilus noster stilo auctoris \*\*\*\*).

\*) Exemplis res erit clarior. MURETI periodum supra in syllogismum solvimus. Sumemus ergo plane aliam materiam, eamque eadem ratione disponemus. Thesis nostra erit: *Nobiles iuvenes prudentiae civilis cognitio decet.* Syllogismus inde nascetur talis:

MAIOR: *Quidquid in reipublicae administratione maximi momenti est: illud diligenter excolendum est a nobili iuvene.*

MINOR: *Prudentia civilis in reipublicae administratione maximi momenti est.*

CONCLUSIO: *Est ergo a nobili iuvene diligenter excolenda.*

Ita & PLINII periodum thesi & rationibus constare diximus. Eodem exemplo nos ponemus

THESIN: *Physices initium ab experientia capiendum.*

AETIOLOGIA:

I. *Hoc enim viri sapientes monuerunt.*

II. *Omnium artium auspiciam ab experientia fieri debet.*

III. *Nihil solide addiscitur sine experientia.*

Has dispositiones, quamvis ad aliam materiam adcommodatas, superioribus illis simillimas esse, nemo non videt.

\*\*) Quicquid in phraseologia auctoris praeclarum atque admirabile visum est, illud imitatione est, exprimendum. Sic quum MURETI aequae ac PLINII artificium in eo potissimum consistat, ut voces idem paene significantes coniungant, ut phrases synonymas usurpent, ut denique adiectivum in substan-

ti-

tivum commutent: danda erit opera, ut & nos haec omnia imitemur. E. g. distinguit MURETUS *defensionem* ac *propugnationem*: nos in nostro exemplo eodem modo scientiae *intelligentiam* & *usum* se iungemus. MURETUS per gradus a *periculis* ad *acerbitates*, & ab his ad *tempestates* & *procellas* adsurgit. Nos eadem ratione a *doctrina* ad *prudentiam*, ab hac ad *exercitationem* vel *exsequutionem* consiliorum progrediemur. MURETUS iungit dignitatem *retinendam* atque *amplificandam*: nos eodem modo politicam & *imbibendam* & *excolendam* esse dicemus. Et sic facile reliqua etiam imitari licebit, ceu paullo post ipsa exempla satis ostendent.

\*\*\* ) In connexione imitanda cum ad ordinem membrorum, tum ad formulas connectendi respiciendum est. E. g. quum supra MURETI periodum in syllogismum redegerimus: facile animadvertemus, subiectum maioris propositionis primum; praedicatum eiusdem secundum; conclusionem tertium; & adsumtum denique quartum membrum constituere. Idem ergo ordo nobis quoque imitandus est. Sic PLINII periodo quum primo rationem primam & secundam, deinde ipsam thesin, ac postremo tertiam rationem positam observemus: nobis quoque ab eo ordine haud discedendum erit. Particulae vero & formulae connectendi poterunt retineri.

\*\*\*\* ) Ne iacantius hoc dictum existimes, subiungemus exemplorum nostrorum *ἐξεργῶν*. MURETI itaque periodum ita imitabimur:

*Si e cuius quisque scientiae intelligentia atque usu plus doctrinae sperat, plus sibi comparat prudentiae, pluribus denique ad res gerendas praesidiis instruitur, eo plus industriae ad illam addiscendam excolendamque generosos adolescentes adlaturos, credendum est: dubitari profecto non potest, auditores, quin degustatis prius cultioribus litteris, prudentiam civilem tanto alacrius, quam reliquas artes, sint imbituri, quanto non inferioribus modo, sed omnibus omnino artibus ac scientiis, eximia quadam ac mirifica percipiendae ex ea utilitatis ubertate ac magnitudine antecellit.*

Sic & PLINII exemplo, hanc effingemus periodum:

*Bene ac prudenter, si quid aliud philosophi praeceperunt, ut artium addiscendarum, ita naturam contemplandi initium ab experientia esse capiendum, quod numquam adcurate, numquam solide homines sine sensuum suorum perceptione, testimoniis, iudicio philosopharentur.*

## XII.

*Observationes quaedam aliae de imitatione.*

Et hoc quidem est totum illud imitandi artificium, quod pauci adcurate tenent. Illud addo, neminem mo- veri debere rei difficultate. Quamvis enim ea imitan- di ratio initio paullo operosior videatur: diuturna ta- men exercitatione †) eam sensim adsequemur imitan- di facultatem, ut non tam imitari, quam omnia ex ingenii penu depromere videamur.

†) Sumi potest hic DU CYGNE *analysis rhet. orationum Ci- ceronis. G.)*

## CAPUT III.

## DE VARIIS STILI EXERCITIIS.

## I.

*Exercitatio- num necessi- tas.*

AD metam iam denique pervenimus, nec quidquam videtur reliquum, quam ut de exercitiis quoque stili \*) aliquid moneamus. Verum ea in re licebit nobis esse brevioribus, quam, post alios \*\*) ex instituto il- lam exsequuti sint CASP. SAGITTARIUS & IO. SCHEFFERUS \*\*\*).

\*) Omnes, qui de cultiore stilo praecepta quaedam dede- runt, praeter *φύσιν & μάθησιν* etiam *ἀσκήσιν* sive *exercitationem* commendarunt. Et recte quidem, quia, teste illa rerum ma- gistra, nulla lingua sine usu adcurate addiscitur. Quum vero consuetudinem cum Latine loquentibus interceperit nobis lin- guae huius interitus, scriptione haec iactura utcumque pen- sanda est. *Stilus* enim, teste CICERONE, *optimus dicendi ma- gister est.* Et THEON rhetor, a THOMA GALE editus in *prae- fatione opusculi* sui: *Quemadmodum, inquit, picturae studiosis nihil profuerit, cognovisse Apellis, Protogenis & Antiphili tabu- las, nisi & ipsi pingere tentarint: ita & eloquentiae operam datu- ris neque copia sensuum, neque puritas sermonis, neque composi- tionis concinnitas, neque audivisse praeclara, nihil denique horum omnium, quae rhetorica complectitur, utile esse poterit, nisi quis- que & ipse quotidie scribendo sese exerceat.* (De exercitationis nec-

ces-

cessitate illud unum tenendum, multo facilius esse, per so- lam exercitationem discere scribere, quam ex solis praeceptis. Ne grammaticae quidem scribere ex solis praeceptis, nedum or- nate, discas. Serius multo inventa sunt praecepta, quum olim essent, qui recte scriberent. G.)

\*\*) Iam QUINCTIL. *instit. orat. X, 3.* nonnulla de scri- bendi exercitiis praecepit, quem deinde plures sequuti sunt, veluti MANUT. *epist. I, 4.* STURMIUS, MORHOVIUS *Polyb. tom. I, lib. II. cap. 13.* & alii.

\*\*\*) CASP. SAGITTARIUS *de lectione ac imitatione Ciceronis,* & IO. SCHEFFERUS *de stilo cap. 13. 14.* & ex instituto in *gym- nasio stili, seu de varia scribendi exercitatione*, ex quo nonnul- la hic decerpere iuvabit.

## II.

Tironibus auspicandum erit a VERSIONE, quip- pe omnium facillima. Sed quum in scholis plerumque e vernacula aliquid in Latinam linguam transferen- dum proponatur: consultius videtur, e Latinis mul- ta vertere Germanice (& Hispanice.) eaque interie- cto tempore denuo Latina reddere \*).

*Commendatur ergo versio.*

\*) Versiones Latinae cum fructu non adeo magno coniun- ctae videntur, si tironibus imperentur. Quum enim nondum gustu quodam Latinae elegantiae imbuti sint, fieri non potest, quin Latinitas, hac exercitatione comparata, Germanismos & Hispanismos redoleat. Ast si saepe auctorum veterum loca in vernaculam transferantur: facilius observabitur utriusque linguae differentia. Cavere tum discent tirones Germanicos idiotismos & Hispanicos, ordinem verborum Germanicum & Hispani- cos, & quidquid in lingua nostra a Latinae proprietatibus ab- horret. Ego sane adolescentem me memini magnam CURTII & NEPOTIS partem in vernaculam transferre, notatis ubique utrius- que linguae differentiis, ex quo labore quantum fructum ce- perim, non sine voluptate quadam recordor. (Versio apud tirones praemitti debet, quae singula verba ordine simpli- citer exprimat; deinde statim subiicienda, mascula quaedam interpretatio, sententiae auctoris & linguae nostrae rationibus accommodata. Procedente tempore illa prior puerilis ratio paul- latim parcius proponenda, & obscurioribus tantum locis ad- hibenda: ubi vires accesserint, omittenda penitus. Eo etiam adsuefaciendi adolescentes, ut intentis in Latinum exemplum oculis statim Germanica & Hispanica recitare possint, etc. Nondum vero exstant multae versiones, quae commendari pos- sent.

sint. Germanorum pleraque nimis sunt pueriles, Gallorum autem nimis laxae. Interim sunt caussa gustus: hinc ex illis quivis potest esse magister linguae: cultura gentis hinc. Nam genium tamen & gustum quemdam antiquitatis hinc referunt. Non autem putandum est, rem esse tam parvi momenti; quae summa saepe ingenia exercuit. Negotium hoc academiarum. Magna inde laus maiorum nostrorum, qui saeculo XVI ineunte plerosque scriptorum antiquorum, historicos inprimis, transtulerunt in suam linguam. G.) [Idem plane de hispanicis versionibus dicendum, si duae tamen excipiantur Cornelii Taciti, & ex aliis una Sallustii: ad Taciti quod adinet Balthasar. de Alamos fidelissima est versio; Colomae non fidelis modo, sed etiam quae tamquam perfectum hispanicae linguae exemplar proponi possit. Prodiit autem Sallustii elegantissima versio an. 1772 Matrili ap. Ioachim Ibarra, in qua sive typorum magnificentiam, sive operis perfectionem, sive sublimitatem interpretis perspicias; omnia te lector, cum admiratione delectabunt.]

## III.

Variatio.

Versionibus eiusmodi aliquamdiu adsueta, VARIATIONIBUS †) suam exercentur industriam, operamque dabunt, ut sententiam aliquam aliis casibus \*) , verbis, phrasibus \*\*) , figuris \*\*\*) permutent.

†) Variationes ad copiam faciunt, & inprimis loquendi facultatem promouent, ne cum deformitate quadam revocanda sit oratio aliter instituta, quam deinde commodum videtur. G.)

\*) Huius variationis per casus iam supra Part. I. cap. 1. §. 22. fecimus mentionem. Iam exemplo multiplicem illam variandi rationem illustrabimus. Sit nobis sententia: *Omnes homines sunt ab otio proclives ad libidinem.* Iam in casu secundo dicere licebit: *Est ea hominum omnino omnium indoles, ut ab otio ad voluptatem ac libidinem sint proclives.* In casu tertio: *Commune id omnibus hominibus vitium est, ut ab otio ad libidinem ruant.* In casu quarto: *Omnes homines otii dulcedo ad libidinem solet invitare.* In casu sexto: *Hominibus otio ac desidia veluti sepulchris, sepulchrae animo libidines veluti reviviscunt.* (Potest etiam in verbis variatio locum habere. Dictum Terentianum: *Obsequium amicos, veritas odium parit*, per indicativum modum ita potest efferi: *Obsequitur aliquis, amicos habebit; verum dicit, parata odia.* Per imperativum: *Obsequere, & amabilis habebere; dic verum, odio te persequentur amici.* Per coniunctivum: *Si obsequaris hominibus, amicos habebis; lassisse dicent, si verum dixeris.* Per infinitivum: *Obsequi omnibus qui volet, amicos habebit; qui verum diceret, inimici ei non deerunt.* G.)

\*\*) Quae-

\*\*) Quærenda ergo erunt vocabula eiusdem notionis, quae synonyma vocare solent philosophi. Veluti in superiore exemplo: *Ita natura comparata est omnium mortalium, ut, laborem defugientes, in libidinem, id est, e Charybdi in Scyllam incidant.* *Omni omnino hominum indoles ab otio proclivis est ad libidinem.* *Non temere quisquam labores defugit, quin libidinem tanto acrius concupiscat, et.* [Sed hic simul etiam monendi sunt, qui ita exercentur, hoc variationis genus non simpliciter commendari posse. Ultra sententias, & propositiones parvas usum illius extendendum, equidem non censuerim. Certe in bonis scriptoribus non bene procedet. Nam, qui accurate & pulchre scribunt, sollicitè eligunt verba, ut vix, nisi deteriora, in illorum possint locum substitui. Dictionem Ciceronis, Caesaris, & ut quisque illis est proximus, aliis verbis efferre, quod suos facere iubent nonnulli, est, ut mihi quidem videtur, corrumpere illorum elegantiam & venustatem. Taceo de illo, synonyma veri nominis esse rarissima. Crassus apud Cic. de orat. I. 34. se hanc viam, fatetur, ingressum, sed deinde ut periculosam reliquisset, quoniam melius quid invenire difficile fuisset. Ita Sturmium quoque iudicasse, patet ex I. libro de imitatione oratoria c. II. ubi: *Paraphrasibus, inquit, bonorum orationes in eadem lingua explicanda dilatare, aut aliis verbis commutare, non laudo: quicquid enim substituitur, fiet deterius.* *Nam boni oratoris est, & fuit illis aetatibus omnium oratorum, ita scribere: ut nihil additum, aut abstractum, aut transpositum potuisset effectum opus facere melius.* In nostris, in brevibus sententiis, hoc exercitium potest esse utilissimum; sed boni auctoris locos integros ita tractare, foret, illis vim adferre & iniuriam, sibi autem obesse. N.]

\*\*\*) Variatio per figuras non minus est elegans, & mirifice exercet ingenium. Sic ASYNDETON erit: *Omnes homines ab otio ad luxuriam, libidinem, lasciviam praecipiti cursu ruunt.* ANAPHORA: *nihil est hominibus otiosius ad luxuriam, nihil ad lasciviam, nihil ad libidinem ac voluptatem proclivius.* CLIMAX: *Ea hominum paene omnium est indoles, ut ab otio in luxuriam, ab hac in lasciviam, atque ab ea denique in foedissimas libidines non gradu, sed praecipiti cursu, ferantur.* Sic facile per alias figuras institui poterit variatio. Sane mirifice hoc & ingenium acuit & iudicium, si prudentis magistri accedat institutio. Neque enim haec exercitatio committenda est iis, qui nondum acre lavantur.

## IV.

Non praeter rem etiam a SCHEFFERO, MORHOFIO & aliis commendatur CARMINIS SOLUTIO \*) , Carminis solutio. quip-

quippe qua ipsi veteres non sine fructu usi sunt \*\*). Est autem illa elegans versuum, neglecta mensura & dictione poetica, in prosam mutatio \*\*\*).

\*) Commendari haec vel eo nomine meretur, quod inde facillime addisci potest stili poetici ac prosaici differentia. (Vid. III, 1, 8. & CIC. *de orat.* I, 34. G.)

\*\*\*) Iam olim eo exercitationis genere usos esse SULPITIUM & AUGUSTINUM, docet SAGITTARIUS *de lectione & imitatione Ciceronis*, num. CXVIII. Solebant vero veteres non solum loca poetarum notabiliora mensura ac dictione poetica solvere, verum etiam oratorum dicta in poemata sua transferre. Ut exemplo rem illustremus, CICERO in *orat. pro C. Rabirio*: *Nihil me, inquit, clamor iste commovet: sed consolatur, quum indicet, esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Numquam, mihi credite, populus Romanus hic, qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.* Posteriorem partem in poema suum transtulit SILIUS ITALICUS VII, 219:

*Fervida si nobis corda, abruptumque putassent*

*Ingenium patres, & si clamoribus, inquit,*

*Turbari facilem mentem: non ultima rerum*

*Et deplorati mandassent Martis habenas.*

Sic & ipse CICERO nonnumquam loca poetarum metro soluta in orationibus suis expressit. Exempli gratia, EURIPIDES in *Hippolyto* de mulieribus libidinis ita canit:

*Ουδε σκότον φρίσσει τὸν ξυνοργάνην,*

*Τ' ἐρεμνά τ' οἴων, μή ποτε φθογῆν ἀφῆ,*

*Neque tenebras noctis perhorrent consciae,*

*Neque, ipsa ne quando eiiciat vocem, domus.*

Haec ita soluta oratione expressit CICERO *pro Coelio*: *Ex hac igitur domo progressa ista mulier, de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eiiciat? non parietes conscias? non noctem illam funestam ac luctuosam perhorrescet?*

\*\*\*) Exempla complura peti possunt ex NICOD. FRISCHLINI *paraphrasibus*. Vir enim iste doctissimus VIRGILIUM, HORATII *epistolas*, & PERSI *satyras* in prosam ingeniose convertit, quod in HORATIO & IUVENALE etiam tentavit EILH. LUBINUS in *periphrasi Horatii & ecphrasi Iuvenalis*. (*Paraphrasae Delphimianae* nullius fere sunt pretii; ubi maxime opus erat destituant nos, eadem autem obscuriora, aut falsa adeo ponunt. G.)

## V.

Coarctatio.

Ad formam stili mutandam praecipue pertinet COARCTATIO, quae est *pressa atque adstricta eorum,*

*rum, quae cum ambitu ab auctore dicta sunt, expositio \*)*.

\*) Non hic intelligimus coarctationem illam, qua tota auctorum opera diffusissima in epitomen contrahuntur, (ut Livii epitome exstat tota, & nova Iensii, ut Iustinus Trogi historiam contraxit, cuius insuper prologi seu breviarum ostendunt, omissa multa a Iustino penitus, ut Xiphilinus Dionis est epitomator, G.) sed qua stili uberior in pressum atque adstrictiorem convertitur. Facile enim ab iis, qui in potestate habent Latinam eloquentiam, stili Asiaticus in Rhodium, immo & Atticum poterit commutari. E. g. CICERO *Verrin. IV. Nego*, inquit, *in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argentum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse; nego, ullam gemmam aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro & ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum; nego, ullam picturam neque in tabulis neque textilem fuisse, quin quaesiverit, inspexerit, quod placitum sit*, (verba haec: *quod placitum sit*, omitti in coarctatione non debent, & male omisit Auctor, G.) *abstulerit*. Uberrima haec est, ac plane Asiatica periodus. Eam tamen facile ita coarctabimus: *Nego, in universa Sicilia, locuplete ac populosa provincia, ullum vas rari operis fuisse; nego, ullam fuisse gemmam, aut quidquam ex auro, ebore, aere vel marmore ingeniosius confectum; nego, picturam vel telam egregiam fuisse, quin quaesiverit, inspexerit, abstulerit*. Vel brevius: *Nego, in Sicilia (at quanta provincia!) ullum vas rari operis, aut quidquam vel materia pretiosum vel artificiosius elaboratum fuisse, quod non a Verre quaesitum, inspectum, ablatumque fuerit*. (Omissis nempe his, quae non simpliciter necessaria sunt. Exempla plura supra vidimus I, 2, 38. sq. G.)

## VI.

Ex quo simul patet, quale sit quintum exercitationis genus, quod AMPLIFICATIONEM †) vocant. Eadem enim arte etiam ea, quae pressius ab auctore dicta sunt, per *μερισμὸν* \*), circumstantias \*\*), descriptiones \*\*\*), aliosque amplificandi fontes \*\*\*), dilatamus. Cave tamen, ita amplifices, ut periodus in *ταύτῳ* evadat, quam quippe in vitio poni, iam supra observavimus.

†) (De qua supra I, 3, 4. Fontes autem amplificationum indicati sunt I, 2, 51. Nobile exemplum, unde & amplificatio & coarctatio observari possit, vid. apud SCHEFFERUM in *gymnas. stili* p. 65. sq. G.)

\*) Di-

Amplificatio.



\*) Dicere e. g. CICERO *diu. in Verr. I, 12*: volebat: *Putasne, te posse, quae Verres ubique patrarit, distincta oratione proferre?* Hoc amplificaturus, primo illud *ubique* per *μεισιμὸν παντοῦ*, enumeratis provinciis & locis, quae Verres sceleribus polluerat, deinde illud *distincte* per descriptionem illustrat, adeoque inde nascitur haec periodus uberrima: *Putasne, te posse, quae G. Verres in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Asia, Pamphiliisque patrarit, ea, quemadmodum locis temporibusque patrata sint, sic criminibus & oratione distinguere?*

\*\*) Eadem oratione insequente statim periodo CICERO dicere volebat: *Putasne, te posse id officere, ut, quae praeter fas fecit, iudicibus satis acerba ac indigna videantur?* Haec quoque amplificaturus, primo addit circumstantiam *cur?* esse enim *id maxime necessarium*; deinde addit descriptionem eorum, quae contra fas & aequum fecerit Verres, eoque *libidinem, nefas, crudelitatem* refert. Denique sequitur circumstantia *quomodo?* tam acerba enim haec facinora iudici videri debere ait, quam iis, qui illa passi sint. Unde haec enascitur periodus: *Putasne, te posse id, quod in eiusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut, quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea aequae acerba & indigna videantur esse iis, qui audient, ac illis visa sunt, qui senserunt?*

\*\*\* ) Sic quum CICERO *pro Roscio Amer. cap. 13*, dicere potuisset: *Etenim, si vultu saepe laeditur pietas: quod supplicium satis acre in parricidam reperietur?* utrumque membrum periodi amplificat descriptione. In priore membro verba illa ait esse proverbium, a viris sapientibus repertum. In posteriore parricidam luculenter describit. Unde enascitur periodus: *Etenim, si, id quod praeclare a sapientibus dicitur, vultu saepe laeditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postulari, iura divina atque humana cogebant?*

\*\*\*\* ) Neque enim ullus est locus dialecticus, nulla circumstantia, nulla figura, unde non amplificatio quaedam peti possit. Ex instituto ea de re agit VAL. THILO *in rudim. rhet. de period. amplificat. & connex. part. II. cap. 3. sequ. p. 72. sequ.*

## VII.

Sextum exercitationis genus CHARACTEREM dicunt. Sunt vero characteres *imagines quaedam animorum, per externas notas expressae designataeque* \*). Quum vero sine insigni philosophiae moralis notitia

(si-

(sive ex libris illa, sive ex ipso vitae usu hausta sit, G.) character animi exprimi nulla ratione possit \*\*): ab iis demum suscipienda est haec exercitatio, qui in hac philosophiae parte sunt versatissimi.

\*) Cave ergo, existimes, *characteres* esse mera elogia. Quare, etsi VELLEIUS PATERCULUS in describendis hominum ingeniis videatur felicissimus: in eo tamen peccasse videtur nitidissimus scriptor, quod vix quemquam sine elogio praetermisit. (Nempe voluit hanc partem ingeniorum pingere, ut ille pictor integram partem in vultu Antigoni. G.) Pictorum reprehenditur adulatio, qui vix pingere se quemquam posse putant, nisi pulchriorem fingant. Quanto magis notandi, qui non describunt, sed laudant, & tamen veram imaginem vel characterem nobis ob oculos posuisse videri volunt?

\*\*) Hinc cum fructu hic conferri possunt, quicumque in excolenda ethica characteristica exercuerunt ingenium, veluti (ARISTOTELES, qui genera morum notavit in rhetoricis; singulorum autem mores, G.) THEOPHRASTUS in *characteribus morum*, (BARCLAIUS in *icone animorum*, BELLEGARDE, G.) DE LA BRUYERE; CL. PASCALIS in *characteribus*, [SHAFTSEURY in praeclearo libro *characteristics*, N.] & si qui sunt huius generis alii; quo referendi quoque sunt libri, qui titulum habent *Portraits*. G.) Ut vero, qui sit character, eo luculentius pateat, exemplum dabimus e PETRONII *satyrico, cap. 117. p. 542. edit.* praestantiss. BURMANN. qui characterem ostentatoris, (quin senis divitis morti vicini, G.) hac elegante notatione expressit: *Secundum hanc formulam imperamus Eumolpo, ut plurimum tussiat, ut sit modo solutioris stomachi, cibosque omnes palam damnet; loquatur aurum & argentum, fundosque mendaces, & perpetuam terrarum fertilitatem. Sedeat praeterea quotidie ad rationes tabulasque testamenti, omnibus fidem renovet; & ne quid scenae deesset, quotiescumque aliquem nostrum vocare tentasset, alium pro alio vocaret, ut facile adpareret, dominum etiam eorum meminisse, qui praesentes non essent.* En hic ostentatoris effigiem, tam profecto adcuratam, ut tibi eum videre coram videaris. Talia etiam circa alia vitia hominum tentanda sunt, sed ita, ut semper philosophiae moralis principia adhibeamus in consilium. (Sic delicati divitis characterem dedit SENECA *de brevitate vitae* cap. 12. Ostentatoris divitiarum pauperis AVCT. AD HERENN. 4. c. 50. etc. [Ebriosi RUTIL. LUPUS *de figuris sententiarum* lib. II. §. 7. Timidi SYNESIUS *epist. CIV.* Delicati DIO CHRYSOST. *orat. de regno*. Gulosi IO. CHRYS. *Hom. XXXVIII. in acta apostolorum*. N.] Hic etiam regnant comici, Lucianus,

nus, poëtae cum satyrici, tum alii, praesertim Ovidius. Ita describitur character amantis *Am. II*; 4. Zelotypi *Am. II*, 7. Meretricis avarae *Am. I*, 8. Adulatoris *Art. II*, 198. Irati *Art. III*, 501. Amatoris irati *Art. III*, 567. Dubitantis *Am. II*, 10, 7. *Ἀυτοχρηστῶν* meditantis *Rem. 591*. Inprimis historici, ut quisque maxime pragmaticus est, in memorabilium personarum characteribus experimentis sunt diligentes; e. g. Thuanus, ubi mortes enarrat, hinc Tessierii *elogia*. Sic Livius fecerat, sic Tacitus; sic Suetonius. De Velleio iam dictum, unde *Velleianos characteres* dedit Boeclerus. G.)

## VIII.

*Descriptio.*

Proxima est DESCRIPTIO, vel *ἑμφράσις*, genus exercitationis SCHEFFERI \*) iudicio, iucundissimum & ad splendorem orationis pulchritudinemque praecipue comparatum. Est vero descriptio expositio, rem eiusque naturam ac indolem perspicue subiiciens oculis \*\*).

\*) SCHEFFER. *gymnas. stili p. 41.*

\*\*) In descriptionibus felicissimum est ingenium VIRGILII. Unde is non parum in hoc genere orationis proficiet, qui elegantissimas huius poëtae descriptiones in prosam orationem commutabit. Exempli loco esse poterit descriptio tempestatis, quae libro I. *Aeneid. v. 85. sqq.* occurrit, qua nihil poterit excogitari elegantius. (Talis OVID. *Metam. II*, 480. Multa dabit DEKENIUS in *observat. poet.* multa CAMERARIUS in *elementis rhetoricis*, VOSSIUS *instit. orat.* ubi de *ὑποτιμῶσει* agit, etc. G.) CURTIUS etiam in descriptionibus excellit, quamvis eae nonnumquam sophisticum potius, quam historicum redoleant ingenium. Huc pertinent descriptiones praelii *libr. III. c. 10. & libr. IV. cap. 6.* triumpho *lib. IX. cap. 10.* Marsyae amnis *libr. III. cap. 1.* Nos exempli loco dabimus descriptionem itineris per Lybiam ad Iovis Hammonis templum apud eundem CURTIUM *lib. IV. cap. 7.* *Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra coeloque aquarum penuria est: steriles arenae iacent, quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia, intolerabilis aestus existit, luctandumque est non tantum cum ardore & siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod praecaltum & vestigio cedens aegre molitur pedes.* Cavendum tamen hic ab hyperbolis & frigidis exaggerationibus, a quibus, ut supra notavimus, raro abstinere FLORUS & CURTIUS. (Sic descriptio equi est VIRGIL. *Georg. III*, 75. sequi. item COLUMEL. VI, 29. Bovis VIRGIL. *Georg. III*,

49. sequi. COLUM. VI, 1, 3. *Telaë* OVID. *Metam. II*, 480: In *chrestomathiam Plinianam* retuli magnam vim descriptionum rerum naturalium. Inprimis huc pertinent Philostrati utriusque *ἑμφράσις*, & Calistrati statuarum *ἑμφράσις*. G.)

## IX.

Denique etiam ETHOPOEIA commendari solet, *Ethopoeia.* id est, *imitatio sermonis, moribus alicuius & negotio adcommodata* \*). In qua praecipue danda est opera, ne τὸ πρέπον neglexisse videamur \*\*).

\*) Pleni sunt eiusmodi ethopoeiis historici & poëtae. Sic CURTIUS modo Alexandrum, modo Darium, modo alios loquentes introducit, nec ullam temere praetermittit occasionem, quantum declamatorio acumine valeat, ostentandi. Plures quoque eiusmodi orationes sunt apud (LIBANIUM, G.) LIVIUM, SALLUSTIUM, TACITUM, quin & apud poëtas VIRGILIUM, SILIUM ITALICUM, LUCANUM. Ex instituto vero ethopoeias composuit SEVERUS, quae cum DEMETRII PHALERAEBI libello *de eloquentia* prodierunt Oxonii MDCLXXVI. in 8. Exempli loco sit brevis, sed elegans ethopoeia, qua Darii adfectum exprimit CURTIUS *libr. IV. cap. 10.* quum is de Alexandri M. humanitate & clementia in captivam uxorem factus esset certior: *Dii patrii, primum mihi stabilite regnum: deinde, si de me iam transactum est, precor, ne quis Asiae rex sit, quam iste, tam iustus hostis, tam misericors victor.* (Talibus ethopoeiis plena CICERONIS oratio pro Coelio, v. g. cap. 14, 15, 16, 19, 22, 23, 28. etc. G.)

\*\*) Hinc, si quis regi subtilem orationem de materia quadam philosophica, aut philosopho orationem magnificam de re militari tribueret; is profecto non ethopoeiam scribere, sed Herculi soccos, puero cothurnos, aptare videretur. Mirus in ea re artifex est TERENCEIUS, cuius *eunuchum* si quis perlegerit, (aut quamcumque fabulam, G.) non poterit non eius ingenium in exprimendis hominum moribus, & oratione loquentibus attemperanda, mirari.


## X.

Refertur huc etiam solent progymnasmata, veluti *fabula, narratio, chria, confirmatio, confutatio, laus, vituperatio, comparatio, locus communis, thesis, & quae sunt huius generis alia.* Verum quum de progymnas-

*Conclusio opusculi.*

matibus fere innumeri exstant libelli : nolumus nos quidem actum agere , sed , defuneri hoc , quem nobis imperavimus , labore , hic subsistimus.

( Annotationes nostras obſignabimus dicto Crassi , id est, ipsius CICERONIS de orat. I. cap. 34. Legendi etiam poetæ , cognoscenda hystoria , omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & perſolutandi , & exercitationis causa laudandi , interpretandi , corrigendi , vituperandi , refellendi , disputandumque de omni re in contrarias partes , & quidquid erit in quacunque re , quod probabile videri possit , eliciendum atque dicendum. IDEM Bruto cap. 15. Ut hominis decus ingenium ; sic ingenii ipsius tamen eloquentia. G.)



EX-

## EXCURSUS I.

## AD PART. I. CAP. 2. §. 21. fin.

De periodis & earum usu , ex IO. MATTH. GESNERI primis lineis artis oratoriae III. §. IV.

Periodus est dictio , cuius ( ut in circulo ) principium & finis grammatica constructione cohaerent. Oriuntur compositione periodi , quum duae pluresve propositiones per particulas quasdam inter se velut colligantur , quarum ope sententia prioris vel priorum propositionum tamdiu suspenditur , donec ultimum membrum sive posterius accesserit. Accipit autem periodus composita pro diversitate particularum , quibus componi connectique solet , diversa nomina , ut v. g. *conditionalis* sit , in cuius priori vel prioribus membris adhibetur conditionalis particula *si* , *nisi* , & similes : *comparativa* , quae in protasi habet comparandi adverbium *sicut* , *ut* , *quemadmodum* , in apodosi autem respondens hisce particulis *ita* , vel simile quid : *concessiva* periodus , cuius protasin inchoat *licet* , *quamvis* , etc. in apodosi collocatur *tamen* , vel *similis*. Ita *disiunctiva* vocatur , in qua per disiunctivas *aut* , *sive* ; *adversativa* , in qua per adversandi *sed* , *verum* , *tamen* ; *causalis* , in qua per causales *quum* , *quia* ; *copulativa* , in qua per copulandi particulas , membra periodorum inter se coniunguntur.

Scholium:

I. Conditionales periodi praeter illum naturalem usum adhibentur

- a) Ubi universale aliquod pronunciatum locum habet , quod per *quidquid* , *omnis* etc. efferri poterat , ut : *Si quid est in me ingenii* etc. *Si quis est , qui te colat , ego sum*. *Si unquam ius fuit , hominem occidere , nunc est*
- b) Ad necessitatem quamdam exprimendam contrarium eius , quod facimus , vel volumus fieri , per conditionalem proponitur , ut : *Si nunquam loquutus essem , iam loquerer*. *Si ingratus essem , beneficium hoc non tacerem*. *Si stupidissimus essem , hoc sentirem*. Conf. CIC. in *Verr.* II , 40. s. 98. & 99.
- c) In argumentationibus a minori ad maius. *Si maiores nostri cogitationem parricidii punierunt* , etc. Conf. CIC. pro *Sext.* princ. It. in *Verr.* II , 47. s. 117.
- d) In causis precum , adhortationum , cet. *Si te semper pie colui , hanc mihi da veniam*. *Si me semper amicum expertus*

X

es,

- es, mihi crede.* Etiam negative: *Nisi semper optime monui, nunc adspernare me.* Vid. CIC. *pro domo* 57. s. 145.
- e) De syllogismo condicionali proprie dicto res per se aperta. *Si Deus pro nobis*, etc. *Si homines post persuasiones validissimas, quum nihil habent, quod reponant, tamen agunt alia omnia, sequitur, voluntatem non regi ab intellectu.*
2. Comparativae periodi adhibentur
- a) In quibusvis comparationibus,
- b) Speciatim in similibus; hic inprimis regnant Plutarchus, Quinctilianus, & ex recentioribus Erasmus.
- c) In transitu a thesi ad hypotesin: *Ut semper te amavi, ita hic tibi deesse non possum.*
3. Concessivis locus est
- a) In transitione a thesi ad hypotesin, ubi haec singulare quid habere videtur. *Quamvis omne bellum est malum, inprimis tamen civile.*
- b) In confessionibus, quum simul petitur venia. *Licet diu non responderim, tamen ignosces.*
- c) In excusationibus. *Quamquam te amo, tamen non veni.*
- d) In refutationibus. *Quamquam haec ita se habent, mihi tamen aliter videtur.*
- e) Etiam alias. LIV. II, 43. *Nec illos etsi non adhortatio in-visi ducis, suum saltem flagitium & publicum dedecus cogere potuit accelerare gradum, etc.*
4. Disiunctivae nihil habent praecipui, quod non ipsa statim natura doceat. Si fieri debeat maior propositio syllogismi disiunctivi, probe videndum, ne membrum aliquod disiunctionis omittatur. Vitiosa enarratio est haec: *Quum nec emeris, nec aono acceperis: consequens est, ut furatus sis.* Fugiendum hic etiam est vitium argumenti, quod ἀντιστροφον vocatur, de quo GELL. IX, 16. coll. CIC. *Verr.* III, 98. Haec periodus fere antecedens fit copulativae: *Quum aut ipse illius narrationis auctor sis, aut ab aliis eam acceperis: iure illud meo abs te postulo, ut aut ipse veram esse demonstres, aut nomines auctorem, aut levitatem suam (placide enim tecum agam, vel, nihil enim dicam gravius) in fingendo, quod nusquam est, confiteare.*
5. Adversativa iisdem fere conditionibus, quibus concessiva, adhibetur. In protasi etiam admittit quidem: *sed, verum, etc.* in apodosi.
6. Caussales
- a) Transeunt saepe in conditionales. schol. I. d).
- b) Inprimis elegans est usus τῆς quum caussalis. CIC. *de senect.* 21. *Quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot scien-*

- scientiae, tot inventa; non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque, etc.* Ita etiam in collectione argumentorum. v. g. CIC. *pro Roscio Amer.* 23. *Quum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, etc.*
- c) Adhibentur pro copulativis. E. gr. saepe in protasi causalis periodi membra divisionis proponuntur, quae declarantur in apodosi. Pluscula eius generis exempla collegimus ad VARRON. III, 2, 13. Adde I, 6, 1. & 2. Huc pertinet divisio illa Minucii Rufi in tria genera hominum ratione prudentiae, apud LIV. XXII, 29. Nempe proponitur divisio in protasi, in apodosi applicatur.
- d) In narrationibus ad copulanda antecedentia cum consequentibus. *Neque valles humiles solis radiis carent, neque rex dedignatur infimos.*
7. Copulativae
- a) Saepissimae vicem subeunt comparativarum. CIC. *de sen.* 19. *Neque histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad PLAUDITE vivendum.* Ita: *Et gravius cadere solent in altum sublata: & vehementior sensus calamitatis accidere solet post magnam felicitatem.* Germanis etiam hoc multo usitatius.
- b) Ipsae transeunt in caussales. Vid. sch. 6. d).
- c) Eleganter \*) inprimis ubi a thesi ad hypotesin transitur \*\*) adhibetur quum, sequente in altero membro tum.
- \*) CIC. in *Verr.* I, 46. s. 119.
- \*\*) *Verr.* II, 1, 2. *pro dom. ad pontific.* 1. Sic: *Quum multa percantur in scholis, tum illud, quod maior fere doctrinae, quam morum, habetur ratio.*
8. Non sunt periodi tantum dicta ratione compositae, sed membra etiam periodorum possunt esse diverso modo composita. E. g. comparativa periodus potest habere conditionatum antecedens pariter & consequens: *Quemadmodum, si fumus apparet, ignis solet consequi: ita si convicia iaciantur, caedes existit.* Periodus condicionalis potest habere protasin comparativam: *Si, quemadmodum igne aurum, ita amicus probatur periculis: tu certe amicus es probatissimus.*

## De Chiasmo.

Verrissimam & naturalem maxime χιασμῶ seu decussationis rationem, ostendit sine dubio exemplum hoc Ciceronianum. Sed is, a quo habet Caussinus Demosthenis exemplum, & ad cuius auctoritatem referendum esse videtur, quicquid hac de re disputant dicendi magistri recentiores, Hermogenes, hic, in periodica disciplina, paullo aliter accipit hoc vocabulum. Cuius sententia obscura aliquantulum ut possit tanto magis dilucere, ponamus ante omnia Hermogenis ipsa verba, quae deinde comitetur explicatio Sturmiana. Ille igitur de invent. IV, 3. fin. haec commentatur: 'Εκαὶν δὲ ἡ παρὰ τῷ Δημοσθένει, χιασμῶν δύναται. Ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος, ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὐτῆς, τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται. Ὑμεῖς δὲ, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅσῳ χεῖρον, ἢ προσήκει, κέχρησθε τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνῃ ὠφλήκατε. -- Πῶς δὲ ἀναδέχεται τὸν χιασμὸν; ὅταν ἐν ἀμφοτέρω ταῖς περτάσει ἀμφοτέρω ἀρμόζωσιν αἱ ἀποδόσεις, καὶ ἐναλλάξ. Τίσι, ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὐτῆς, τῆτο ἢ πρότασις, ἀρμόσει δὲ αὐτῆ ἑκατέρα ἀπόδοσις, εἴτε βύλοιτό τις λέγει, τοσούτῳ θαυμαστότερος ἐκεῖνος παρὰ πᾶσι νομίζεται, εἴτε βύλοιτο λέγει, τοσούτῳ πλείονα ὑμεῖς αἰσχύνῃ ὠφλήκατε. καὶ πάλιν, ὑμεῖς δὲ, ὧ Ἀθηναῖοι, ὅσῳ χεῖρον, ἢ προσήκει, κέχρησθε τοῖς πράγμασι, ἢ πρότασις ἢ δευτέρα πρὸς ἀμφοτέρα ἀρμόσει, εἴτε βύλοιτό τις λέγει, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνῃ ὠφλήκατε, εἴτε βύλοιτο λέγει τοσούτῳ θαυμαστότερος ἐκεῖνος παρὰ πᾶσι νομίζεται. Ad quae Sturmianus ita: Χιασμὸς, decussatio, quae nomen habet proprie fori am primae litterae, efficit crucem Burgundicam, vel crucem S. Andreae X. hoc est, quasi ἀντίφασιν dialecticorum. Quae forma est contradicendarum propositionum, eadem est χιασμῶ, ut:

Omne animal movet se ipsum.

Quoddam animal movet se ipsum.

— — Ostendit τρόπον, modum: quo ista comprehensio possit χιάζεσθαι, decussari. — — Ἐ habebit figuram ἀντιφάσεως: quemadmodum dixi hoc pacto:

Ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὐτῆς. Philippus enim quo plura fecit supra suam dignitatem:

Nullum animal movet se ipsum.

Quoddam animal non movet se ipsum.

Τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται. eo admirabilior apud omnes habetur.

† Τμεῖς

† Τμεῖς δὲ, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅσῳ χεῖρον, ἢ προσήκει, κέχρησθε τοῖς πράγμασι. Vos autem Athenienses, quo deterius, quam conveniebat, res administrastis:

Τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνῃ ὠφλήκατε. eo maioris dedecoris culpam praestare debetis.

— — Recipit autem periodus χιασμῶν, ut ait auctor, quum unaquaeque ἀποδόσις potest utrique προτάσει accommodari; sed in qua materia id fiat: id ipsum vero non indicat. Potest autem id fieri in illis rebus, in quibus contrariae causae efficientes in contrariis personis communia habent effecta: ut: causa efficiens est diligentia Philippi: effectus eius, gloriosum nomen & admirabile. Rursum altera causa efficiens contraria in persona Atheniensium est negligentia: deinde effectus eius etiam superiori contrarius est, dedecus & infamia. Quemadmodum igitur Philippi diligentia peperit ei gloriam & quamdam admirabilitatem: ita ignavia Atheniensium peperit ipsis dedecus & infamiam. Haec doctrina oculis potest subiici hoc pacto:

Philippus.

Athenienses,

Diligentia

Causae efficientes contrariae.

Negligentia.

Gloria.

Effecta dus communia.

Dedecus.

Et ex hac una periodo facile intelligi potest, quid sit decussatio. — — Apud Cic. in orat. de lege agraria haec invenitur periodus, quae potest decussari: Ita perversum est; ut turpe sit: ita malitiosum; ut non sit dissimulandum. Item contra Catilinam: Nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior: 2. qui se non intimum Catilinae fateatur: 3. nemo in scena levior & nequior: 4. qui non se eiusdem prope sodalem commemoret. Haec periodus potest simili modo χιάζεσθαι, decussari. Nam vel ita transponi reflexiones (ἀποδόσεις) possunt: ut primae propositioni (προτάσει) posterior adiungatur reflexio: & secundae propositioni prima reflexio. ut 1. Nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior: 4. qui non se prope eiusdem sodalem commemoret: 3. nemo in scena levior & nequior: 2. qui se non intimum Catilinae fateatur. Vel ut secundae propositioni prima reflexio sive redditio, & propositioni primae secunda reflexio annexatur, ut: Nemo in scena levior & nequior: 2. qui se non intimum Catilinae fateatur: 1. nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior: qui non se prope eiusdem sodalem commemoret. Bis est haec decussata: & rursus bis potest: si reflexionibus primus locus tribuatur. Poterit etiam commutari per ἀνατροπὴν. Possunt eiusmodi comprehensiones plurimae inveniri apud Ciceronem. Neque verum esse puto, quod Trapezontius ait, apud Ciceronem unicam tantum periodum esse, quae possit χιάζεσθαι.

X 3

ζεσ-

ξεδαι, decussari. quod enim fit in communibus effectis: hoc etiam fit in synonymis. nam verba synonyma etiam faciunt res synonymas: quemadmodum videre licet in his exemplis Cic. in quibus συνωνυμία est, perversum & malitiosum, item turpe & non dissimulandum. Sic in altero exemplo intimum esse & sodalem esse alicuius. item in ludo gladiatorum & in scena. Quam late patent igitur contraria, opposita, disparata, synonyma, tam late patet etiam haec doctrina: Haec exercitatio (loquitur simul de aliis quoque, G.) μεταχειρήσεως τῶν περιόδων, quam habeat utilitatem, ostendit ipse Cicero in oratore perfecto ad Brutum. Etenim in scriptoribus vitiosis demonstrat, quomodo aliquid melius fieri possit: in probatis, quid sit perfectum: in nostris, quando amovendus sit stilus: & non extimescendum non solum vulgi leve, verum etiam eruditorum subtile iudicium. id in illo est, quod verbis aptum, sententiis perspicuum, rebus conveniens, & quod posterior dies nec inveniendi queat, nec augendo, nec immutando facere praestantius. & in quibus auctoribus potissimum haec exercitatio institui debeat, in libro de periodis copiosius explicatum est. Ex quibus patet, χιασμὸν hic non tam esse periodum, ab ipso auctore quodam in decussim dispositam, licet neque hoc negetur, debet enim necessario eius esse naturae, & ita esse scripta, ut possit decussari; quam exercitationis quoddam genus, ubi confecta & informata periodus talis, quae capit decussationem hac ratione pluribus modis immutetur. Nempe Graeci sophistae, in aliis rationibus periodorum transformandarum quam plurimis, etiam hac utebantur, eum quidem in finem (ut in scriptis alienis aut cognoscerent, quid perfectum esset, aut vitiosa discerent emendare; in suis vero tanto forent accuratiores politioresque. Hunc itaque periodorum χιασμὸν esse dicunt; sed volunt etiam alium rerum esse, ubi res proponendae ita ordinentur, ut, quae positae sint primo loco, respondeant iis, quae ultimum sive quartum teneant; membrum autem secundum cohaereat cum tertio. De hoc Sturmius de period. cap. XXIV. §. 6. ita: *Quid igitur decussatio sit, non puto obscurum esse: de periodis loquor: nam est etiam decussatio in collocatione rerum propositarum, quum fit ἀναστροφή: ut in oratione Quintiana, quum gratiam Naevii primo loco posuisset: deinde eloquentiam Hortensii: tamen in periodis insequentibus eloquentiae primum locum tribuit: & alterum gratiae. Sed nunc non de hac, sed de conversionum immutatione.* Hactenus ille. Exemplum, ad quod provocat est initium laudatae orationis: *Quae res in civitate duae plurimum possunt, haec contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia: quarum alteram C. Aquilli, vereor, alteram metuo. eloquentia Q. Hortensii ne me dicendo impediatur, nonnihil commoveor; gratia Sex. Naevii*

ne

ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco. Iam haec in speciem Graecae litterae x decussabimus hoc modo:

Contra nos faciunt

I. Gratia.

II. Eloquentia.

III. Eloquentia Q. Hortensii, ne me dicendo impediatur, nonnihil commoveor.

IV. Gratia Sex. Naevii, ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco.

Huius generis est exemplum ad Auctoris nostri locum supra exerat. pro domo prolatum; eiusdem sunt generis, quae laudati ibi viri docti habent: sed haec illustrant potius chiasmum, quem rerum vocat Sturmius, quam Hermogenianum illum periodorum. (N.)

### EXCURSUS III.

AD PART. I. CAP. II. §. 43, 46, & 51.

De sublimitate vel sublimi (ὕψι) & stilo sublimi, qui vulgo sic dicitur, seu magnifico, (μεγέθει).

Saepe numero, in disputatione de dicendi charactere magnifico, Longini facta mentio est & libri illius περὶ ὕψους; peculiariter vero ratio habetur τῷ μεγέθει; Hermogenis: at utrum omnino, aut quomodo differant τὸ ὕψος & τὸ μέγεθος, non est distincte satis diiudicatum. Generatim vero ita rationem iniisse Heinkecius videtur, ut de ὕψει nihil omnino dixerit, sed, quae de stili sublimitate praecepta sunt, ad μέγεθος Hermogenis referenda esse videantur. Nempe fuit hic error communis, & veluti per manus traditus, illud in quo Longinus tam subtiliter & curate versatus est, genus dicendi unum esse ex illis, quos orationis χαρακτήρας vocant Graeci: donec Tanaquillus Faber primo in praefatione sua ad Longinum, postea vero Nicolaus Boilavius in suis, quibus illustrat Gallice a se loqui institutum Longinum, animadversionibus, stilum sublimem, de quo in rhetorum libris agitur omnium, seu μέγεθος Hermogenis, ab sublimi dicendi genere, quod expendit Longinus, seiunxere. His accedit Io. Guil. Bergerus in libro de naturali pulchritudine orationis p. 40. 47. Horum itaque trium virorum vestigiis insistentes, rem, quantum possumus, diligenter, sed breviter, proponemus. Nimirum tria esse dicendi genera, tenue, medium & magnificum, quae χαρακτήρες vulgo audiunt, artis rhetoricae doctores, a restauratis inde litteris uno fere ore dicunt. Habent haec & alia nomina, quae suppeditat Voss. Rhet. VI, 2, sq. Ab hoc autem tertio genere plane differt & separandum est τὸ ὕψος, Longini. Nam quod magnum & copiosum est, inquit Fa-

X 4

ber,

ber, non statim *sublime* aut *summum* dici potest; ab *magnitudine* ascensus datur ad *sublimitatem* & *summum*, sed huc ubi perventum sit, ascendi ultra non potest. *Magnitudo* sine *sublimitate* esse potest, sed haec non sine illa. Verbo Hermogenis *μέγεδος* aut *magnificum dicendi genus* orationem digniore induit habitu, eamque reddit pleniorē, & proxime abest ab *sublimitate*, semperque postulat verborum granditatem. Hunc stilum etiam *sublimem* vocari posse Boilavio concedit, sed aliud plane contendit esse *sublime dicendi genus*, seu *ὑψος* Longini. *Sublime* non desiderat, ut *stilus sublimis* seu *μέγεδος*, verborum magnificentiam, sed inesse potest in una cogitatione, in una figura, una dicendi ratione, ut Bergerus p. 43. exprimit. Contra fieri potest, ut res, quae non sit *sublimis*, *magnifica* effeatur & *sublimi* oratione. Exempli causa ex Boilavio Bergerus p. 44. ponit illud: *Summus naturae arbiter uno verbo lucem formavit*. Verba ampla sunt & splendida, & quid factum sit, stilo exponitur *sublimi*, sed abest *sublime*, τὸ ὑψος. Nempe, ut iam accedamus ad rem, *ὑψος* sive *sublime*, Boilavio iudice, interprete vero Bergero p. 44. seq. est illud, quod cum lepore quodam inusitato dicitur, illud admirabile, quod percutit animum, adeoque efficit, ut hic, *praeclaro dicendi genere commotus, elatus, percussus, abripiatur, in admirationem convertatur, quasique, extra se positus, obstupescat; — id, quod est a plebe summotum, quod praestans & eximium, quod admirationem occupat animum, occupatumque desigat stupore*. Iam ipsa Mosis audiamus verba: *Deus dixit, fiat lux, & facta est lux*. Quae hic sunt simplicissima, nullumque habent ab verbis ornatum externum atque magnificentiam nullam quaesitam, ut illa supra, his tamen inest *sublime* & *divinum* quiddam. Nempe ante oculos ponuntur Dei magnitudo, maiestas & potentia, rei autem procreandae praestantissimae, sine mora auctoris sui imperia exequenti, obediens alacritas. Ut adeo, quemadmodum in scholis philosophorum loquuntur, ex magnitudine effectus magnitudo cognoscatur auctoris. Haec fere est Gallorum sententia, aut potius animadversio & observatio. Apponamus quaedam Bergeri. Hic itaque p. 45. *Longinus*, inquit, *non dicendi ubertatem, verborum copiam, orationis amplitudinem, potissimum sibi postulabat, sed altitudine cogitationum nihil prius habebat aut antiquius, adeo, ut, hoc ipso iudice, interdum oratio, vocis expers & muta magnitudine sua pariat admirationem, omni prorsus oratione maiorum*. Huc refert *Longinus Aiakis, in Necyomantia* \*) *silentium, grande, &*

\*) Od. λ. 562. *Ajax* ad *Ulyssis* verbosam satis compellationem, nihil respondet: & avertens se ab illo, tacitus abit ad socias umbras (N.)

omni elatius oratione. Eodem pluris interest, revocari *Servatoris aspectum*, qui *Petro*, conscientia periurii centerrito, ingentem lacrymarum vim expressit. *Grandibus verbis opus est in stilo magnifico, sed Longinus, sive cogitationum excellentia, seu commotionum vi, fretus, neque simplicia, neque vulgo trita, repudiat verba*. Namque, illis, iudicavit, altius cogitata fieri placiora, sic, ut haec, ipsa dicendi simplicitate, nativam vim roburque suum magis expriment, ista, ratus est, nonnumquam plus omni valere ornatu, quod protinus intelligantur e quotidiana loquendi consuetudine, tantoque maiorem afferre filem videantur. Idem ille, animo in cogitandi fastigium evecto, ultra magnitudinem progreditur, sed, ad altissimum perductus gradum, quo procedat, non habet. Sentit, magnitudinis esse gradibus emittendam in summum, sed, ubi sit eo perventum, ascendi ultra non posse. Ita magnitudo, quae gradum struit ad sublimitatem, sine hac esse potest, haec, quae illius nititur gradibus, esse non potest. Ab *Longino*, quoniam videmus, excellentiae sententiarum iungi vehementem animi permutationem, *Hermogenis magnitudinem*, putemus, ingentis cuiusdam fluminis, sed placidi ac leniter fluentis, esse similem, *Longini vero sublationem, fluctus tempestatesque maris, aut fulmina, imitari*. *Vulgaris imaginem virtutis habet magnitudo, hercae vero simulacrum, sublimitas, quarum alteram alteri si compares, corpus illam, hanc animam ac spiritum, illam medicri ac tenui genere dicendi supericrem, hanc illa tanto superiorem, quanto duobus illa praestet dicendi generibus, denique magnitudinem, cum altitudine collatam, medicritatem, ut recte disserit Faber, vocemus*. Ex quo iudicari potest, hos non bene subducta uti ratione, quibus id, quod magnum est & copiosum, *sublime continuo & summum, neque magnitudo Hermogenis ac stilus sublimis a sublimitate Longini differre, videatur*. Nos de altitudine, a *Longino* tradita, sed a veteribus exercita magis, quam, ante *Caecilium*, seorsum explicata, id praedicamus, quod *Cicero scripsit ad Brutum*. Nam eloquentiam, inquit, quae admirationem non habet nullam iudico. *Laudat epistolam Fabius, libro octavo, 3. 6*. Hactenus *Vergerus*. Summa haec est. a) *Stili*, in tenuem, medium & magnificum seu *sublimem*, divisio est manca, non enim omnes dicendi formae sub illa comprehendi possunt, hinc *Bergerus de σεμνῆ in orat. Taciti* amplectitur VII. ideas *Hermogenis*; cuius β) *μέγεδος* cum partibus suis, ille est, qui vocatur tertius dicendi character, *stilus magnificus & sublimis, sublimitas* improprie sic dicta; ita tamen, ut *μέγεδος* latius pateat, quam *stilus magnificus*, & plures contineat orationis formas, quas ille non includit. Vid. ad P. I. 2, 51. Iam vero addi debet γ) *ὑψος* *Longini*, τὸ *sublime*, vera *sublimitas*, novum plane inventum, quod ille, acceptum, vel in-

dicatur potius, a Caecilio, castigavit expolivitque. Rem ipsam habuere veteres, & nusquam magis invenitur τὸ ἄψος, quam apud illos, sed primus praecepta de illo dedit, illudque in articulis formulam redegit Longinus. Vocat & ipse quidem ἄψος suum nunc βλάβος, nunc ὑπερφύη, quin μέγεθος etiam: sed longe aliud haec nomina apud hunc significant, quam apud alios, illud nempe, quod supra dictum est. *Non ais*, dicit Bergerus de *σπουδῇ Taciti* §. XI. *Hermogenem ἄψος Longini plane non attigisse. Attigit non solum, sed cognovit etiam, & tantum non perfecit. Id nego, solum magnitudinem ab Hermogene explicatam conficere illud ἄψος, aut Longini doctrinam nihi, praeter magnitudinem Hermogenis completi.* Ea igitur si ita sunt, uti hic posuimus, sequitur δ) ut ista, quae Auctor noster de stilo magnifico & sublimitate disputat, non tam illustrent ἄψος Longini (nisi quatenus & ipse Longinus Hermogenianam magnitudinem simul complexus est passimque eam tractat, quam pertineant ad §. LI. ubi μέγεθος Hermogenis strictim attigit (N.)

## EXCURSUS IV.

### AD PART. II. CAP. I. §. 6.

I. M. GESNERI *primarum linearum artis oratoriae* pars illa, quae docet gratulari, gratias agere etc.

#### III. §. IX.

Gratulatio has habet partes, a) significationem gaudii nostri de felici alterius successu, qui quidem, ne frustra videamur gaudere, magno erit opere extollendus. b) Ostenditur, dignum esse cui gratulamur, felicitate: interdum non tam felicitatem agnoscimus, quam naturalia, certe aequissima, meritorum praemia. c) *Optimus* bonis rebus perpetuitatem & incrementa. Nonnumquam d) nos etiam, ut respiciat. precamur. Sed haec non propria gratulationis pars est.

#### Scholia.

1. Neque hic ordo simpliciter necessarius est, neque omnes hae partes semper tractandae: sed videndum, quid unicuique loco conveniat. Hoc etiam ad reliqua gratiarum actionis, consolationis etc. praecepta pertinet.
2. Ut in omni oratione vel scripta vel ore prolata, ita praesertim in argumentis etiam hisce omnibus videndum est, ut *communia* quae praeceptis sola tradi possunt, *proprie* dicantur.

cantur; h. e. ut admisceantur ea, quae v. g. in epistola, personae scribentis & legentis, tempori, omnique adeo circumstantiae ita sunt propria, ut neque ab alio, neque ad alium, neque alio tempore etc. scribi potuisse videantur. Hoc etiam in exercitationibus consequendum est, nec scribenda gratulatio vel consolatio simpliciter, sed consilio Attici ad Ciceronem exsulantem, e. i. g. a.

#### §. X.

Gratiarum actio ostendit a) laetitiam nostram ob alterius beneficium: b) auget illud dicendo, eaque ipsa ratione causam adfert laetitiae: c) gratum animum pollicetur, vel ita, ut neget se parem esse referendae gratiae, easque partes Deo & bene de se meriti virtutibus relinquat; vel ut ostendat, a se nullam observantiae demonstrandae occasionem pretermisum.

#### Scholion.

Augetur beneficium, si ostendatur, praeter spem, nullo nostro merito, opportune, cum significatione amoris, nulla spe referendae gratiae, saepe, cum incommodo patroni etc. collatum esse.

#### §. XI.

Consolationis ratio ex gratulatione fere intelligitur. Nimirum a) testatur nos in doloris illius societatem venire, idque pro re nata ita exaggerare licet, ut ipsos nos consolatione indignere dicamus: b) ostendimus partim indignum illum calamitate videri, partim id ipsum magnorum & piorum hominum fatum esse: c) erigere illum studemus spe futurae felicitatis, laudata magnitudine animi illius, qua futurum sit, ut bene ipsi cedat calamitas; voto praesertim tali, quo, nostra ipsorum interesse, quin reip., ut ille floreat, significamus.

#### Scholion.

Consolationis illud genus, ubi aliorum malis propositis erigere alios conamur, caute admodum tractandum, ne *ἐπιχαριστικῶν* alere videamur. Vix aliter uti velim ego, nisi ut ita declaretur, quantis malis ferendis sufficiat humana vel christiana adeo patientia, & quomodo maxime etiam calamitates exitum aut felicem, aut tolerabilem certe habuerint.

#### §. XII.

Adhortatio quatenus ea in aetatem, cui ista scribuntur cadit, inest praecipue in *laudatione* eius, quem hortari volumus, ac propositione bonorum, quae consecutura inde videantur: quo-



quorum partem ad nos pertinere pro amore in illum nostro putemus. Negamus nos incitare velle currentem, etc.

## §. XIII.

Petitionis ratio haec est. a) Commemorantur causae, cur petere audeamus, benevolentia eius, quem appellamus, beneficia alia, nostra indigentia, & si qua laudare possumus, (quod modeste tamen faciendum est) merita: b) beneficium, quod petimus, ostendimus esse honestum, facile, nobis necessarium: c) gratum animum promittimus, (ut in gratiarum actione. §. 10.)

*Scholion.*

Petitionis species sunt *commendatio* & *deprecatio*, quae hinc satis intelliguntur.

## §. XIV.

*Consultatio* quomodo instituatur, ex hortatione & dehortatione intelligitur: in hoc tantum differt, quod consulimus etiam de sola utilitate. Inest igitur a) in propositione quaestionis, b) divinatione eventus in utramque partem, c.) adhortatione alterius partis amplectendae: nisi sicubi malimus consilii inopiam fateri.

## §. XV.

*Expostulatio* a) ostendit iniuriam nobis illatam, vel peccatum, quod ad nos pertineat, b) petit eam tolli, c) hoc si fiat, promittit amicitiam; sin minus, denunciat incommoda, vel minatur. Huic respondetur vel per *purgationem*, de qua statim, vel *deprecationem*, vel per *expostulationem*.

## §. XVI.

*Purgatio* a) proponit causam, b) ostendit innocentiam ex antecedentibus, concomitantibus, consequentibus, c) petit, ut sententiam de nobis mutet alter, d) pollicetur, aut minatur.

## SYLLOGE EXEMPLORUM

## PRAECEPTA SUPERIORA

## ILLUSTRANTIUM.

*Epistola qua praxis cap. 1. ostenditur ex M. T. Cic. ep. fam. lib. 9. ep. 14.*

ETSI contentus eram, mi Dolabella (1), tua gloria, satisque ex ea magnam laetitiam, voluptatemque capiebam: tamen non possum (2), non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo (3) hominum opinio (4) socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni, (convenio autem quotidie plurimos, sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in haec loca convenient, praeterea ex municipiis frequentes necessarii mei), quin omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerunt (5), mihi continuo maximas gratias agant. Negant (6) enim se dubitare, quin tu, meis (7) consiliis, & praeceptis obtemperans, praestantissimum te civem, & singularem consulem praebas. Quibus ego, quanquam verissime possum respondere, te, quae facias tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio (8): tamen neque

(1) mi Dolabella). Vocativus non statim ab initio, sed plerumque post aliquot verba, nonnumquam etiam in posteriore periodi parte locum occupat. P. I. c. 1. §. 19. reg. 1.

(2) non possum non). Pro oportet. §. 22. reg. 5.

(3) vulgò. Male dicunt communiter: de cuius adverbii usu, vide §. 15. reg. 1.

(4) hominum opinio). Casus obliquos, si id sensus orationis ferat eleganter nominativo praemitti observ. §. 19. reg. 2.

(5) cum te sum. laud. ad coel. ext.). Propositio incidens, reliquae orationi inserta. Vid. §. 19. reg. 3.

(6). Negant enim). Dico sequente negatione mutatur in nego. §. 22. reg. 4.

(7) tu meis). Unius commatis pronomina, etiamsi plura occurrant scite coniunguntur. ut sequenti Periodo, quibus ego, te, quae. §. 19. reg. 12.

(8). Cuiusquam eger, cons.). Duo nomina, quorum alterum ab altero pendet, eodem modo, ac de verbis. §. 19. reg. 8. dictum est, elegantissime seiunguntur.

plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur, neque valde nego. Sum enim avidior, etiam quam satis est gloriae. Est tamen non alienum a dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum Regi fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem; mihi vero gloriosum, te iuvenem Cons. florere laudibus quasi alumnum disciplinae meae. L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim venissem; quanquam erat oppresus totius corporis doloribus: tamen ante quam me plane salutavit, o mi Cicero (1), inquit (2), gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum, si ego apud sororis filium valerem, iam salvi esse possemus. Dolabellae vero tuo, & gratulor, & gratias ago, quem quidem post te consulem, solum possumus vere Cons. dicere (3). Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius (4), nihil praeclarius actum unquam, nihil reipp. salutaris. Atque haec una vox omnium est. A te autem peto, ut me hanc, quasi falsam hereditatem alienae gloriae sinas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuam laudum venire patiare. Quanquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus sum), libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae laudes (5), ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius (6). Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum pro-

(1) o mi Cicero). Vocativum, si affectus aliquis exprimendus sit, locum quoque primum recte occupare monuimus. §. 19. reg. 1.

(2) inquit). Si aliena verba recensentur, verbis utendum, ait inquit, quae post aliquot verba ipsi interseruntur orationi. §. 19. reg. 15.

(3) possumus vere cons. dic.). Inter duo verba quorum alterum ab altero pendet, eleganter aliquot verba interseruntur.

(4) tum nihil magnif.). Comparativos saepe in superlativos mutari multoque elegantiores fieri variationem, si istud nihil aliquoties repetatur; observatum. §. 22. reg. 5.

(5) si modo sunt aliq. me. lau.). Propositiones conditionales veluti per parenthesis reliquae orationi inseruntur, ut formulae ut scis, mihi crede; haec omnia observata. §. 19. reg. 5. seq.

(6) Fuerit ardent.). Variatio superlat. ut sup. §. 22. reg. 5. idem periodo sequenti observare licet.

pter eius summum ingenium (1), suavissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen Id. Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod (2) mihi iam pridem cumulatam esse videbatur. Quis erat, qui putaret ad amorem eum, quem erga te habebam posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est, quod (3) ego te hortor, ut dignitati, & gloriae servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum; te immittere oportet: tecum ipse certes, nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. Quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini (4), ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique (5) gratissima (6). Hoc si tibi (7) fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine, tum animi, tum etiam ingenii, atque consilii. Legi enim concionem tuam; nihil illa sapientius. Ita pedetentim, & gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti (8) igitur, & urbem periculo, & civitatem metu, neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum quo facto intelligere debes in te repositam esse remp. tibi quoque non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, a quibus initium

(1) propter eius sum. ingen.). Casus obliquus. eleganter casui a quo pendet praemisus. Iam sup. obser. §. 19. reg. 2.

(2) in eo quod, mihi). Plura hic itidem iunguntur pronomina per. §. 19. reg. 12.

(3) Quid est quod... Quaestio quid? cur? eleganter augetur formula quid est quod? V. §. 20. reg. 8.

(4) Quod nescio an nemini). Elegans descriptio superlativi. §. 22.

(5) Tum infimo cuique). Superlativis eleganter additur pronomina quisque. V. §. 20. reg. 4.

(6) Gratissima). Superlat. elegantissime Periodum uti, & comparat. claudunt. V. §. 19. reg. 9.

(7) hoc si tibi). Coniunctiones si, nisi, ut, eleganter voci uni, aut alteri postponuntur. V. §. 19. reg. 14.

(8) Liberasti igitur &c. attulisti). Ad evitanda similiter cadentia eleganter abliberasti incipit, atque optime deinde periodus in attulisti desinit. §. 19. reg. 16.

tium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura prope diem (1), ut spero. Tu quoniam reip. nosque conservas, fac, ut diligentissime, te ipsum, mi Dolabella (2), custodias.

## II.

## PRAXIS DOCTRINAE DE PERIODIS.

## PART. I. CAP. II.

*Ciceronis pro Archia Poëta exordium.*

SI quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis, & disciplina profecta; a qua nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium, vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet (3). Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, & pueritiae memoriam recordari ultimam: inde usque repetens, hunc video mihi principem, & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum exitisse (4). Quod si haec vox huius hortatu, praeceptisque conformata, nonnullis aliquando salutis fuit; a quo id accepimus, quo ceteris opitulari, & alios servare possemus; huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, & opem, & salutem ferre debemus (5). Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio, aut disciplina: ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus (6).

Et

(1) Prope diem. separatim scribendum, ut de in dies, in posterum &c. monuimus. §. 11.

(2) mi Dolabella). Vocativ. non unquam posteriore periodi parte locum occupat. §. 19. reg. 1.

(3) Schoenotenes & periodica circumductio conditionalis. §. 26. 27. c. 11.

(4) Periodus bimensbris causalis. §. 21.

(5) Periodus item trimembris conditionalis.

(6) Alia bimensbris.

Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur (1). Sed ne cui vestrum mirum esse videatur me, in quaestione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud Praetorem pop. Romani lectissimum virum, & apud severissimos iudices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero non molestam, ut me pro summo Poëta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique Praetore exercente iudicium; patiamini de studiis humanitatis, ac litterarum paullo loqui liberius; & in eiusmodi persona, quae propter otium, ac studium, minime in causis, iudiciis, periculisque tractata est, uti prope novo quodam, & inusitato genere dicendi (2). Quod si mihi a vobis tribui, concedique sentiam, perficiam profecto ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium: verum etiam, si non esset putetis asciscendum fuisset (3). Expt. exordm.

*Ex eiusdem orationis confirmatione.*

Nam nisi multorum praeceptis, multisque litteris mihi ab adolescentia suasisset, nihil esse in vita magnopere expetendum nisi laudem, atque honestatem; in ea autem persequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hoc proffigatorum hominum quotidianos impetus obiecissem (4). Sed pleni sunt omnes libri, plenae sapientum voces, plena exemplorum vetustas: quae tacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet (5). Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores, & Graeci, & Latini reliquerunt (6)? Quas ego mihi semper in administranda republica proponens; animum & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium

Y

(1) Periodus simplex. de qua §. 19.

(2) Tasis de qua §. 26.

(3) Periodus bimensbris duas propositionis partes continens.

(4) Periodus trimembris causalis. de qua §. 23.

(5) Periodus bimensbris contraria.

(6) Periodus simplex.

tium conformabam (1). Quæreret quispiam quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditae sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers cruditi fuerunt (2)? Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen est certum quid respondeam (3). Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturae ipsius habitu prope Divino, per se ipsos, & moderatos, & graves extitisse arbitror; etiam illud adiungo, saepius ad laudem, atque honestatem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam; atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioque doctrinae; tum illud nescio quid praeclarum, ac singulariter solere existere (4). Ex hoc esse hunc número, quem patres nostri viderunt divinum hominem Africanum; ex hoc C. Lelium. C. Funnium, modestissimos homines, & continentissimos; ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum M. Catonem illum senem; qui profecto si nihil ad percipiendam, colendamque virtutem litteris adjuvarentur, nunquam se ad eorum studium contulissent (5). Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam, ac liberalissimam iudicaretis (6).

## PRAXIS DOCTRINAE

### DE ORNATA ORATIONE.

#### PART. I. CAP. II. §. 29. SEQ.

*Ex Accusatione in Verrem, quae Divinatio dicitur.*

AT eam tibi, C. Verres fecit iniuriam, quae ceterorum quoque animos posset alieno incommodo commovere (7)? Mi-  
ni-

(1) Periodus binembris copulativa.

(2) Periodus simplex.

(3) Periodus simplex.

(4) Periodus quadrimembris concessiva.

(5) Periodus item quadrimembris.

(6) Periodus binembris causalis.

(7) Interrogatio ironice expressa, qua utitur, non tam ad rem dubiam quaerendam, quam ad urgendum instandumque, & ad orationem grandiorefficiendam.

nime (1). Nam id quoque ad rem pertinere arbitror, quales iniuria dicatur, quae causa inimicitiarum proferatur. Cognoscite ex me: nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, nunquam proferet. Agonyis est, quaedam Lilybetana (2) liberta Veneris Erycinae; quae mulier ante hunc Quaestorem copiosa planè & locuples fuit. Ab hac Praefectus Antonii quidam, Symphonicos servos abducebat per iniuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. Tum illa, ut mos est in Sicilia omnium Venerorum, & eorum, qui a Veneris se liberaverunt, ut Praefecto illi religionem Veneris nomenque obiceret, dixit se, & omnia sua Veneris esse (3). Ut hoc Quaestori Caecilio viro optimo & homini aequissimo (4) nunciatum est; vocari ad se Agonydem iubet: iudicium dat statim (5), si pateret, eam, se, & sua Veneris esse dixisse. Iudicant recuperatores (6) id quod necesse erat. Neque enim erat cuiquam dubium quin illa dixisset. Iste in possessionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in servitutem adiudicat: deinde bona vendit, pecuniam redigit. Ita dum pauca mancipia Veneris nomine Agonyis, ac religione retinere vult, fortunas omnes, libertatemque suam istius iniuria perdidit. Lilyboeum Verres venit postea: rem cognoscit: factum improbat. Cogit Quaestorem suum pecuniam, quam ex Agonydis bonis redegisset, eam mulieri omnem adnumerare, & reddere. Est adhuc, id, quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Quintus Mutius (7). Quid enim facere potuit elegantius ad hominum exstimationem? aequius ad mulieris levandam calamitatem? Y 2  
he-

(1) cum interrogationi subiicitur responsio, subiectio figura dicitur.

(2) festivam admodum inserit Agonydis narrationem, ut aperte videri possit nullam Caecilium a Verre iniuriam accepisse.

(3) Allusio ad servitium Veneris, cui tam viri, quam feminae superstitione decepti se in Sicilia devovebant. Itaque servi Veneris & ancillae, qui dicebantur, cum servitutis tempus explevisent, rursus libertate donati discedebant.

(4) Ironia.

(5) antiqua iuris forma, idem est, ac dare actionem: hoc est actori permittere, ut iudicium persequatur.

(6) Iudices apud Romanos, qui ad privatas res recuperandas litigatoribus dabantur.

(7) Elegantissima Verres cum Q. Mucio comparatio. Hic cum Propraetor in Asia fuisset, tanta aequitate provinciam administraverat, ut cuncta Asia in eius insigne documentum festa celebraverit Mucia appellata. Antonomastice ita dictum.

hementius ad Quaestoris libidinem coercendam (1)? Summe haec omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente, e vestigio (2), ex homine, tanquam aliquo Circo poculo (3), factus est Verres. Reddit a se, atque ad mores suos. Nam ex illa pecunia magnam partem ad se avertit, mulieri reddidit, quantum visum est. Hic tu si laesum te a Verre esse dices patiar, & concedam: si iniuriam tibi factam quaereris, defendam, & negabo. Deinde de iniuria, quae tibi facta sit, neminem nostrum graviolem vindicem esse oportet, quam te ipsum cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam rediisti, si domi illius aliquoties fuisti, si ille apud te postea coenavit, utrum te perfidiosum, an praevaricatorem existimari mavis? Video esse necesse alterutrum: sed ego tecum non pugnabo quominus utrum velis eligas &c.

## EXEMPLUM STILI ATTICI.

### PART. I. CAP. II. §. 39.

*Ex Sallustii bello Catilinario ubi de Romanorum felicitate post exactos Reges, suo sic more narrat.*

**S**ED civitas incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit: tanta cupido gloriae incesserat (4). iam pri-

(1) Interrogationes mirificum in modum ornant orationem. Quam propria illa tertia! est autem libido in quaque re effrenata cupiditas.

(2) Translatio a vestigium facientis celeritate sumpta. Quod scilicet, nihil pene citius fiat quam vestigium.

(3) Elegans allusio ad id quod lib. 10. Odissaeae refert Homerus, magam quandam Circeem in Sicilia fuisse, quae homines quibusdam potionibus converteret in Sues. Locus certe iocosus est, & quod in Sicilia acciderit utrumque, & quod Verri nomen ad iocum sit valde accommodatus. Romani enim etiam suam non castratum Verrem vocabant. Haec & alia orationis lumina facile quicumque Ciceronis, & aliorum scripta accurate legat suo Marte observabit.

(4) Pauca haec ultima verba uberrimae periodi materiam cuiquam suppeditabunt. Verum hoc presso dicendi genere mira gravitas adiuncta est.

primum iuventus simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis, & militaribus equis, quam in scortis, atque conviviis libidinem habebat. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus, virtus omnia domuerat. Sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat: quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret properabat. Eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem quibus in locis maximas hostium copias pop. Romanus parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret. Sed profecto fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat, obscuratque. Atheniensium res gestae, sicut ego existimo, satis amplae, magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi, magna Scriptorum ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta, pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere praeclara ingenia. At populo Rom. nunquam ea copia fuit: quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat. Ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere, quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare mallebat. Igitur domi, militiaeque boni mores colebantur. Concordia maxima, minima avaritia erat. Ius, bonumque apud eos, non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates, cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus audacia in bello: ubi pax convenerat aequitate seque, remque publicam curabant.

cic. in Oratore cap. 9.

At Atticorum igitur aures teretes, & religiosas, qui se accommodant, ii sunt existimandi Attice dicere. Quorum genera plura sunt, hi, unum modo quale sit suspicantur. Putant enim, qui horride, inculteque dicat, modo id eleganter, enucleateque faciat, eum solum Attice dicere. Errant, quod solum, quod Attice non fallunt. Istorum enim iudicio, si solum illud esset Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice, cui primae sine controversia deferebantur. Qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane Poëta, fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Dicat igitur Attice venustissimus ille scri-

ptor, ac politissimus Lysias. Quis enim id possit negare? dum intelligamus hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens, aut ineptum. Ornate vero, & graviter, & copiose dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Aesquines, neve Demosthenes Atticus.

Ecce autem aliqui se Tucydidios esse profitentur; novum quoddam imperitorum, & inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum, atque grandem, subtilem, & elegantem tamen, & qui in Forensibus causis possit praeclare consistere. Tucydides autem, res gestas, & bella narrat, & praelia, graviter sanè & probè; sed nihil ex eo transferri potest ad Forensem usum, & publicum. Ipsae illae conciones, ita multas habent obscuras, abditasque sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione vitium vel maximum. Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur? Quis porro unquam Graecorum Rhetorum a Tucydide quidquam duxit? At laudatus est ab omnibus: fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis, non ut in iudiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator. Nec vero, si Historiam non scripsisset, nomen eius non extaret, cum praesentim fuisset honoratus, & nobilis. Huius tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur. Sed cum mutila quaedam, & hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Tucydidas. Nactus sum etiam qui Xenophontis similem esse se cuperet: cuius sermo est ille quidem melle dulcior; sed a forensi strepitu remotissimus &c.

*NOTA.* Cum ex Sallustii historia stili Attici verè Atticum proposuerimus, nostro saltem iudicio, exemplum, cuius dictioni nihil temere addi possit, nihil detrahi, nihil mutari: caput hoc etiam ex oratore describi curavimus, ut non nihil discriminis Heinecii inter & Ciceronis de Attico stilo iudicium animadverti facile possit. Nam cum p. I. c. 2. §. 39. stili Attici breviter, tumoris, & adfectionis fugam, acumen, elegantiam, virtutes Heinecius enumeret, nihilque de copia, de ornato, de gravitate adiecerit, in quibus Atticum Tullius characterem constituit; videtur cum Heinecio, eloquentiae parens, immo eloquentiae de se ipsa iudicium hoc loco, auctoritasque pugnare. Deinde in Tucydidis Xenophontis, & Lysiae iudicio idem potest discriminis ostendi. Quod satis sit indicasse.

EXEM-

## EXEMPLUM STILI RHODII

PART. I. CAP. II. §. 41.

*Ex T. Livio lib. 22. sec. 88.*

**A**S hoc sermone profectum Paullum tradunt, prosequentibus primoribus Patrum. Plebeium Cons. sua plebs prosequuta, turba, quam dignitate conspexerat. Ut in castra venerunt, permixto novo exercitu ac vetere, castris bifariam factis, ut nova minor propius Hannibali, in veteribus maior pars, & omne virium robur esset: tum anni prioris Cons. M. Atilium, aetatem excusantem Romam miserunt. Cn. Servilium in minoribus castris legioni Romanae, & socium peditum, equitumque duobus millibus praeficiunt. Hannibal, quanquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat; tamen adventu Cons. mire gaudere. Non solum enim nihil ex raptis in dies comeatibus superabat, sed ne unde raperet quidem, quiddam reliqui erat. Omni undique frumento, postea quam ager parum tutus erat, in urbes munitas convecto: ut vix decem dierum, quod compertum postea est, frumentum superesset: Hispanorumque, ob inopiam, transitio parata fuerit; si maturitas temporis expectata foret. Ceterum temeritati Con. ac praepropero ingenio, materiam etiam fortuna dedit: quod in prohibendis praedatoribus tumultuario praelio, ac procurso magis militum, quam ex praeparato, aut iussu Imperatorum orto, haud quaquam par Peni ea dimicatio fuit. Ad MDCC. caessi; non plus C. Romanorum, sociorumque occisis. Ceterum victoribus effusse sequentibus, metu insidiarum obstetit Paullus Cons. cuius eo die, nam alternis imperitabant, imperium erat. Varrone indignante, ac vociferante, emissum hostem e manibus debellarique, ni cessatum foret, potuisse. Hannibal id damnum haud aegerrime pati; quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris Cons. ac novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium, haud secus, quam sua nota erant: dissimiles, discordesque imperitare: duas prope partes tironum militum in exercitu esse. Itaque locum, & tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima nihil praeter arma ferentes secum milites ducens, castra plena omnis fortunae publicae privataeque relinquit; transque proximos montes leva pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per cornua in medium agmen traducit, ut diripiendis, velut desertis fuga dominorum castris occupatum, impeditum-

Y 4

que

que hostem opprimeret. Crebri relictis in castris ignes, ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga praeriperet, falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis Cons. voluisse &c.

---

*DE STILO ASIATICO.*

PART. I. CAP. II. §. 40.

**A**SIATICUM dicendi genus, uti & Laconicum inter orationis vitia ab omnibus recensetur. Ita cum Laconici exemplum etiam in sua Sylloge praetermiserit Heinkeius noster: nos quoque etiam Asiatici paradigma omisimus, ne forte Ciceroni, quem Asiaticum plerumque nonnulli faciunt, inflatae, tumentis, aut superfluentis vitium orationis nimium critice tribueremus.

---

*EXEMPLUM STILI TENUIS.*

PART. I. CAP. II. §. 44.

*Ex C. Iul. Caesare de bello civili lib. 1. cap. 8.*

**C**OGNITA Militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur, ibique Tribunos plebis, qui ad eum confugerant convenit: reliquas legiones ex hibernis evocat, & subsequi iubet. Eo L. Caesar adolescens venit, cuius Pater Caesaris erat legatus: is reliquo sermone confecto, cuius rei causa venerat, habere se a Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat. Velle Pompeium se Caesari purgatum; ne ea, quae reip. causa egerit, in suam contumeliam vertat; semper se reip. commoda privatis necessitatibus habuisse potiora; Caesarem quoque pro sua dignitate debere, & studium, & iracundiam suam reip. dimittere, neque adeo graviter irasci inimicis, ne dum illis nocere se speret, reip. noceat. Pauca eiusdem generis addit cum excusatione Pompeii coniuncta. Eadem fere, atque iisdem de rebus Praetor Roscius agit cum Caesare, sibi Pompeium commemorasse demonstrat.

Cap. 9.

Cap. 9.

Quae res etsi nihil ad levandas iniurias pertinere videbantur, tamen idoneos nactus homines, per quos ea, quae vellet ad eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeii mandata ad se detulerint, ne graventur sua quoque ad eum postulata deferre; si parvo labore magnas controversias tollere, atque omnem Italiam metu liberare possent: sibi semper Reip. primam fuisse dignitatem, vitaque potiore: doluisse se, quod populi Rom. beneficium, sibi per contumeliam extorqueretur: ereptoque semestri Imperio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi proximis comitiis populus iussisset. Tamen hanc honoris iacturam sui reip. causa, aequo animo tulisse: cum litteras ad Senatum misserit, ut omnes ab exercitiis discederent, ne id quidem impetravisse. Tota Italia delectus haberi, retineri legiones duas, quae ab se simulatione Partici belli sint abductae: civitatem esse in armis. Quoniam haec omnia nisi ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reip. causa; proficiscatur Pompeius in suas Provincias, ipsi exercitus dimittantur; discedat in Italia omnes ab armis, metus e civitate tollatur, libera comitia atque omnis respublica Senatui populoque Rom. permittatur. Haec quo facilius certisque conditionibus fiant, aut ipse propius accedat, aut se patiatur accedere fore uti per colloquia omnes controversiae componantur.

---

*EXEMPLUM STILI MEDIOCRIS.*

AD PART. I. CAP. II. §. 45.

*Ex Livii Histor. lib. 24. sect. 23.*

*Quinti Fabii Max. de optimis Magistratibus ad bellum cum Hannibale deligendis.*

ORATIO.

**S**I, aut pacem in Italia, aut bellum cum eo hoste haberemus in quo negligentiae, aut erroris locus esset, qui vestri studii, quae in campum ad mandandos, quibus vellitis honores afferitis, moram ullam offerret, is mihi parum meminisse videretur vestrae libertatis. Sed cum in hoc bello cum hoc hoste nunquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit; eadem

dem

dem vos cura, qua in aciem armati descenditis inire suffragium ad creandos Consules decet, & sibi sic quemque dicere: Hannibali imperatori parem Consulem nomino: Hoc anno ad Capuam Iubelio Taureae Campano summo equiti provocanti, summus Romanus eques Assellus Claudius oppositus. Adversus Gallum quendam provocantem, in ponte Anienis Manlium fidentem animo, & viribus misère maiores nostri. Ob eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur arma capienti adversus similiter provocantem ad certamen Gallum. Quemadmodum pedites, equitesque optamus, ut validiores, si minus, ut pares hosti habeamus: ita Duci hostium parem imperatorem quaeramus. Cum, qui est summus in civitate dux, eum legerimus, tum repente lectus, in annum creatus adversus veterem, ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis, neque iuris inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat, administretque, ut tempora postulabunt belli. Nobis autem in apparatu ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur. Quoniam quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum; restat, ut pauca de eis, in quos praerogativae favor inclinavit, dicam. M. Aemilius Regilus flamen est Quirinalis, quem neque mittere a sacris, neque retinere possumus, ut non Deum, aut belli deseramus curam. Otacilius sororis meae filiam uxorem, atque ex ea liberos habet. Ceterum non ea vestra in me, maioresque meos merita sunt, ut non potiore privatis necessitudinibus republicam habeam. Quilibet nautarum, vectorumque, tranquillo mari gubernare potest: ubi saeva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro, & gubernatore opus est. Non tranquillo navigamus, sed iam aliquot procellis submersi pene sumus. Itaque quis ad gubernacula sedeat, summa cura providendum, ac praecavendum nobis est. In minore experti T. Otacili operam tuam sumus; haud sane, cur ad maiora tibi fidamus documentum quidquam dedisti. Classem hoc anno, cui tu praefuisti trium rerum causa paravimus: ut Africae oram popularetur: ut tuta nobis Italiae litora essent: ante omnia ne supplementum cum stipendio, comaeque ab Carthagine Hannibali transportaretur. Create consulem T. Otacilium; non dico, si omnia haec, sed si eorum aliquid reipublicae praestitit. Sin autem, te classem obtinente, velut pacato quaelibet Hannibali tuta, atque integra ab domo venerunt: si ora Italiae infestior hoc anno quam Africae fuit, quid dicere potes, cur te potissimum ducem Hannibali hosti opponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo maiorum nostrorum

rum censeremus. Nec tu id indignari posses, aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi, quam te magis: nullius interest, quam tua T. Otacili, non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas. Ego magnopere suadeo, eodem animo, quo, si stantibus vobis, in aciem armatis, repente deligendi duo imperatores essent, quorum ductu, atque auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis, quibus sacramenta liberi nostri dicant: ad quorum edictum conveniant: sub quorum tutela atque cura militent. Lacus Thrasimenus & Cannae triste ad recordationem exemplar: ut ad praecavendum simile; utiles documento sunt.

---

EXEMPLUM STILI SUBLIMIS.

AD PART. I. CAP. II. §.46.

Ex Cic. orat. pro leg. Manil.

Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam, aut fuit, aut esse debuit? qui e ludo, atque pueritiae disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus ad patris exercitum, atque in militiae disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator: qui saepius cum hoste conflictit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt: cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis praecceptis sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est traducta. Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense mixtum ex civitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia, & diversa genera bellorum, & hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta; nullam rem esse declarant in usu militari positam, quae huius viri scientiam fugere possit.

Iam vero virtuti Cn. Pompeii, quae potest par oratio inveniri? Quid est quod quisquam, aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Non enim illae

sunt



sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute, & consilio confessus est liberatam: testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit: testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit: testis est Gallia per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum interfectione patefactum est: testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc uno superatos, prostratosque conspexit: testis est iterum, ac saepius Italia, quae cum servili bello tetro, periculosoque premeretur; ab hoc auxilium absente expetivit; quod bellum expectatione Pompeii attenuatum, atque imminutum est, adventu sublatum, ac sepultum: testes vero iam omnes orae, atque omnes exterae gentes, ac nationes; denique maria omnia, tum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hosce annos, aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? quis navigavit, qui non se, aut mortis, aut servitutis periculo committeret? Cum aut hyeme, aut referto praedonum mari navigaretur. Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum, atque dispersum, quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis, ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? Quem socium defendistis? Cui praesidio classibus vestris fuistis? Quam multas existimatis insulas esse desertas? Quam multas, aut metu relictas, aut, a praedonibus captas urbes esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro?

## LOCUS COMMUNIS.

AD PART. I. CAP. III. §. II 12.

*Ex Cic. orat. pro M. Marcel. cap. 2.*

Nullus est tantum flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quae non dicam exornare sed enar-

enarrare C. Caesar res tuas gestas possit (1): tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliore, quam eam, quam hodierno die consequutus es (2). Soleo semper ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus; omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero praeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec similitudine bellorum posse conferri. Nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratae sunt. Quae quidem ego, nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim (3). Sed tamen sunt alia maiora (4). Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, comeatus multum iuvant, maximam vero partem, quasi iure suo fortuna sibi vindicat, & quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum (5). At vero huius gloriae C. Caesar, quam es paulo ante adeptus socium habes neminem: totum hoc, quantumcumque est, quod certe est maximum, totum est inquam tuum: nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se gloriae societatem non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur (6). Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur (7). Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas; omni copiarum genere abundantes: sed tamen, ea vicisti, quae & naturam, & conditionem, ut vinci possent habebant (8). Nulla est enim tanta vis, tantaque copia, quae non ferro, ac vi-

(1) Thesis ad universam Caesaris laudem pertinens.

(2) Loci huius propositio maiorem esse clementiae, quam rerum bello gestarum laudem.

(3) Illustratio thesis eloquentissima.

(4) Rursus reddit ad peculiarem loci propositionem.

(5) Prima Etyologia, sive probatio.

(6) Alia, ab illustratione.

(7) Tertia, cum sententia gravissime usurpata.

(8) Aliter expressus locus facilius bella quam animi affectus vinci possunt.

viribus debilitari, frangique possit (1). Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium, nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico (2). Itaque C. Caesar bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium litteris, atque linguis, neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res nescio quomodo, etiam dum audiuntur, aut leguntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono: at vero cum aliquid clementer, mansuete, iuste moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, & in victoria, quae natura insolens & superba est, audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus diligamus (3)? Te vero, quem praesentem intuemur &c.

## SYLLOGISMUS ORATORIUS.

### PART. I. CAP. III. §. I 3. SEQ.

*Ex Cic. de inv. Rhet. lib. 1. cap. 38. 39.*

Quinque sunt igitur partes eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur. Propositio, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis; propositionis approbatio, per quam id quod breviter expositum est, rationibus affirmatum probabilius, & apertius fit; assumptio, per quam id quod ex propositione ostendendum pertinet assumitur; assumptionis approbatio per quam id quod assumptum est rationibus affirmatur; complexio per quam id quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus: secunda est quadripartita: tertia tripartita. Dein bipartita, quod in controversia est. De una quoque parte

(1) Huius propositionis probatio.

(2) Loci propositio quae probatione non indiget.

(3) Eaedem propositiones duabus sequentibus periodis ab illustratione confirmantur.

te potest alicui videri, posse argumentationem consistere.

Eorum igitur, quae constant exempla proponemus, horum quae dubia sunt rationes offeremus. Quinque partita argumentatio est eiusmodi. Omnes leges, iudices, ad commodum reip. referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex descriptione, quae in litteris est interpretari. Ea enim virtute, & sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis, nihil sibi aliud, nisi salutem, atque utilitatem reip. proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant, & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvae esse vult, sed reip. quod ex legibus omnes respublicas optime putant administrari. Quamobrem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari convenit: hoc est quoniam reipublicae servimus, ex reipublicae commodo, & utilitate leges interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectat, quoniam eius causa est instituta, sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicae conducatur, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatae. Ergo in hoc quoque iudicio desinite litteras legis perscrutari; & legem, ut aequum est, ex auctoritate reip. considerate. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacaedemonios opprimi? Quid magis Epaminondam Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro, atque exornato tropaeo carius atque antiquius habere convenit? scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Atque hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem, nisi reip. causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset reip. salutis causa, id non ex reip. salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem reip. referri convenit; hic autem saluti Reip. profuit, profecto non potest eodem facto, & communibus fortunis consuluisse, & legibus non optemperasse.

Quatuor autem partibus constat argumentatio, cum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id facere oportet, cum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio perspicua est, & nullius approbationis indiget. Propositionis approbatione praeterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Iudices, qui ex lege Iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis: obtemperare autem legibus non potestis, nisi, quod scriptum est in lege sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suae relinque-

quere potuit, quam quod ipse magna cum cura, ac diligentia scripsit? Quod si litterae non extarent, magnopere eas requireremus, ut ex his, scriptoris voluntas cognosceretur: nec tamen Epaminondae permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, ne dum nunc istud patiamur, cum praesto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suae causae convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quod si vos Iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non potestis, nisi quod scriptum est in lege sequamini, quid causae est quin istum contra legem fecisse iudicetis?

Assumptionis autem approbatione praeterita, quadripartita sic fiet argumentatio: Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit praeter nosmetipsos, quem iure accusare possimus. Ac primum quidem decipi incommodum est, iterum stultum: tertium turpe: Carthaginenses autem persaepe iam nos fefellerunt: summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis.

Utraque approbatione praeterita tripartita fit: hoc pacto: aut metuamus Carthaginenses oportet, si incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbem diruamus: ac metuere quidem non oportet; restat igitur, ut urbem diruamus &c.

## EPISTOLA FAMILIARIS.

### PART. II. CAP. I.

*Ex M. T. Cic. epist. fam. lib. 10. ep. 3.*

CUM ipsum Furnium per se vidi libentissime (1), tum hoc libentius, quod illum audiens, te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in administranda provincia iustitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit, & praeterea mihi non ignotam in consuetudine, & familiaritate, suavitatem tuam adiunxit, praeterea summam erga se liberalitatem. Quae omnia mihi iucunda; hoc extremum etiam gratum fuit.

(1) Nulla hic primaria propositio regnat: aucupatur partim laudibus Planci benevolentiam:

fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui (1) cum domo vestra ante aliquanto, quam tu natus es; amorem autem erga te ineunte pueritia tua; confirmata iam aetate familiaritatem, cum studio meo, tum iudicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faveo dignitati tuae, quam mihi tecum statuo esse communem. Omnia summa consequutus es virtute duce, comite fortuna: eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus; quos ingenio industriaque fregisti. Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies; omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo reipublicae statu acquires. Scis profecto (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus cum homines existimarent, te nimis servire temporibus: quod ego quoque existimarem, si te, ea, quae patiebare, probasse etiam arbitrarer. Sed cum intelligerem, quid sentires, prudenter te arbitraber videre, quid posses. Nunc alia ratio est omnium rerum. Tuum iudicium est, idque liberum. Consul es designatus optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate reip. virorum talium (2). Incumbe, per Deos immortales, in eam curam, & cogitationem, quae tibi summam dignitatem, & gloriam afferat. Unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos rep. devexata, reip. bene gerendae cursus ad gloriam. Haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quod arbitrarer te, monitis, & praeceptis meis egere. Sciebam enim, ex iisdem te, haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Hoc tantum significandum putavi, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiose, diligenterque curabo.

## EPISTOLAE ELABORATIORIS EXEMPLUM.

### AD PART. II. CAP. I.

*Ex Fam. epist. Cic. lib. 5. ep. 12.*

CORAM me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam pene subrusticus; quae nunc expromam absens

(1) Partim commemoratione veteris amicitiae.

(2) Ut temp. suscipiat hortatur: hoc sibi propositum superioro-

sens audacius; Epistola enim non erubescit. Ardeo (1) cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. Quod, etsi mihi saepe ostendis te esse (2) facturum; tamen ignoscas vellim huic festinationi meae. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer expectatum, tamen vicit opinionem meam; neque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quamdam immortalitatis rapit; sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonii tui, vel iudicio benevolentiae, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur. Neque tamen haec cum scribebam eram nescius quantis honoribus premerere susceptarum rerum, & iam institutarum: sed quia videbam Italici belli, & civilis hostiorum iam pene a te esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri; deesse mihi nolui (3), quin te admonerem, ut cogitares, coniuncte ne mallet cum ceteris rebus nostra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt (Calisthenes Troicum bellum, Timaeus Pirri, Polibius Numantinum); qui omnes a perpetuis suis historiis ea, quae dixi, bella separaverunt; tu quoque item civilem coniurationem ab hostilibus, externisque bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare, dum ad locum venias; ac statim causam illam totam, ac tempus arripere. Et simul, si uno in argumento, unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura sint. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui

priores propositiones, tum laudes, tum amicitiae commemoratio volunt. Plures plerumque res epistola posse familiari complecti, iam supra observavit Heineticus partis secundae capite 1.

§. 4.

(1) Primaria propositio unica, quae per totam regnat epistolam, tantis & tam apte petitis ab eloquentia argumentis, ut hanc merito nonnulli epistolam omnium Reginarum epistolarum adpellitare non dubitent.

(2) Festinationem excusat suam cum scriptorum Luccii commendatione. Simul causas festinationis ab ipsius Luccii laudatione profert.

(3) Hortatur ab exemplo, ut coniurationis tempus separatim in scribendo suscipiat. Certe hoc in tempore Ciceronis prudentia tum in patefaciendis, tum in extirpandis coniuratorum furoribus enituit.

primum tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua), deinde etiam, ut ornas me postulem. Quid si illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen qui semel verecundiae fines transierit, eum bene, & naviter oportet esse impudentem. Itaque te plane, etiam atque etiam rogo, ut & ornas ea vehementius etiam, quam fortasse sentis, & in eo leges historiae negligas (1); gratiamque illam, de qua suavissime, quodam in prooemio scripsisti, a qua te affici non magis potuisse demonstras; quam Herculem Xenophontium illum a voluptate: ea, si me tibi vehementius commendarit, ne aspernere; amorique nostro, plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare.

Quod si te adducemus (2), ut hoc suscipias: erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate, & copia tua. A principio enim coniurationis usque ad redditum nostrum, videtur mihi, modicum quoddam corpus confici posse. In quo & illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cum & reprehendes ea, quae vituperanda duces, & quae placebunt exponendis rationibus comprobabis; & si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditorem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt (3), plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae. Habet enim praeteriti doloris secunda recordatio delectationem. Ceteris vero nulla perfunctis propria molestia; casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum

(1) Quam avidus gloriae fuerit Tullius vel ex hoc uno animadverti potest; qui usque eo de suis rebus cum laude scribi cuperet, ut in eo etiam historiae leges negligere Luccium hortaretur.

(2) Quaecumque Catilinae coniurationem illustrare atque augere posse videntur eloquentissime colligit, ut ex rei dignitate Luccium vehementius movere posset.

(3) Casus varios fortunae suae monet ut accuratius persequatur, mirifico Epaminondas exemplo: adeo ut ex adversis laudem etiam aucupari velit. Non minus enim vel plus etiam adversae res, quam prosperae spectatum virum, & commendandum quemquam faciunt.

quadam miseratione delectat? Qui tum denique sibi avelli iubet spiculum, postea quam ei percontanti dictum est clypeum esse salvum: ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moriretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga, nitidique retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum. At viri saepe excellentis ancipites, varique casus habent admirationem, expectationem, laetitiam, modestiam, spem, timorem: si verò exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimae lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc, quasi fabulam rerum, eventorumque nostrorum. Habet enim varios actus, multasque actiones, & consiliorum, & temporum (1). Ac non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonstrarem, me a te potissimum ornari, celebrarique velle. Neque enim tu is es qui quid sis nescias, & qui eos non magis, qui te non admirarentur invidos, quam eos, qui laudent, assentatores arbitrare. Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propiam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi, & a Lysippo fingi volebat, sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriae fore putabat. Atque illi Artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant; quae vel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Nec minus est Spartiatis Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse, quam qui in eo genere laborarunt. Unus enim Xenophontis libellus in eo Rege laudando, facile omnes imagines omnium, statuasque superavit (2). Atque hoc praestantius mihi fuerit, & ad laetitiam animi, & ad memoriae dignitatem, si in tua scripta pervenero, quam si in ceterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timaeo, aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam auctoritas clarissimi,

&

(1) Assentationem si qua legentibus videretur excusat, atque ex ipsius laude, quanta ad ipsum esset scriptorem redundatura Alexandri, & aliorum exemplis proponit. arg. de m. ad maius.

(2) Auctoritatem Luceii, & industriam in scribendo extollit; docens exemplis, non tantum sibi scribendi artem, quam iudicium tanti viri expetendum existimare.

& spectatissimi viri, & in rep. maximis, gravissimisque causis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solum praeconium, quod cum in Sigaeum venisset Alexander, ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis, magnique videatur. Placet enim Hector ille mihi Naevianus; qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam a laudato viro. Quod si a te non impetro (1) hoc est, si qua te res impederit, neque enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem abs te non impetrare, cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me: multorum tamen exemplo, & clarorum virorum: sed quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia, & verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, & praetereant si quid forte reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant, verecundiores esse praecones ludorum Gymnicorum, qui cum ceteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse praedicent. Haec nos vitare cupimus: & si recipis causam nostram vitabimus, idque ut facias rogamus. Ac ne forte mirere cur cum mihi saepe ostenderit te accuratissime nostrorum temporum consilia atque eventus litteris mandaturum, a te id nunc tantopere & tam multis verbis petamus; illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi festinationis, quod alacres animo sumus, ut & ceteri viventibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi vivi gloriola nostra perfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium. Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar, tu interea non cessabis: & ea quae habes instituta perpolies, nosque diliges.

### C. Plinii Secundi Panegyrici Traiano dicti

#### EXORDIUM.

I. BENE, ac sapienter, P. C. maiores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere; quod

Z 3

ni

(1) Denique ut acrius Luceium commoveat, se vero de se ipso scripturum minitatur. Simulque quae in hoc genere vituperari soleant, peracute ob oculos ponit, ut nihil ad Luceium permovendum praetermississe videatur.

nihil rite, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Qui mos, cui potius, quam Consuli? aut quando magis usurpandus, colendusque est, quam cum imperio (1) Senatus, auctoritate reipublicae, ad agendas optimo principi gratias excitamur? Quod enim praestabilis est, aut pulcrum munus Deorum, quam castus, & sanctus, & Diis simillimus Princeps (2)? Ac, si adhuc dubium fuisset forte, casuque rectores terris, an aliquo numine darentur: principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Iove ipso coram, ac palam repertus est: electus quippe inter aras, & altaria, eodemque loci, quo Deus ille tam manifestus, ac praesens, quam coelum, ac sidera insedit. Quo magis aptum, piusque est, te Iup. opt. max. antea conditorem, nunc conservatorem imperii nostri precari, ut mihi digna Consule, digna senatu, digna Principe contingat oratio: utque omnibus, quae dicentur a me, libertas, fides, veritas constet; tantumque a specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest a necessitate.

II. Equidem non Consuli modo, sed omnibus civibus enitendum reor, ne quid de Principe nostro ita dicant, ut idem illud de alio dici potuisse videatur. Quare habeant, ac recedant, voces illae, quas metus exprimebat: nihil quale ante dicamus: nihil enim, quale antea patimur: nec eadem de Principe palam, quae prius praedicemus; nec enim eadem secreto loquimur, quae prius. Discernatur orationibus nostris diversitas temporum, & ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint actae. Nusquam, ut Deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de Tyranno, sed de cive, non de Domino, sed de Parente loquimur. Unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat; nec minus hominem se, quam hominibus praesse meminit. Intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illis usu probemus: atque idemidem cogitemus, quam sit indi-

(1) Discedit a veteribus formulis, in quibus non temere *imperare* dicitur senatus; sed *placet senatui, senatus fit auctor*. Nimirum partim blanditur senatui, partim, quod toto hoc libello agit, auctoritatem huius ordinis ita amplificatum, ut mirari subeat interdum aequitatem animi in Traiano maiorem fuisse, quam temere a Principe expectes, qui vel probaverit ista, vel tulerit, vel contemserit. Gesnerus.

(2) Stoicae virtutis apex: Deo similem esse. Ita statim ex eadem philosophia casum excludit, commendat providentiam. Idem.

dignum, si malus Principibus praestemus obsequium, qui servitute civium, quam qui libertate laetantur. Et populus quidem Rom. dilectum principem servat, quantoque paullo ante contentu formosum alium (1), hunc fortissimum personat: quibusque aliquando clamoribus gestum alterius, & vocem, huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. Quid nos ipsi? Divinitatem Principis nostri? An humanitatem, temperantiam, facilitatem, ut amor, & gaudium tulit, celebrare universi solemus? Iam, quid tam civile, tam senatorium quam illud additum a nobis optimi cognomen? quod peculiare huius & proprium arrogantia priorum principum fecit. Enim vero quam commune, quam ex aequo, quod felices nos, felicem illum praedicamus? Alternisque votis, haec faciat (2), haec audiat, quasi non dicturi, nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam, ac multo pudore suffunditur: agnoscit enim, sentitque, sibi, non Principi dici.

III. Igitur, quod temperamentum, omnes in illo subito pietatis calore servabimus, hoc singuli, quoque, meditati teneamus: sciamusque nullum esse, neque sincerius, neque acceptius genus gratiarum, quam, quod illas acclamationes aemuletur, quae fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet laborabo, ut orationem meam ad modestiam Principis, moderationemque submittam, nec minus considerabo, quid aures eius pati possint, quam quid virtutibus debeatur. Magna, & inusitata Principis gloria, cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium putet. Haec me cura, haec difficultas sola circumstat: nam merenti gratias agere facile est P. C. Non enim periculosum est, ne cum loquar de humanitate, exprobari sibi superbiam credat; cum de frugalitate luxuriam, cum de clementia crudelitatem, cum de liberalitate avaritiam, cum de benignitate livorem, cum de continentia libidinem, cum de labore inertiam, cum de fortitudine timorem (3). Ac ne illud quidem vereor, ne gratus, ingratusve videar, prout satis, aut parum dixero. Animadverto enim, etiam Deos, ipsos non tam accu-

Z 4

ra-

(1) Domitianum pulcrum, & decentem vocat, & plura ea de re commemorat Suetonius c. 18. Pulcritudinis causa etiam Apollinis nomen, & insignia, ipse, & Nero affectabant, qui *formosus* est: ad Neronem etiam pertinet gestus & vox laudata, cuius insaniae plura specimina dat Suetonius a cap. inde 20.

(2) Haec opera digna optimo Principe semper faciat Traianus, haec nomina, hos titulos, has laudes semper *audiat*.

(3) Antithesis cum contraria contrariis opponuntur.

ratis adorantium precibus, quam innocentia, & sanctitate laetari, gratioresque existimari, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quam qui meditatam (1) carmen intulerit.

IV. Sed parendum est Senatus consulto, quo ex auctoritate publica placuit, ut Cons. voce boni Principes, quae facerent recognoscerent, mali, quae facere deberent. Id nunc eo magis solemne, ac necessarium est, quod Parens noster privatas gratiarum actiones cohibet, & comprimit: intercessurus (2) etiam publicis, si permetteret sibi sibi vetare, quod senatus iuberet. Utrumque, Caesar Aug. moderate: & quod alibi gratias agi non sinis, & quod hic sinis. Non enim a te ipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur. Cedis affectibus nostris, nec nobis munera tua praedicare, sed audire tibi necesse est.

*Explicit Exordium.*

V. (3) Saepe ego mecum P. C. tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cuius ditone, nutuque maria, terrae, pax bella regerentur, cum interea fingenti, formantique mihi Principem, cuius aequata Diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic quem videmus. Enituit aliquis in bello: sed obsolevit in pace. Alium toga, sed non & arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humilitate captavit; ille quaesitam domi gloriam in publico: hic in publico partam domi perdidit. Postremo adhuc nemo extitit, cuius virtutes non aliquo vitiorum confinio laederentur. At Principi nostro, quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriae contigit? ut nihil severitati eius hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahitur! Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris; ad hoc aetatis inflexa maturitas, nec sine quoddam munere Deum festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata caesaries nonne longe, lateque Principem ostentant?

(1) Meditatum car. formulam verbis conceptis certis & omnium usu receptis expressam.

(2) Tribunitiae potestatis verba commode hic adhibita cum eam habuerit Imperator.

(3) Hinc rei narratio incipit, qua totum laudum genus coaercentim proponit; ad quas singillatim deinde quasi totidem hypotheses descendit. Illud tamen hoc loco praeteriri nullo modo potest, quod Analytica (quod aiunt) methodo Panegyricus elaboratus est; ab ipsius enim adoptione, deinde ad res in adoptione vivo adhuc Nerva gestas, ad eas denique quas in Imperio gessit ordine historico procedit.

DE

## DE UTILITATE, AC PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM

ADVERSUS QUOSDAM EARUM VITUPERATORES.

*Ex Marc. Anton. Muret. orat. 3. Exemplum declamationis.*

AD PART. II. CAP. II.

PERMULTOS esse intelligo (1), qui de his litteris, quae humaniores vocantur, eam animo imbiberent sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse, ac nugatorium existiment; neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas iuventuti tradant, aut eorum magnopere fructuosam esse Reip. industriam; in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam haustamque de triviis, ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego, quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam; neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut maiores in republica pariant fructus, doctrinae denique a nullo hominum genere, maiorem, aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, Patres amplissimi, vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu, atque ab intolerabili ineruditorum hominum insolentia vindicare.

Et vero, quid aut hoc tempore, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae mihi studia celebritatis aliquid, tum aliis in locis, tum hac ipsa in civitate pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulam-

cum-

(1) De laudibus litterarum humaniorum contra earum vituperatores acturus: exorditur ab adversariorum adiunctis, contra quos sermonem instituit; deinde orationi commendationem ab ipsius oratoris partibus conciliat; ad hoc abiudicum persona benevolentiam captat, qui humaniores litteras mirificis iudiciis honestarunt: postremo brevitate propositionis, & expedito rei genere attentos facit auditores & iudices.

cumque profluxi hominum famam, iis quoque vicissim oratione mea, splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? Praesertim, cum, qui hoc litterarum genus asperrantur facere nullo modo possint; quin de vestra Patres amplissimi, singulari, spectataque in omnibus rebus ac paene divina sapientia non nihil eadem superbia detrahant.

Etenim, si haec tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt, quae vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publicis libellis, studiosorum animos ad nobilem illam ingenii, doctrinaeque contentionem excitaretis; utque iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aerario decerneretis? Quae certe una res, ad coercendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat: ut si hebetiores eos natura, stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro, talium virorum iudicio probatum foret, magnum esse aliquid, ac praeclarum suspicarentur.

Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum est; adeste animis, mihi que breviter ostendenti, quam varia, quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eademque opera, quantos ex eorum navitate, atque industria, respublica percipiat fructus; non aures modo, sed mentes quoque attentas quaeso paulisper adhibete (1).

(2) Atque adeo, ut haec tota controversia melius diiudicetur, operae pretium est initio, quaenam sit istorum contemptorum humanitatis oratio cognoscere. Qui, quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere maioris momenti negotium adhiberi vident, non ad iudicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam; facile in eam opinionem prolabantur, ut ab eis, praeter poéticas quasdam fabulas, ad pueriles animos hilarandos compositas & aliquot levia, comendae, ac poliendae orationis praecepta; nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquirunt, in puerorum consensu de eiusmodi figmentis commorari, ac modo de Thebano, modo de Troiano bello, modo de Ulixis, aut Aeneae erroribus, molli, & ad inanem oblectationem composito sermonis genere disserere? idemdemque, velut e quibusdam arculis accommodata colorandae

(1) Explicit exordium.

(2) Adversariorum argumenta loco narrationis proponit, qui leve prosus & inutile ministerium humaniores docere litteras arbitrantur.

dae orationis pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio est, scire quot navibus Graeci ad oppugnandum Illium accesserint? quot filios habuerit Priamus? Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae simulacrum, ut Euripides prodidit? Quod emolumentum ex istorum omnium scientia, quod detrimentum ex ignoratione percipi (1) potest?

(2) Nam ceterarum quidem artium professores, quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim Dialecticos spectes, ab his certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio & tenere, & alios docere prae se ferunt. Quid Phisici? qui rerum principia, causasque tractant; qui quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum fulminum, tempestatumque causas, qui corporum coelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones, qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras, qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quae gignuntur e terra naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis coelo, mari, terra, ut poetae loquuntur, praetermissa sit; haec cum tractant mediocriter ne reip. prosunt?

Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt Philosophiae partem in qua de rebus expetendis, fugiendisque diseritur (3): ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat; quot sint virtutum, quotque vitiorum genera, quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quomodo exultanti, iactantique se & detrectanti rationis imperium frenos iniicere oporteat cupiditati; tum quomodo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo, quo nihil pulcrius, nihil praeclarus, nihil denique divinius, ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandae sunt civitates; quibus illae modis fundari atque institui,

(1) Explicit narratio.

(2) Confirmationis loco adversariorum argumenta ex huius, cum ceterarum artium professoribus comparatione illustrantur.

(3) De Morali Philosophia sermo instituitur.



quibus augeri, atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint. O res praeclaras, & ardentissimo studio; summaque corporis atque animi contentione dignissimas! o vitae Philosophia gubernatrix! o virtutum omnium Prens! vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere: tuum est omnem inanitatem, & errorem amputare, ac circumcidere: tuum est vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere. Merito divinus Plato nihil te praestantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum Architecti; perfricent frontem, si quam habent, & se ulla ex parte cum Philosophiae doctoribus conferendos esse praedicent. Qui si aliud forte paulo abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quam piam paulo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant: nonnumquam etiam de eiusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris & focis certamen suscepisse videantur (1).

(2) Haec fere est, Patres amplissimi eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio; qui, quod Philosophiam laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus faciunt; nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet, plurisque faciat: quod autem nullum censent, studiis atque artibus nostris, cum ea esse commercium, in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus sum intelligitur. Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus nihil aliud a nobis, quam poëticas quasdam fabulas, & exornandae orationis praecepta tradi: non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, & ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio, quam ad puerorum animos, vana quadam oblectatione demulcendos referri (3). Etenim Poëtarum fabulae, quas isti tantopere exagitant, & insectantur, non levia quaedam, & frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; immo vero sub eis velut involucris, & quasi in tegumentis omnis doctrina elegans, omnis ingenio homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur.

Era-

(1) Explicit confirmatio.

(2) Confutatio in qua duo praecipua adversariorum argumenta refelluntur. Primum ab iis qui humaniores literas profitentur nihil praeter fabulas, quae nullius sunt utilitatis requiri.

(3) Sub poëtarum fabulis veritas omnis & vivendi ratio latet: non ergo, & si in hoc tantum genere versarentur nostri contemnendi.

(1) Erathostenem quendam fuisse aiunt, qui poëticam ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, at Aristoteles, quorum non paulo maior est, quam nescio cuius Erathostenis auctoritas, ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quae tradunt; ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se Philosophos videri cupiunt, & quidem eiusmodi Philosophos, ut tamquam Atlante coelum, ita Philosophiam supercilio suo niti putent, ita despiciatui ducunt Poëtas, ut eorum scripta aspicere se dignari negent. Qui quidem cuiusmodi Philosophi sint, ipsi viderint: quum eos contemnant, quos Philosophorum Coryphaeus Plato modo sapientiae Patres, ac duces, modo Deorum interpretes, modo Deorum filios vocat. Aristoteles autem, cuius iste si germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis, idemtidem Poëtarum testimoniis utitur; verum etiam libro primo de sapientia Philosophum omnem fabularum amatorem esse confirmat.

Quod igitur Aristoteles esse se aiunt, fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent. Hunc enim ex omni memoria unum fuisse Philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinae, tum praecipue Poëtarum scripta contemneret. Quod quidem se negligendis Poëtis, ex Aristotelis disciplina, ac familia censerivolunt; in eo, meo quidem iudicio faciunt, & impudenter & imperite.

(2) At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de Poëtarum laude dicam, quod si esset, facile ostenderem, omnia praecepta vitae, omnia virtutum officia, nihilo ab iis deterius quam a Philosophis ipsis doceri. Non igitur cum Poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more animos ducimus; sed sementem quandam virtutis, atque doctrinae facimus: non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius

in

(1) Viri saepe clarissimi, & apprime litteris eruditi Poëtarum fabulas magnopere dilexerunt. Plus ergo dignitatis & fructus, quam isti putant afferre credendum est. Erathostenes, & Epicurus Poëticen contempserunt: at primus nullius ponderis, ignoti iudicium est: secundis item, qui tum hoc, tum omnem vitae elegantiam despectui habebat, maxime si cum clarissimis, & doctissimis Platone, & Aristotele conferantur.

(2) Aliud argumentum ab eloquentiae facultate desumptum.

in animos influant, insatiabili quadam admirabiliū rerum varietate condimus (1). Quid? cum ornate, ac copiose loquendi, praecepta tradimus, ludere videmur; an ea docere, quae semper principem locum (2), in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus eloquentiam, a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari (3)? haec enim est illa virtus quae, quamlibet in partem arbitrato suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosae orationis (4) regit. Haec illa est quae consolatur incoerentes; afflictos excitat; iacentes erigit; quae sceleratis exitio est; innocentibus praesidio; improbis terrori; probis ornamento (5). Haec Cicero fretus Catilinae furores, & nefarie in Patriam inita consilia dissipavit. Haec togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur (6). Haec instructi, qui sunt, maius omnibus Tyrannis imperium in homines obtinent (7). Si quidem Tyranni possunt illi quidem corpora constringere, animis nullam adhibere vim possunt; ii vero dominantur in animis, quaeque ipsis honesta & utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant, hi volentibus; illi, & oderunt omnes, & odiosi sunt omnibus: hos in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia committitur (8). Neque vero non, qui eloquentiam contemnere se simulat illius praestantiam intelligunt: sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malant, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri.

Orationis igitur meae summa eo reddit denique, etiam si

(1) Huius argumentationis tractatio ita in singulas propositiones distribui potest.

(2) Eloquentia in politissima quaque civitate maximo in honore fuit habita haec approbatione non indiget.

(3) Reginam artium gravissimi auctores vocarunt: illustratur aetologia.

(4) Quaecumque in partem velit flectit, audientium animos.

(5) Omnibus praesidio est ab exemplo.

(6) Cic. qui inermis Catilinae nefarios conatus represit.

(7) Rursus a comparatione cum Tyrannorum imperio.

(8) Tyranni vim corporibus adhibere animis non possunt. Hi invitis imperant. Hos oderunt omnes atque odium in omnes habent. A contrario. Eloquentia in nobiliori hominis parte dominatur, illa ipsa, quae extorquet impetrare credas, cunctis prodest, atque ideo mirifico ab omnibus amore prosequitur.

nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicarem poëtarum fabulas, & iuventuti, quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicarem: tamen neque mediocriter reip. prodesse nos, neque parvis in rebus, contemnendisque versari.

(1) Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cuius non aliqua cognitione oporteat, tinctum esse eum, qui hoc munus cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos, & alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est (2). Non enim fere in libris Dialecticorum, Phisicorumve, aut in iis, quibus Medicinæ, iurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cuius intelligentiam, non ex illis ipsis de quibus inscripti sunt artibus repetere possis (3). At nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui cum scripti sint a viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos, ex omni disciplinarum genere depromptos habent (4). Itaque ceteri (5), etiam si eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur: neque unquam aut Medico turpe habitum est, nescire leges: aut Iurisperito Medicinam, vel Astrorum sapientiam non tenere (6). Nos unisumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas, non pertractanda quidem ac pernoscenda peritus, sed delibanda tamen necessario est (7). Non longe abierimus. Superiori anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum ad-

(1) Secundum argumentum adversariorum refellitur, nullum humanioribus litteris cum Philosophia ac ceteris artibus esse commercium. Immo cunctis artibus libero homine dignis instructum esse oportet eum qui humaniores litteras tractat.

(2) Ceteros professores cum litterarum humaniorum confert hoc argumento. Ceterarum artium scriptores singuli in uno tantum argumento versantur.

(3) Approbatio. quaecumque Dialect. &c. libri tractant, ex ipsis solis repetere fas est.

(4) Assumptio. nostri a viris omni scientiarum genere doctissimis cunctarum rerum complura loca & cognitionem attingunt.

(5) ceteri in arte tantum sua cum laude versantur.

(6) Id quod probatur.

(7) Efficitur nos in omnium artium aliqua saltem cognitione tinctos esse, necesse est.

erant, in quibus alios prope modum omnes Iuris Civilis ignorantio fefellerat! Libros eiusdem de finibus, nunc ita ipsum interpretandos suscipimus (1). Quam multa nobis ex omnibus Philosophiæ partibus, depromenda erunt, quibus ignorantibus, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? Quid terrarum situs? nisi qui hæc utraque ut cumque teneat, satisne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac iocari, & nihil in docendo aliud, quam puerilem voluptatem aucupari putent?

Nam illud quoque minime prætermittendum est, quod a graviorum artium doctoribus, neque ornata, neque elegans, neque multis quidem in locis ornata oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, & impure, improprie, barbære loquantur: suo id eis quodam iure licere creditur. At nobis dicentibus sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant, ut si quid exciderit parum expolitur, diem nobis continuo dicant violatæ latinitatibus, quodque postremæ iniquitatis est, peccare nos putant, nisi, in his etiam, quæ subito fundimus plurimi illigati sint, & verborum, & sententiarum lepores (2).

(3) Quæ cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum expectationi huius professionis satisfacere cupiamus infinitos esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti alienæ industriæ contemptores, gloriæ obtreccatores; comprimant vocem stultitiæ, atque invidentiæ indicem. Vos vero Patres amplissimi, pergite, ut facitis, benignitate vestra labores nostros fovete: ut hæc florentissima, & bonarum artium studiis dedita iuventus, exercitationibus hisce nostris ad virtutem præparata, atque exulta, vestram olim in hac felicissima rep. gubernanda sapientiam facilius imitari queat.

(1) Id quod sui ipsius exemplo monstrat.

(2) Explicit confutatio.

(3) Brevis epilogus cum exhortatione ad Iudices ut humaniores litteras honestare atque fovete non desistant.

ERASMI ROTERODAMI  
DE REBUS, AC VOCABULIS  
DIALOGUS.

BEATUS (1). BONIFACIUS (2).

**B**E. salvus sit Bonifacius. Bo. atque etiam salvus sit Beatus. Sed utinam essemus uterque, quod dicimur, tu dives, ego formosus. Be. Itane parum tibi videtur habere nomen magnificentum? Bo. mihi quidem minime momenti, nisi res adsit. Be. at plerique mortales aliter affecti sunt. Bo. fieri potest, ut mortales sint isti, homines esse non credo. Be. Et homines sunt, o bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie, camelos, & asinos obambulare. Bo. hoc citius crediderim, quam homines esse, qui pluris nomen faciant, quam rem. Be. in certis rerum generibus plerique malunt rem, quam nomen; in multis contra. Bo. hoc quid sit, non satis assëquor. Be. atqui penes nosipos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes, quod diceris: sed si esses alterutro spoliandus, utrum males habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? Bo. equidem mallem vel Thersites (3) dici, quam habere prodigiosam faciem; an bonam habeam nescio. Be. item ego, si dives essem, & aut res, aut nomen esset deponendum, mallem Irus (4) dici, quam re spoliari. Bo. assentior vera loquenti. Be. idem usu veniet, opinor, in his, qui sunt prospera valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. Bo. Probabile est. Be. at quam multos videmus, qui mallent no-

Aa men

(1) Nomen hoc pro Divite usurpat.

(2) Hoc autem pro bona facie prædito.

(3) Græcorum omnium foedissimus, quem Achilles, sibi procaciter conviciantem pugni ictu interfecit. Huius insignis deformitas ab Homero lib. 2. il. expressa effecit, ut cum hominem vehementer foedum significare velimus Thersitæ faciem eum habere dicamus. Alias pro convitiatore, & maledico ponitur. V. Senec. lib. 3. de Ira c. 23.

(4) Mendicus hic fuit Ithacensis assecla procorum Penelopes, quem Ulysses domum reversus pugno item interfecit. V. Homer. odiss. 18. huius paupertas abiit in proverbium, ut hominem extremæ inopiæ Iro pauperiorem dicamus.

men eruditi, pique viri, quam esse docti, bonique? Bo. Plurimos istius modi novi. Be. an non apud hos, plus valet momenti nomen, quam res? Bo. Videtur. Be. Iam si nobis adesset Dialecticus; qui scite definiret, quid sit Rex, quid Episcopus, quid Magistratus, quid Philosophus; fortassis, & heic inveniremus, qui mallent nomen, quam rem. Bo. ita profecto; si Rex est, qui legibus, & aequitate Populi commo- dum spectat, non suum; si Episcopus, qui totus invigilat gregi Dominico; & si Magistratus est, qui ex animo consulit Reip. & si Philosophus est, qui neglectis fortunae commo- dis, tantum studet bonae menti parandae. Be. Heic vides quantum huius generis exemplorum possim aggerere. Bo. sane plurimum. Be. an hos omnes negabis esse homines? Bo. Vereor, ne nos ipsi citius nomen hominis amittamus. Be. at si homo est animal rationale, quantum abest hoc a ratione, ut in corporis commo- dis; verius, quam bonis, & in externis, quae fortuna dat simul, & eripit, cum libet, rem malimus quam nomen: in veris animi bonis, nomen pluris faciamus quam rem? Bo. Praeposterum (1) mehercule iudicium, si quis attendat. Be. eadem autem est ratio in contrariis. Bo. expecto, quid dicas. Be. idem iudicandum de nominibus rerum fugien- darum, quod dictum est de vocabulis expetendarum. Bo. ap- paret. Be. magis enim horrendum est esse tyrannum, quam ty- ranni nomen: & si malus Episcopus secundum (2) sententiam evangelicam fur est, & latro, non tam ipsa nomina sunt nobis detestanda, quam ipsa res. Bo. convenit sane. Be. tu de ceteris similiter colligito. Bo. prorsus intelligo. Be. Nonne fa- tui nomen aversantur omnes? Bo. Et quidem maxime. Be. Non- ne fatuus esset, qui aureo piscaretur hamo, qui vitrum an- teponeret gemmis, qui cariores haberet equos, quam uxorem, & liberos? Bo. is esset quovis Coroebo (3) stultior. Be. an non tales sunt qui procurunt in Militiam, spe lucri, non ad- modum magni corpus, & animam exponentes periculo: qui

(1) De re, aut dicto dicitur inverso, ac perturbato ordine di- ctum aut factum quod Hispanicè vertitur *al reves*.

(2) Ita pro iuxta reposuimus Heinecio comprobante p. 1. c. 1. §. 15. reg. 3.

(3) Coroebus Rex Migdoniae regionis Phrigiae incensus amo- re Cassandrae, quam ei Priamus Pater desponderat cum ad Tro- iam socero & Troianis laturus auxilium venisset, eique a spon- sa exitium, ni abiret, praedictum fuisset, ea nocte, qua Ilium cecidit a Peneleo in templo Palladis occisus est. Rem suo more narrat Virg. Aeneid. 2.

student congerendis opibus, cum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui vestes, & aedes exornant, cum animus neglectus, ac squallidus iaceat: qui corporis valetu- dinem anxie tuentur, animam capitalibus morbis laborantem ne- gligunt: denique qui fugacissimis huius vitae voluptatibus, cruciatus merentur aeternos? Bo. ipsa ratio fateri cogit plus- quam fatuus esse. Be. atqui his fatuis, cum plena sint omnia, vix invenias, qui ferre possit fatui vocabulum, cum adeo non abhorreant a re. Bo. sic est profecto. Be. Age scis, quam sint odio apud omnes vocabula mendacis, ac furis. Bo. sunt invisissima, nec sine causa. Be. Fateor. Sed cum stuprare coniuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidam, etiam gloriantur, ad furti convicium illico stricturi gladium. Bo. Ita res habet apud complures. Be. Ita cum multi scortis, ac vino perditissimi sint, & sint libenter, ac palam, tamen ad Ga- neonis nomen offenduntur. Bo. hi nimirum rem sibi gloriae du- cunt, cum vocem rei debitam horreant. Be. Sed vix aliud no- men auribus nostris videtur intolerabilius, quam mendacis. Bo. novi, qui hoc convicium caede sint ulti. Be. sed utinam pariter abominentur rem! Nunquam accidit tibi, ut qui promiserat se mutuam ad certum diem redditurum falleret? Bo. frequenter: etiam cum id deierassent, neque id semel, sed iterum, atque iterum. Be. fortasse non erant solvendo. Bo. immo erant, sed commodius esse dicebant, non reddere creditum. Be. an hoc non est mentiri? Bo. planissime. Be. auderes istiusmodi cre- ditorem sic compellere: cur mihi toties mentiris? Bo. non ni- si paratus essem ad pugnam. Be. an non simili modo quotidie verba dant Latomi, Fabri, artifices, & vestiarii pollicentes ad certum diem, nec tamen praestantes, etiamsi magni referat tua? Bo. mira impudentia! sed adde iis Advocatos pollicentes operam. Be. potes addere sexcenta nomina: nemo tamen ho- rum laturus sit mendacis vocabulum. Bo. hoc genere menda- ciorum plena sunt omnia. Be. itidem furis nomen nemo tolerat cum ab re non perinde omnes abhorreant. Bo. expecto, ut di- cas clarius. Be. quid interest inter eum, qui rem tuam tollit e scrinio, & inter eum, qui depositum abiurat? Bo. nihil nisi quod sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem. Be. At quam pauci sunt, qui depositum reddunt, aut si reddunt non dant integrum? Bo. opinor esse per paucos. Be. Nemo tamen isto- rum ferat furis vocabulum, cum rem non horreant. Bo. admo- dum. Be. Iam mihi reputa, quid vulgo fiat in tractandis pupil- lorum bonis, in testamentis, ac legatis, quantum haereat di- gitis tractantium. Bo. frequenter totum. Be. furtum amant, vo- cabulum detestantur. Bo. maxime. Be. quid agant, qui res fi-

sci tractant, qui monetam publicam eudunt deterio-rem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum aestimatione privato- rum rem accidunt, fortasse nobis non admodum liquet: de his, quae quotidie experimur loqui fas est. Qui sumit mutuum, aut qui confert aēs alienum hoc animo, ut reddat, si licet nun- quam, quantum abest a iure? Bo. cautior fortasse dici possit, melior nequaquam. Be. at horum cum ingens ubique sit nume- rus, nemo tamen tolerat furis nomen. Bo. animum solus Deus novit; proinde apud homines oberati vocantur, non fures. Be. Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modo sint fures apud Deum? Certe suus cuique notus est animus, ad haec, qui cum debeat multam, quod obtigit pecuniae nequi- ter prodigit, qui posteaquam decoxit in una civitate delussis, creditoribus, fugit in aliam, hospites quaerens, quibus impo- nat, idque facit crebrius; nonne satis declarat quo sit animo? Bo. satis, superque, sed tamen isti solent hoc fucare colore, quod faciunt. Be. quonam? Bo. multum, multisque debere, praedicant sibi, cum magnatibus, atque adeo cum Regibus esse commune: eoque, qui sunt hoc ingenio praediti, fere nobilitatis opinionem affectant. Be. in quem usum? Bo. dictu mirum quantum equiti licere velint. Be. quo iure? quibus legibus? Bo. haud aliis, quam quibus praefecti maris vindicant sibi, quid- quid eiectum est naufragio, etiam si extet dominus: quibus alii suum esse volunt, quidquid apud furem, aut praedonem deprehenderit. Be. istiusmodi leges possent ipsi fures condere. Bo. & facerent, si queant tueri, & haberent, quos excusa- rent, si bellum indicant prius, quam furentur. Be. quis hoc iuris dedit equiti potius quam pediti? Bo. militiae favor, sic enim exercentur ad bellum, quo promptiores sint, ad spoliand- um hostem. Be. sic opinor Pyrrus exercebat suos ad bellum. Bo. non, sed Lacaedemonii. Be. abeant in malam crucem cum suo exercitio. Sed unde nomen hoc tantae praerogativae? Bo. quibusdam obvenit a maioribus, alii mercantur, quidam adsciscunt. Be. an licet adsciscere cuilibet? Bo. licet, si mo- res respondeant. Be. Qui? Bo. si nihil bonae rei gerat, si splendide vestiatur, si incedat annulatus, si graviter scorte- tur, si aleam ludat assidue, si certet chartis, si comessatio- nibus, ac comotationibus aetatem absumat; si nihil loquatur Plebeium, sed arces, pugnas, ac mera bella crepet; Thraso- nica omnia (1). Isti sibi permittunt bellum cui velint indicere, etiam si pedem ubi ponant non habeant. Be. Equites mihi narra- equuleo dignos. At qui tales habet, non paucos Sicambria.

(1) Alludit ad nomen gloriosi militis. Ter. in Eunuc.

## INSCRIPTIO SEPULCRALIS

## STILO LAPIDARI CONFECTA.

L: PORTIUS. L. F. GALERIA STILO.

OBULCONENSIS.

AN. LXV.

AEDILIS. II. VIR. DESIGNATUS.

P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.

HUIC.

ORDO PONTIFICENSIS. OBULCONENSIS.

LOCUM SEPULTURAE.

IMPENSAM.

FUNERIS LAUDATIONEM.

STATUAM EQUESTREM.

DECREVERE.

## INSCRIPTIOES PUBLICAE.

TIB. DIVI. AUG. F.

M. I.

DIVI. IUL. N.

NERO CLAUDIUS.

AUG. PONT. MAX.

D. CLAUD. AUG. F.

TRIB. POT. XXXV.

GERMANICI. CAESARIS.

IMP. IIX. COS. V.

AUG. N.

A. PISORACA.

TI. CAES. AUG. PRON.

DIVI. AUG. ABN.

CAES. AUG. GER.

PONT. MAX. TRIB. POT.

IMP. COS.

A PISOR. M. I.

## STILO RECENTIORE ELABORATAE

SEPULCR.

D. O. M.

BARTHOLOMAEO CARRANZAE NAVARRO.  
DOMINICANO.

ARCHIEP. TOLET. HISP. PRIM.

VIRO: GENERE. VITA. DOCTRINA.

CONCIONE. ATQUE ELEM. CLARO.

MAGNIS MUNERIBUS.

A CAR. V. ET PHIL. REG. CAT. SIBI COMMIS.  
EGREGIE FUNCTO.AN. IN PROSP. MODESTO, ET ADVERS. AEQUO.  
IN TE PROIECTUS SUM EX UTERO.

OBIIT.

AN. DOM. M.D.LXXVI. DIE. II. MAI.

ATHANASIO. ET ANTONINO SACRO.

AETATIS SUAE L.XXII.

## PUBLICA.

PONTEM CUIUS RUINAE.

IN DECLIVI ALVEO PROXIME VISUNTUR.

FLUMINIS INUNDATIONE.

QUAE AN. DOM. M. C. C. III.

SUPER IPSUM EXCREVIT.

DIRUTUM.

TOLETAN. IN HOC LOCO AEDIFICAVERUNT.

IMBECILLA HOMINUM CONSILIA.

QUEM IAM. AMNIS LAEDERE NON POTERAT.

PETR. ET HENR. FRAT. PRO REG. CONTEND.  
INTERRUPTUM.

P. TENORIUS ARCHIEP. TOLET.

REPARANDUM. C.

IN-

## INDEX I.

## CAPITUM.

## PROOEMIUM.

PARS I. de generalioribus tersae Latinitatis fundamen-	pag. I.
tis.	II
Cap. I. de fundamentis stili grammaticis.	II
Cap. II. de fundamentis stili rhetoricis.	51
Cap. III. de fundamentis stili philosophicis.	169

## PARS II. specialis de variis scriptionibus in soluta oratione usitatis.

Cap. I. de epistolis.	183
Cap. II. de orationibus conscribendis.	197
Cap. III. de panegyricis.	214
Cap. IV. de dialogis.	226
Cap. V. de inscriptionibus.	235

## PARS III. de variis cultioris stili facultatem adsequendi subsidiis.

Cap. I. de auctorum lectione.	253
Cap. II. de imitatione.	292
Cap. III. de variis stili exercitiis.	310

## EXCURSUS, quibus de nonnullis argumentis uberius disputatur.

Exc. I. de periodis & earum usu.	321
Exc. II. de chiasmo.	324
Exc. III. de sublimitate vel sublimi & stilo sublimi seu magnifico.	327
Exc. IV. de variis primarum linearum artis oratoriae partibus.	330

## INDEX II.

## AUCTORUM.

## A

<i>A</i> Cron in Horatium commentatus est.	289
<i>Aelii</i> Spartiani Pescennius Niger.	216
<i>Aeschines</i> auctor fuit scholae rhetoricae apud Rhodios.	111
humili stilo utitur 151. eius dialogi laudantur. 152. 226	
<i>de Albertis</i> (Alberti) thesaurus eloquentiae sacrae & profanae.	166.
<i>Albini</i> , introductio in Platonis dialogos.	230
<i>Allatius</i> (Leo) de erroribus magnorum virorum in dicendo.	263.
<i>Ammianus</i> Marcellinus, vide <i>Marcellinus</i> .	
<i>Andreae</i> (Io. Val.) reprehenditur.	147
<i>Anglerii</i> (Petr. Martyr.) epistolae.	186
<i>Anonymi</i> libellus e Gallico sermone Anglice versus: <i>an examen of the way of teaching the latin tongue to little children by use alone.</i>	253
<i>Antonius</i> (M.) apud Ciceronem ad oratorem instituendum parum relinquit praeceptis.	6
<i>Aphthonii</i> progymnasmata.	176
<i>Apollinaris</i> (Sidonius) stilum sublimem adfectat 122. ob nimias allegorias notatur.	93
<i>Apostolii</i> (Mich.) centuriae XXI. proverbiorum ex optimis auctoribus Graecis collectae.	101
<i>Appianus</i> de bello civili.	111
<i>Apuleius</i> (L.) <i>παιδαγωγικόν</i> adfectat 139. in crebris epithetis ineptit 125. eius lectio commendatur 268. optimae editiones. 275.	
<i>Aquinas</i> , vide <i>Thoma Aquinas</i> .	
<i>Arbiter</i> , vide <i>Petronius</i> .	
<i>Aristides</i> (Aelius) <i>περὶ πολιτικῆς λόγος</i> commendatur 121. quid hic libri index sibi velit 160. eiusdem libellus <i>περὶ ἀφελῆς λόγος</i> . 166.	
<i>Aristophanes</i> stilo Attico scripsit 108. eius nubes adducuntur. 202	
<i>Aristoteles</i> primum oratoriam in artem redegit 197. stilo philosophico utitur 144. eius libri rhetorices adducuntur 70. 182. in iis characteres ethici dantur.	317
<i>Arningii</i> (Henr.) medulla variarum earumque in orationibus usitatissimarum connexionum, qualis.	184
<i>Arriani</i> dissertationes Epicteticae.	146. 147
<i>Artemon</i> Aristotelis epistolas exscripsit.	161
<i>Aschami</i> (Rog.) epistolae, quales.	187
<i>As-</i>	

<i>Asconius</i> Pedianus, vide <i>Pedianus</i> .	
<i>Athanasii</i> dialogus de sancta trinitate.	226
<i>Athenaei</i> <i>δαιμωνσοφισται</i> .	226
<i>Averanius</i> laudatur.	66
<i>Augustini</i> (Ant.) de emendatione Gratiani, & de nummis veterum dialogi.	227
<i>Aurelius</i> Victor de viris illustribus.	111
<i>Ausonii</i> (Decii) griphus adducitur 113. eius epistola ad Paulinum.	195
<i>Ausonius</i> panegyricorum scriptor 217. nimis indulget acumini.	224

## B

<i>Balbini</i> (Bohusl.) quaesita oratoria.	98
<i>Baldi</i> (Bernh.) epistolae.	185
<i>Balduinus</i> (Franc.) laudatur.	66
<i>Baldus</i> iureconsultus barbare scripsit.	145
<i>Barbarus</i> (Dan.) Vitruvium de architectura Italice vertit.	269
<i>Barlaei</i> (Casp.) orationes quales.	214
<i>Barthii</i> (Casp.) adversaria commendantur 289. eius notae in auctores commendantur.	289
<i>Bartolus</i> iureconsultus barbare scripsit.	145
<i>Baudii</i> (Dominici) stilus, qualis 103. eius epistolae, quales 187. orationes, quales.	214
<i>Becmanni</i> (Io. Christoph.) praecognita moralia.	148
<i>Begeri</i> (Laur.) dialogi.	227
<i>Bellegarde</i> characteres.	317
<i>Bembus</i> (Petr.) reprehenditur, quod verba a sacris profanis petita nostris ritibus applicuit 65. item, quod usus est formulis iurandi ethnicis 96. eius epistolae, quales 187. eius lapsus in verbo <i>multissimus</i> .	287
<i>Bergeri</i> (Io. Guil.) commentarius de naturali pulchritudine orationis ad excelsam Longini disciplinam illustri continentique C. Iul. Caesaris exemplo exacta 5. 20. 24. & <i>saepius</i> . eius dissertatio de <i>σέμνη</i> in oratione Corn. Taciti 114. 128. 132. eius dissertationes academicae ex auctoritate publica scriptae 105. eius panegyrici laudantur.	219
<i>Berneggeri</i> (Matthiae) epistola ad Keplerum & Schickardum.	185
<i>Bertram</i> (Io. Frid.) <i>von der Klugheit zu excerptiren</i> .	286
<i>Boccatii</i> (Io.) genealogiae deorum.	262
<i>Bodini</i> (Io.) theatrum naturae & colloquium heptaplomeris.	227
<i>Bocclerus</i> (Io. Henr.) in scribendis panegyricis non personarum discrimen habuit 225. eius panegyrici laudantur 218. eius disputationes academicae 236. eius libellus de characteribus politicis Velleianis.	270. 318
<i>Boehme-</i>	

<i>Boethius</i> (Iust. Christoph.) panegyrici laudantur.	219.
<i>Boethius</i> de consolatione philosophiae.	105.
<i>Boilaei</i> (Nic.) satyrae quaedam.	143.
<i>Bonamicus</i> (Lazarus) orationem Philelphi inconcinnam corrigit verborum ordine immutato.	38.
<i>Bottarus</i> (Io.) Virgilium Vaticanum edidit.	16.
<i>Bovillii</i> (Conr.) epistolae.	185.
<i>Boxbornii</i> (M. Zuerii) orationes, quales.	214.
<i>Brerewood</i> (Ed.) scrutinium linguarum laudatur.	253.
<i>Brissonius</i> (Barnab.) oratione pura iurisprudentiam tractavit eius libri de verborum significatione laudantur 66. item eius liber parergon 288. item eius opus de formulis & solemnibus populi Romani verbis.	145. 98.
<i>Britanni</i> (Rob.) ratio conscribendarum epistolarum laudatur.	183.
<i>Broukhusii</i> (Iani) notae in auctores commendantur 289. <i>de la Bruyere</i> characteres.	317.
<i>Buchneri</i> (Aug.) epistolae, quales 187. eius liber de commuta- tione dicendi laudatur 46. 69. 91. 92. 98. & <i>saepius</i> . eius oeconomiae atque conspectus priorum V. orationum Pet. Cunaei 207. eius orationes laudantur 224. maximam par- tem panegyricae sunt 201. eius panegyrici laudantur. 218. 225. adducuntur.	90. 118. 120. 176.
<i>Budaei</i> (Guil.) forensia.	66.
<i>Bunavianus</i> catalogus laudatur.	291.
<i>de Buri</i> (Rich.) epistolae.	185.
<i>Burmans</i> (Petr.) ad Ovidium 50. 66. ad Petronium 24. 31 ad Phaedrum 32. 68. 124. ad Quintilianum 60. 115. ad Valerium Flaccum 187. epistolas Cunaei edidit 202. pigri- tiam laudavit 185. syllogen epistolarum edidit 185. eius ope- ra in veris verborum significationibus eruendis falsisque pro- fligandis laudatur 27. eius notae in auctores commenda- ntur.	289.
<i>Busbequii</i> (Aug. Gisl.) epistolae.	186.
<i>van Bynkershoek</i> (Corn.) laudatur 65. eius observationes iuris Romani.	66.

## C

*Caellius* Rhodiginus, vide *Rhodiginus*.

*Caesar* (C. Iul.) in castris grammaticam non neglexit 12. de  
analogia grammatica scripsit 29. ob perspicuitatem commen-  
datur 132. 149. stilo mediocri usus est 117. stilo Rhodio 111.  
an ei tenue dicendi genus attribuendum 115. eius lectio  
commendatur 259. optimae editiones 262. qui eum imitari  
debeant.

295  
Ca-

<i>Caius iureconsultus</i> .	61.
<i>Calcagnini</i> (Cael.) epistolae.	185.
<i>Calixtus</i> (Ge.) de rebus theologicis pure scripsit.	145.
<i>Callistrati</i> statuarum <i>επιγράσεις</i> .	319.
<i>Calvinus</i> (Io.) de rebus theologicis pure scripsit 145. eius epi- stolae.	145.
<i>Calvus</i> (Licinius) u omittere solitus est post q 14. eius elemen- ta rhetorica commendantur 174. eius epistolae, quales 187. eius vita Philip. Melanchthonis.	213.
<i>Canzii</i> (Isr. Theoph.) liber, qui inscribitur: oratoria scien- tiarum familiae toti cognata.	4.
<i>Capellae</i> (Martiani) lectio commendatur.	268.
<i>Capitolinus</i> (Iul.) scriptor historiae Augustae.	272.
<i>Cartesius</i> (Renat.) propter perspicuitatem laudatur 146. eius epistolae.	185.
<i>Casae</i> (Io.) orationes laudantur.	214.
<i>Casaubonus</i> ad Suetonium 297. eius epistolae 185. eius notae in auctores commendantur.	289.
<i>Caselius</i> (Io.) ad Demetrium Phalereum 70. 123. eius epi- stolae 185. eius orationes laudantur.	214.
<i>Cassiodorus</i> (Aurcl.) <i>καλλωπισμὸν</i> adfectat 139. item stilum su- blimem 122. eius de orthographia liber.	24.
<i>Castellionis</i> (Seb.) interpretatio S. S. commendatur 257. naevus quidam indicatur.	34.
<i>Cato</i> (M. Porcius) in libro de re rustica multa habet verba ru- sticis propria 67. huius libri lectio commendatur 268. illius dictum in A. Albinum.	211.
<i>Catullus</i> (C. Val.) tres metaphoras coniunxit 93. ob duriuscu- lam metaphoram notatur.	94.
<i>Causinus</i> (Nic.) de eloquentia sacra & profana. 72. 81. 88. 93. 100. 171.	
<i>Cellarius</i> (Christoph.) laudatur 19. ad Iul. Caesarem adducitur 33. panegyricos duodecim veteres coniunctim edidit 217. eius an- tibarbarus laudatur 23. unde hic posset augeri 28. adducitur 28. 31. 33. 55. notatur 57. eius curae posteriores adducun- tur 55. 67. eius dissertatio de origine linguae Italicae 57. 253. eius iudicium de Curtio eius editioni praemissum 266. eius notae in auctores commendantur 289. eius orthographia laudatur 12. adducitur 17. 19. 20. 21. 23. 26 27. quales eius panegyrici 219. eius praefatio ad XII. panegyricos ve- teres adducitur.	216.
<i>Celsus</i> (Corn.) de re medica, quo stilo utatur 144. multa ha- bet verba medicis propria 67. medicos purius scribere docuit 146. eius lectio commendatur 268. optima editio.	273.

Cel-



<i>Celtis</i> (Corn.) de conscribendis epistolis libellus laudatur.	273
<i>Censorini</i> lectio commendatur 268. optima editiones.	275
<i>Cervantes</i> (Mich.) scripsit historiam miram Quixoti.	101
<i>Chrysostomus</i> (Dio.) exsilium laudavit 202. eius oratt. 107.	317
<i>Chrysostomus</i> (Io.) de sacerdotio dialogum scripsit 226. eius homiliae in acta apostolorum.	317
<i>Cicero</i> (M. Tull.) artem oratoriam esse ait 6. ante eum paucos tulit Poëtas epicos Italia 104. maximus iocandi artifex 153. an solus legendus 255. qui cum imitari debeant 295. propter perspicuitatem laudatur 132. 146. in plerisque stilo Rhodio usus 111. ad Atticum plerumque stilo Attico 108. nonnumquam Laconico 107. ubi Asiatico stilo usus 110. ubi genere dicendi florido 117. ubi mediocri 139. ubi philosophico 144. ubi sublimi 121. ubi tenui 115. ubi dignitatem orationis expresserit 140. ubi orationis splendidae exempla dederit 137. ubi <i>σεμνότητος</i> 136. ubi vehementiae 136. ubi versibus poëtarum usus 103. quare epistolis nonnullis Graeca immiscuerit 59. in scribendis dialogis excelluit 226. quo stilo eius dialogi scripti 151. 159. eius epistolae laudantur 186. earum lectio commendatur 259. eius orationes selectiores commendantur 263. quo ordine eius philosophici libri legendi 261. eius operum praecipuae editiones 261. eius epistolarum ad Atticum optima editio 260. epistolarum ad Q. Fratrem 260. epistolarum familiarium praecipuae editiones 260. orationum optima editio 262. de officiis librorum optima editio 261. de divinatione & fato optima editio.	261
<i>Cicero</i> (Q. Tull.) dicendi artem esse negavit.	6
<i>Claudianus</i> (Cl.) imitatio dissuadetur 276. optimae editiones.	280
<i>Clerici</i> (Io.) ars critica.	16
<i>Clugius</i> (Chr. Gottlieb.) sub praesidio Io. Guil. Bergeri defendit dissertationem de <i>συναγωγή</i> Corn. Taciti.	133
<i>Coerberi</i> (Casp.) panegyrici laudantur.	219
<i>Columella</i> (L. Iun. Moder.) in libris de re rustica multa habet verba rusticis propria 67. quo stilo in iis usus 268. eorum lectio commendatur.	144
<i>Cominaeus</i> (Phil.) ob gravitatem orationis laudatur.	149
<i>Commanus</i> (Franc.) laudatur.	66
<i>Comradus</i> (Car.) edidit Brissonii opus de formulis 98. Gellium.	274
<i>Conringii</i> (Herm.) censura diplomatis Lindaviensis 18. 25. eius epistolae.	186
<i>Corasii</i> (Io.) epistolae.	185
<i>Cornelius</i> Nepos, vide <i>Nepos</i> .	
<i>Cornutus</i> (Annacius) de orthographia.	24
<i>Cor-</i>	

<i>Cornutus</i> vetus scholiastes Persii.	130
<i>Cortesii</i> (Paul.) Iis cum Ang. Politiano de imitatione.	294
<i>Cortius</i> (Theoph.) ad Sallustium 23. 26. 33. 35. 45. 50. 63. & <i>saepius</i> . eius notae in auctores commendantur.	289
<i>Cragius</i> (Nic.) de republica Lacedaemoniorum.	107
<i>Crassus</i> deus in dicendo putatus est 6. adducitur.	8
<i>de Crousa</i> (I. P.) tentamen logicum.	227
<i>Crucquius</i> (Iac.) veterem scholiasten <i>ἀνάμνησις</i> in Horatium produxit.	289
<i>Cuiacius</i> (Iac.) laudatur 66. oratione pura iurisprudentiam tractavit 145. eius observationes.	15. 25
<i>Cunaei</i> (Petr.) eius epistolae quales 187. eius orationes laudantur 214. ad quod genus referendae 201. eius Sardi venales. 104	
<i>Curtius</i> (Q. Rufus) an novus auctor 266. propter stilum acutum laudatur 165. venustus iudicatur 149. ob exclamationes & hyperbolas notatur 150. eius lectio commendatur 263. optimae editiones.	266
<i>du Cygne</i> (Mart.) explanatio rhetorica omnium orationum Ciceronis secundum partes, enthymemata & figuras. 207. 310	
<i>Cyrilli</i> cum Hermia dialogi.	226

## D

<i>Damasceni</i> (Io.) adversus Manichaeos dialogus.	227
<i>Dannebaverus</i> (Io. Conr.) frequenter versibus poëtarum in prosa usus 103. quales eius orationes.	214
<i>Davisius</i> (Io.) eius notae in auctores commendantur.	289
<i>Dausquii</i> (Cl.) orthographia adducitur.	26
<i>Dekenii</i> (Io.) observationes poëticae adducuntur.	164
<i>Demetrius</i> Phalereus, vide <i>Phalereus</i> .	
<i>Demosthenes</i> stilo Attico usus 108. qua occasione eius orationes pleræque habitae 199. laudatur.	126
<i>Despauterii</i> (Io.) ars epistolica laudatur.	183
<i>Diogenes</i> Laërtius diligens est in recensendis philosophorum dictis acutis.	158
<i>Diogenes</i> cynicus, quomodo appellatus.	147
<i>Diogenianus</i> proverbialia Graeca collegit.	101
<i>Dionysius</i> Halicarnasseus.	161
<i>Dionysius</i> Longinus, vide <i>Longinus</i> .	
<i>Dodwellii</i> (Hen.) praelectiones Cambdenianae.	272
<i>Donatus</i> (Ael.) ad Terentium 39. 43. in Virgilium commentatus est.	289
<i>Donellus</i> (Hugo) laudatur.	66
<i>Dousa</i> (Ia.) ad Petronium.	69
<i>Drakenborgii</i> (Arn.) notae in auctores commendantur.	289
<i>Dr-</i>	

<i>Drusii</i> (Ia.) epistolae.	185
<i>Duarenius</i> (Fran.) laudatur.	66
<i>Dureri</i> (Albr.) de symmetria partium liber.	7
<i>Dukeri</i> (Car. And.) opuscula de Latinitate veterum iureconsultorum.	15. 54. 61. 65. 288
<i>Dukerus</i> (Adam.) de particulis Latinae linguae,	31

## E

<i>van Ekc</i> (Corn.) laudatur.	66
<i>Eginbardus</i> in vita Caroli Magni multa e Suetonio exscripsit.	297
<i>Elsbolii</i> (Io. Sigism.) anthropometria.	7
<i>Emporius</i> de ethopoëia.	114
<i>Ennodius</i> καλλωπισμὸν adfectat 139. ob nimias allegorias notatur 93. eius panegyricus dictus regi Theodorico.	217
<i>Epiccharmus</i> ἐπισημοδοίς inprimis delectatur 158. ob sententias graves commendari solet.	175
<i>Epicuri</i> oratio facilis intellectu fuit.	129. 145
<i>Erasmus</i> (Desid.) propius ad stilum floridum accedit 140. stultitiam laudavit 202. notatur, quod multa falso inter adagia retulerit 99. 101. quo acute dicto insultatus est 167. eius chiliades laudantur 101. eius de copia verborum & rerum libellus 46. eius dialogi laudantur 151. 160. praecipue de peregrinationibus religiosis, & qui ἐχθροφασία inscribitur 234. quales eius epistolae 185. 187. eae adducuntur 3. eius de conscribendis epistolis libellus laudatur 183. item eius panegyrici.	218
<i>Eremitae</i> (Dan.) panegyrici laudantur.	219
<i>Ernestius</i> (Io. Aug.) philosophiam humanioris doctrinae partem esse ostendit 1. Tursellini librum de particulis Latinae linguae auxit 31. eius initia rhet. citantur.	9
<i>Ernetius</i> (Henr.) Probi libellum de interpretandis litteris Romanorum cum notis edidit.	249
<i>Erythraeus</i> (Ianus Nicius) quis sub hoc nomine lateat 187. eius dialogi 227. quo stilo eius epistolae scriptae 162. eae laudantur 187. eius pinacotheca.	187. 214
<i>Erytraeus</i> (Val.) Sturmii libellum de periodis cum notis edidit.	70
<i>Eumenius</i> panegyricos scripsit.	217
<i>Euripides</i> ob sententias graves commendari solet.	175
<i>Eutropius</i> pueris legendus commendatur 257. praecipue editiones.	258
<i>Eutyches</i> grammaticus.	25

Fa-

## F

<i>Fabius</i> Quinctilianus, vide <i>Quinctilianus</i> .	
<i>Fabrettus</i> (Raph.) titulos veteres collegit.	236
<i>Fabri</i> (Basili) thesaurus eruditionis scholasticae commendatur.	27. 30. 287
<i>Fabri</i> (Honorati) epistolae.	185
<i>Fabri</i> (Tanaqu.) epistolae 185. eius <i>methode pour commencer les humanités Greques et Latines</i> .	255
<i>Fabrici</i> (Iac. Vinc.) epistolae.	185
<i>Fabricius</i> (Io. Alb.) <i>πρωταρχείας</i> 285. mature se ad historiam litterariam accinxit 284. Octav. Ferrarii opuscula edidit 218. eius bibliotheca Graeca.	101. 230
<i>Fabricii</i> (Io. Lud.) varia opuscula.	227
<i>Facciolatus</i> (Iac.) praefationibus aliquot dialecticorum retia & laqueos explicavit 203. eius orationes laudantur.	214
<i>Falsteri</i> (Chr.) eius cogitationes variae & philologicae 22. amoenitates philologicae.	91
<i>Farnabii</i> (Thom.) notae in auctores commendantur.	289
<i>Ferrarius</i> (Octav.) felix fuit in declamationum deligendis argumentis iucundis 203. quales eius inscriptiones 201. ad quod genus eius orationes referendae 236. eae laudantur 214. eius panegyrici laudantur.	217
<i>Ferretius</i> (Io. Bapt.) veteres titulos collegit.	236
<i>Festus</i> (Sex. Pompei).	15. 23. 24. 26
<i>Ficini</i> (Mars.) epistolae.	185
<i>Figrelus</i> (Edm.) de statuis illustrium Romanorum.	239
<i>Flaminii</i> (M. Ant.) epistolae.	185
<i>Fleetwood</i> (Guil.) inscriptionum antiquarum sylloge.	238
<i>Florus</i> (L. Annaeus) ob frigidam hyperbolas notatur 91. 122. 91. 90. item ob vehementiam orationis & crebras exclamationes 143. πῶν δεινότητα non observavit 268. eius lectio commendatur 268. optima editiones.	271
